4. 5. 524

4 T. 5

Digitized by Google

XXVIII. 11.

Digitized by Google

DE ERVDITIONE
APOSTOLORVM
LIBER SINGVLARIS.

Digitized by Google

IO. LAMI
DE ERVDITIONE
APOSTOLORVM
LIBER SINGVLARIS

IN QVO MVLTA, QVAE PRIMITIVORVM CHRISTIANORVM
Litteras, doctrinas, ſcripta, placita, ſtudia,
conditionem, cenſum, mores, & ritus,
attinent, exponuntur, & illuſtrantur;

CRITICE SACRA IVVATVR ET PROMOVETVR
Prima Beati Pauli Apoſtoli ad Corinthios Epiſtola
paſſim ediſſeritur;

PLVRIA PROFERVNTVR INEDITA
APTEQVE DISSERTATIONES DVAE INTERSERVNTVR
Quarum prima eſt De Re Veſtiaria Chriſtiani hominis
primitivi; Altera De Codicibus MSS. Novi Foederis,
qui in Bibliothecis Florentinis adſervantur.

AD

NEREVM CORSINIVM
S. R. E. DIACONVM
CARDINALEM AMPLISSIMVM.

FLORENTIAE ANNO MDCCXXXVIII.
EX TYPOGRAPHIO BERNARDI PAPERINII.

CVM ADPROBATIONE.

Google

הנני יוסף לה להפיא את־העם־
הזה הפלא ופלא ואבדה

Peribit enim ſapientia a ſapientibus eius, & intellectus prudentium eius abſcondetur. Eſaias Cap. XXIX. 14.

═══

Κατηγορῶμεν Ἀποςόλων ὡς ἀμαθῶν· ἡ γὰρ κατηγορία αὕτη, ἐγκώμιον. *Accuſemus Apoſtolos, ut indoctos; haec enim accuſatio, encomium.* Ioannes Chryſoſtomus Hom. III. in Epiſt. I. ad Corinth. Cap. I.

═══

Illud vero, quod poſt verba Doctorum verbis veſtris ſubiunxiſtis: *Ita igitur hoc uno modo Apoſtoli, & Evangeliſtae, & totius divinae Scripturae interpretes, cum Catholicis eius expoſitoribus, ab imperitiae calumnia rationabiliter defendi queunt. Nihil enim omnino contra regulam grammaticae dixerunt, quod non ita aut ratio aliqua, aut cauſa myſterii, dici exigeret.* Ab illis verbis veſtris multum Eccleſiaſtici Doctores diſſonant. Exiguitati noſtrae videtur, quod neque vos neque nos de hac re aliquid ſentire aut dicere debemus, niſi ea, quae Orthodoxos Magiſtros ſenſiſſe aut dixiſſe legimus. *Et ex intervallo:* Haec qua intentione dixeritis, nullus eorum, qui otioſa loqui timent, intelliget; niſi forte hoc etiam nobis crimen ſuperadditis, quaſi ruſticitatis reprehendamus Spiritum Sanctum. Quod ſi ita eſt, ideſt, tali intentione iſta dicitis, quid ad haec reſpondere poſſumus, niſi: Ipſe occultorum cognitor, cordium teſtis, ſcrutator renum, omnipotens Deus videat, & audiat. *S. Agobardus Lugdunenſis Lib. adv. Fredegiſum.*

EMINENTISS. ET REVERENDISS. PRINCIPI

D. D.

NEREO CORSINIO

S. R. E. DIACONO CARDINALI

&c. &c. &c.

IO. LAMIVS DEDICAT CONSECRATQVE.

A*Quo nam potius*, PRINCEPS AMPLISSIME, *praeſidium & tutelam meus hic Libellus quaeſi-*

verit, quam ab EMINENTIA TVA, *quae Chriſti Eccleſiam, & ſacrum Apoſtolicae Cathedrae imperium, admirandis conſiliis regit, & incredibili prudentia moderatur? Nihil prope aliud in eo praedicatur, & luculenter exponitur, quam ratio ac via plane admirabilis, qua Deus, quum ſuperbam mortalium ſapientiam reprobaviſſet, virtutem ſuam in aliena imbecillitate exſerens & oſtentans, homines ab errore & ſuperſtitione revocavit, atque huius eiusdem Eccleſiae fundamenta firmiſſi-*

ma

ma iecit; & non in Tuum ſinum convolabit, TVAMQVE EMINENTIAM *ſuo argumento Volumen demerebitur, quod Eccleſiae, Tuae quodammodo curae, ac ſolicitudini, dum infirmae grandaevi Patrui* CLEMENTIS XII. PONTIFICIS MAXIMI *aetati opitularis, non ſine Numine commiſſae, exordia, ſtudia prima, mores, ac ritus, ediſſerit? Quam alacrem fiduciam, & laudabilem ſecuritatem, Tuo pectori non ingeneret ea cognitio, qua percipis, a deſpectis initiis, humilibus prae-*

conibus, rudibus imperitiſque magiſtris, per maximas eam difficultates, & impedimenta, in tantam, & tam magnificam, amplitudinem divinitus eſse provectam; ut temporibus etiam difficillimis, & in mediis procellarum periculis, Petri *Navem, non littora iam oraſque legentem, ſed immenſi Pelagi profunda ſecantem, facile* Te, *coeleſtibus oraculis confirmatum, & conſueta ſapientia uſum, in portum tutiſſimum deducturum eſse confidas? Itaque refugium in* Te, *aequo rerum aeſtimatore,*

tore,

tore, indagatore Eccleſiaſticae vetuſtatis ſolertiſſimo, & litterarum fautore munifico, reperiat Opuſculum, quod in meae a me pietatis & religionis defenſionem elucubratum, lividis & indoctis hominibus adhuc me calumniis adpetendi anſam praebere poſſe videretur, niſi tanti Patroni nobilitate, virtute, meritis, dignitate, deterrerentur. Quod ſi minus Libellus ipſe; tantae certe Apoſtolorum laudes, tanta primitivae Eccleſiae praeconia & Chriſtianae antiquitatis monu-

menta, tantaque divinae ſapientiae ac poteſtatis admiratio, quanta in eo exſtant atque eminent, Tuum iure optimo amorem, benevolentiam, patrociniumque, mereantur. Quid enim aliud in eo fuſe lateque celebratur, & in clariſſimam lucem continenter educitur, dum Chriſti Apoſtolos, ac Diſcipulos, pioſque illos primi aevi Chriſtianos, non callidae eloquentiae, & profanae eruditionis, & mortalis doctrinae, opibus divites; ſed coeleſtis omnino & arcanae ſapientiae, vir-

tutiſ-

tutiſque divinae, theſauris inſtructos adſatim, & locupletatos, fuiſſe non tam adfirmate pronunciat, quam dilucide perſpicueque demonſtrat? Excipe igitur ſereno vultu munuſculum, quod EMINENTIAE TVAE *obferre & conſecrare auſus ſum, neque tam ad eius tenuitatem reſpice, quam voluntatem meam, & obſequium, ergaque* TE *venerationem, aequi bonique conſule: nullam enim fortaſſis maiorem ac ſinceriorem inveneris, & eius, qui ardentioribus votis* EMINENTIAE

TVAE

TVAE & *vitam diuturnam, & ſummam felicitatem, ab immortali Deo adſidue precetur atque expetat. Vale. Dabam Florentiae Kal. Iuliis A. R. S. MDCCXXXVIII.*

IN-

INDEX CAPITVM

QVid operi occaſionem dederit, & utrum Haeretici Scriptores ab Orthodoxo homine legendi, & adlegandi, umquam ſint; totiuſque operis diſtributio. Caput I. *pag.* 1.
Apoſtolos, quos Chriſtus elegit, humiles, abiectoſque homines fuiſſe. Cap. II. *pag.* 26.
Primitivos Chriſtianos humili admodum genere, & conditione, ut plurimum fuiſſe. Cap. III. *pag.* 38.
De re veſtiaria hominis Chriſtiani primitivi. Cap. IV. *pag.* 57.
Nonnulli primitivorum Chriſtianorum nobiles & locupletes. Cap. V. *pag.* 100.
Chriſtianos primitivos imperitos, ut plurimum, & rudes litterarum, fuiſſe. Caput VI. *pag.* 106.
Apoſtolos, litterarum rudes, & imperitos, homines fuiſſe. Cap. VII. *pag.* 116.
Patrum, & Scriptorum Eccleſiaſticorum, de Apoſtolorum imperitia, & ruſticitate, teſtimonia. Cap. VIII. *pag.* 120

De

De ſtilo Novi Teſtamenti. Cap. IX. *pag.* 129.
De cuiuslibet Scriptoris Divini N. T. ſtilo & eruditione. Cap. X. *pag.* 144.
De Libris, ceteris Apoſtolis, Viriſque Apoſtolicis, falſo tributis, & apocryphis. Cap. XI. *pag.* 176.
De Apoſtolorum Amanuenſibus, aliiſque Chriſtianis eiusdem aetatis Interpretibus. Caput XII. *pag.* 196.
Codicum MSS. Novi Teſtamenti, qui in Florentinis Bibliothecis adſervantur, hiſtoria. Cap. XIII. *pag.* 204.
Incarnationis oeconomiam, & rationes Divinae Providentiae admirabiles, in Apoſtolis ſuis ignorantiam & humilitatem ſapientiſſime popoſciſſe. Cap. XIV. *pag.* 329.
De Spiritus Sancti in Apoſtolos inlapſu, & divinorum Scriptorum adflatu. Caput XV. *pag.* 343.
De Apoſtolorum & primitivorum Chriſtianorum ſapientia. Cap. XVI. *pag.* 369.
De Ioannis Evangeliſtae ruſticitate & imperitia. Cap. XVII. *pag.* 387.
Apte, adpoſite, neceſſario, Ioannes Evangeliſta ruſticus & imperitus adpellatus fuit. Cap. XVIII. *pag.* 407.
De meorum Calumniatorum ruſticitate & imperitia. Cap. XIX. *pag.* 412.

Ad-

ADmodum Reverendus, & Excellentiſs. D. Io. Baptiſta Minghetti Sacrae Theologiae Magiſter attente legat Librum hunc, cui titulus: *De Eruditione Apoſtolorum, &c.* & videat an aliquid contineat, quod Fidei Orthodoxae, ac bonis moribus adverſetur.

Dat. die 10. Ianuarii 1737. ab Inc.

Dominicus de Bardi Vic. Generalis.

IVſſu Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi Domini Dominici de Bardi Florentinae Dioeceſis Vicarii Generalis evolvi, & perlegi hoc volumen, quod hunc titulum praefert: *De Eruditione Apoſtolorum, &c.* ab Io: Lamio viro longe doctiſſimo, veracis Hiſtoriae Eccleſiaſticae adprime conſulto, elaboratum, Chriſtianae Religionis, ac ſapientiae indubitatis placitis conſentaneum, & ob omnigenam eruditionem in eo enucleatius expoſitam antiquorum monumentorum intelligentiae, ut arbitror, mirabiliter profuturum; ea propter ut edatur iuſtiſſime cenſeo.

Nonis Aprilis 1738.

Iohannes Baptiſta Minghettius &c.

Attenta ſupradicta relatione imprimatur.

Dom. de Bardi Vic. Generalis.

ADmodum Reverend. Pater Theologus Thomas Maria Griſelli Cenſor huius Sanctae Inquiſitionis attente perlegat hunc librum, cui titulus: *De Eruditione Apoſtolorum, &c.* & videat an aliquid contineat, quod bonis moribus & Chriſtianae Fidei adverſetur, & referat.

Ex Aedibus S. Officii Florentiae XII. Kalen. Februarii MDCCXXXVII. ab Inc.

Fr. Franciſcus Antonius Benoffi Min. Conv. Vic. Gen. S. Off. Florentiae.

Iuſſu

IVſſu Reverendiſſimi Patris Inquiſitoris Generalis Sancti Officii Florentiae diligenter evolvi, & ſumma animi cum voluptate perlegi egregium, & multiiugis eruditionis copia inſtructum, doctiſſimi Viri Ioannis Lami in Acad. Flor. P. P. celeberrimi opus, quod inſcribitur: *De Eruditione Apoſtolorum, &c.* & ex mea quidem ſententia non tantum nihil in eo offendi, quod aut expungendum, aut cenſura notandum, iudicaverim; verum etiam ſeverioris Critices ſtudium, ſplendidae orationis elegantiam, & in inluſtranda Apoſtolicorum temporum hiſtoria impigrum laborem ſum demiratus: quapropter dignum exiſtimo quod publici iuris fiat, ut famigeratiſſimo Auctori de Literaria Republica optime merito plurimum gloriae & laudis accedat

Ex Collegio D. Marci Ord. Praed. Florentiae XIII. Calendas Iulias A. R. S. 1738.

Fr. Thomas M. Griſelli S. Theolog. Profeſſor, & S. Inquiſitionis Cenſor, &c.

Attenta ſupradicta relatione imprimatur.

Fr. Franciſcus Antonius Benoffi Min. Conv. Vic. Gen. S. Off. Florentiae.

Imprimatur.

Carolus Ginori pro R. C. vidit.

ERRATA CORRIGE.

Pag. 76. Erudiſſimus. *leg.* Erudititiſſimus: *Pag.* 92. Fr. Chifflerius. *leg.* Io. Chifflerius. *Pag.* 110. Theophylus. *lege* Theophilus. *Pag.* 144. Lignfootius. *leg.* Lightfootius: *Pag.* 222. μαθήτων. *leg.* μαθητῶν. *Pag* 226 ἡρμωμένους. *leg.* ἡρμωσμένους. *Pag.* 226. ὦσι. *leg.* ὠτί. *Pag.* 237. ἐδαχθε. *leg.* ἐδαύχθη. *Pag.* 237. ἔνθεν. *leg.* ἔνθεν δ'.

DE ERVDITIONE APOSTOLORVM LIBER SINGVLARIS.

Quid operi occaſionem dederit, & utrum haeretici Scriptores ab orthodoxo homine legendi, & adlegandi, umquam ſint; totiusque operis diſtributio.

CAPVT I.

TEmpus iam, ubi concitati Adverſariorum meorum ſpiritus mora ipſa paululum quieverunt, ſedatoque turbulentarum cogitationum tumultu tranquilliores animi oblatam veritatem omnino non reſpuunt, ea diſputandi, quae mores meos, & adverſus Deum pietatem ac religionem, caſtamque doctrinam, a calu-

 mniis

Digitized by Google

niis manifeſtiſſimis vendicent, & lividos obtrectatores vecordiae, & malignitatis, & ignorantiae, luculentiſſime arguant. Quum enim paucis abhinc annis, coeleſtium litterarum oraculis edoctus, & Sanctorum Patrum documentis inſtructus, hiſtoricos *De recta Chriſtianorum in eo quod myſterium Divinae Trinitatis attinet ſententia* Commentarios lucubraviſſem, vix eos in vulgus prodidi, a doctioribus pleriſque, & qui nullo partium ſtudio agebantur, laudem & adprobationem meruerunt; ſed alii Panico timore attoniti, & veluti ſurgentis arboris umbram meſſibus ſuis in effoeto iam ſolo languentibus ridicule atque inconſulte metuerent, indignarenturque ea, quae

Imberbes didicere, ſenes perdenda fateri;

commentationes illas maledictis proſcindere, & me auctorem, laeſae pietatis, & religionis, reum agere, Cenſoreſque doctiſſimos ac prudentiſſimos, qui opus evulgandum exiſtimaverant, inſectari conviciis, & praevaricationis inſimulare. Ipſe quidem haec omnia tacitus audiebam, utpote qui lubentius alienam improbitatem feram, quam meam innocentiam tuear; & huiuſmodi Fanaticorum inſaniam non ſine miſeratione quadam inridebam, mirabarque vehementer canes illos, fere univerſos, ad meos Commentarios cenſura vexandos, illotis pedibus, ut aiunt, atque inconſiderate, & temere, adgredi. Nam mei iudices ſe conſtituebant, legulei formularumque concentores; Poëtae veri ſteriles, & ſomniorum architecti; Theologi etiam plures, ſed qui *Buſembaum* aliquem, aut *Eſcobarium*, *Dianamque*, evolvere, & tertio quoque verbo crepare, conſueverint; & illos maiorum gentium Scriptores, *Iuſtinum*, *Clementem*, *Origenem*, *Tertullianum*, *Cyprianum*, *Hieronymum*

ronymum, *Baſilium*, *Gregorium*, *Auguſtinum*, *Chryſoſtomum*, & id genus Patres eminentiſſimos, ne a limine quidem ſalutaverint. Huius igitur furfuris vitilitigatores, qui magis aleam, fritillum, & venereum, noverant, luſoriaſque tractabant paginas, quam Eccleſiaſticas litteras, & divina eloquia, didicerant; denique

Ambubaiarum collegia, *Pharmacopolae*,
Mendici, *mimi*, *balatrones*,

de meis ſcriptis, quae numquam legerant; de ſanctorum Patrum doctrina & opinionibus, quas numquam perceperant; de meis moribus, pietate, religione, quam intelligere nolebant, inſolenter, inique, procaciter, iudicium ferre minime verebantur. Tunc *Hieronymi* ad Paulinum ſcribentis verba iure & opportune uſurpabam: *Quod medicorum eſt Promittunt medici, tractant fabrilia fabri. Sola ſcripturarum ars eſt, quam ſibi paſſim omnes vindicant. Scribimus indocti doctique poëmata paſſim. Hanc garrula anus, hanc delirus ſenex, hanc ſophiſta verboſus, hanc univerſi praeſumunt, lacerant, docent, antequam diſcant . . . . quidquid dixerint hoc legem Dei putant: nec ſcire dignantur quid Prophetae, quid Apoſtoli, ſenſerint; ſed ad ſenſum ſuum incongrua aptant teſtimonia, &c.*

Quum vero leviter, ſed iniuria ſemper, alii alia in meis lucubrationibus criminarentur, apud omnes tamen totum cenſurae pondus atque momentum in eo ſubſidebat ac verſabatur, quod Ioannis Apoſtoli & Evangeliſtae, pro cuius coeleſti doctrina adſerenda laborem illum operamque ſuſceperam, RVSTICITATEM & IMPERITIAM, veritate duce, re ipſa exigente, Ioannis honori congruenter, mirabili Eccleſiae inſtitutioni conſentanee, verbis

diſertiſſimis praedicaviſſem. Hinc mihi prima mali labes; iam minus ego pius; iam ad Socinianorum caſtra deficiens; iam audax, & improbus, & in Sanctum Evangeliſtam contumelioſus. O viros doctos! O cenſores acutos! O homines pietatis cuſtodes, religionis amantes, ὀρθοδοξίας ζηλωτάς! Adeo deridiculi & exſibilandi eiusmodi homines ſunt, ut ſanctum aliquem, & virtutibus divinis inſignem, eſſe non poſſe arbitrentur, niſi etiam profana eruditione, liberalibus diſciplinis, humanioribus litteris, inſtruatur; idemque habent ſanctum dicere, atque doctiſſimum. Splenem Democriti olim iteratis votis expetebam, ut ſatis vecordem hominem ridere poſſem, qui, quod Rob. Bellarmini eruditionem, Sancti Bernardi Abbatis Claravallenſis litteraturae praetuliſſem, meo adſpectu correpta fuga illico ſe ſubtraxit,

Improviſum aſpris veluti qui ſentibus anguem
Preſſit humi nitens, trepiduſque repente refugit.

Certe ſi huiuſmodi ἀνθρωπίσκων pietas & religio oppugnatam Chriſtianorum dogmatum veritatem adverſus impios, & haereticos, tutari deberet, vereor ne vera, & rem ipſam, exhibitura eſſet illa tabula, quam Aſtelaedami vidi, & in qua inmanis bilanx depicta erat, in cuius altera lance prae nimio pondere ſubſidente liber inerat a ſectariis conſcriptus; in altera vero ſublime, tamquam pappo, evolante, Catholicorum volumina, & Eccleſiarum inſtrumenta, ſurſum ferebantur; nec ad aequum libramen inſilientes in eam Monachi Clericique ullo conatu deducere poterant. Et profecto, quae ſpes reliqua foret ex iſtis, qui hiſtoriam Eccleſiaſticam prorſus ignorant? qui antiquorum Patrum ſcripta ac traditiones ne primoribus quidem labris delibave-

verunt? qui coeleſtes ipſas litteras numquam evolviſſe, tam manifeſte & incredibiliter, cenſura adeo putida futilique, praeſetulerunt?

Profecto *hos ego poſſem*, ut cum *Hieronymo* Marcellae ſcribente loquar, *meo iure contemnere* (*aſino quippe lyra ſuperflue canit*) ſed tamen eis reſpondere jubet, ne tam hebetis cordis, & tam craſſae ruſticitatis, fuiſſe videar, ut aliquid, quod religioni iniurioſum, Chriſtiano homini indecorum, propoſito meo, qui divinam Ioannis Evangeliſtae ſcientiam laudibus ferebam, & a Socinianorum calumniis vindicabam, contrarium eſſet, litteris mandare potuerim. Itaque licet tota haec diſputatio in eo verſari debeat, quod meum de Ioannis eruditione iudicium attinet, quaedam quoque alia in anteceſſum attingam oportet, quae nonnullis aliis ſtultis & temerariis meorum obtrectatorum criminationibus faciant ſatis, eaſque diſſolvant. Et quidem a neſcio quibus etiam obiectum fuit, quod heterodoxorum interdum Scriptorum auctoritate functus ſim; quod *Io. Clericum* ipſum, quem impugnabam, aliquando laudaverim. At quidni id facerem? Si Scriptorum haereticorum teſtimoniis interdum abuſus ſum, apte id, & percommode, fieri intellexi, quum adverſus haereticos ſcriberem. Hanc artem ab Eccleſiae Patribus edoctus fueram, qui quum Ethnicos impugnarent & expugnarent, nonniſi Ethnicorum Sapientum rationibus, auctoritate, ſententiis, teſtimoniis, iſthuc ipſum exſequuti ſunt, ut Opera *Iuſtini*, *Tatiani*, *Theophili*, *Clementis Alexandrini*, *Origenis*, *Tertulliani*, *Euſebii*, *Lactantii*, *Arnobii*, *Athanaſii*, *Chryſoſtomi*, *Gregorii Nazianzeni*, *Auguſtini*, *Oroſii*, aliorumque id genus Eccleſiaſticorum Scriptorum, evolventibus patet. Et plane abſurdum & ridiculum eſt, iis auctori-

bus ſuam opinionem adverſus inimicos ſtabilire, quos ipſi non recipiunt, immo contemnunt: profectum enim nullum inde ſperare licet. Illis praeluſerat *Paulus*, qui in Areopago concionem habens, Graecum Poetam, & Atticam inſcriptionem, adlegat, atque inde ſua dicta confirmat, ut *Actorum Cap. XVII.* legere eſt; quique, ſi apocryphis libris, quibus *Clemens VI. στρωμ.* utitur, credere dignum eſt, ad Sibyllae & Hyſtaſpis oracula provocabat. Hanc viam Ethnicos revincendi ineundam verbis luculentiſſimis docent *Tatianus Orat. contra Graecos*, *CyrillusIeroſolymitanus Catecheſ. τῶν φωτιζ. XIIX.* & eodem tendunt, quae ſub initium *Libri VII. στρωματέων Clemens* habet Alexandrinus. Et certe in Cypriano, quem alias, ut meretur, maximi facit, id notat, & virgula cenſoria, caſtigat *Lactantius Lib. V. Divin. Inſtit. Cap. IV.* quod adverſus Gentiles diſputans, Scripturae Sacrae teſtimoniis utatur; id quod & *Hieronymus* Epiſtola ad Magnum Oratorem obſervabat.

Inſuper non ſtatim ex eo, quod Scriptor aliquis alicubi erraverit, aut haereticus ſit, omnino reiiciendus eſt; ſed tantum cum delectu, & debita venia, legendus. Ad rem praeclariter laudatus *Hieronymus* Epiſtola LXV: *Lactantius in libris ſuis, & maxime in Epiſtolis ad Demetrianum, Spiritus Sancti omnino negat ſubſtantiam: & errore Iudaico dicit, eum vel ad Patrem referri, vel ad Filium; & ſanctificationem utriuſque perſonae ſub eius nomine demonſtrari. Quis mihi interdicere poteſt, ne legam Inſtitutionum eius libros, quibus contra gentes ſcripſit fortiſſime, quia ſuperior ſententia deteſtenda eſt? Apollinarius contra Porphyrium egregia ſcripſit volumina. Probo laborem viri, licet fatuum in pleriſque dogma contemnam.* Et Epiſtola ad Tranquillinum: *Ego Origenem*

nem propter eruditionem ſit interdum legendum arbitror, quomodo Tertullianum, Novatum, Arnobium, Apollinarium, & nonnullos Eccleſiaſticos ſcriptores Graecos pariter & Latinos, ut bona eorum eligamus, vitemusque contraria, iuxta Apoſtolum dicentem: omnia probate, quod bonum eſt tenete. In Epiſtola vero ad Minerium & Alexandrum ita ſcribit: *Siquis autem contrariae factionis immurmurat, quod eorum explanationes legam, quorum dogmatibus non adquieſco: ſciat me illud Apoſtoli lubenter audire: Omnia probate, quod bonum eſt, tenete. Et Salvatoris verba dicentis: Eſtote probati nummularii: ut ſiquis nummus adulter eſt, & figuram Caeſaris, non habet, nec ſignatus eſt moneta publica, reprobetur: qui autem Chriſti faciem claro praefert lumine, in cordis noſtri marſupium recondatur. Etenim ſi dialecticam ſcire voluero, aut philoſophorum dogmata, & ut ad noſtra redeam ſcientiam Scripturarum, nequaquam ſimplices Eccleſiae viros interrogare debeo, quorum alia gratia eſt, & unuſquisque in ſuo ſenſu abundat: praeſertim quum in domo magna patrisfamiliae vaſorum diverſitas multa dicatur; ſed eos, qui artem didicere ab artifice, & in lege Domini meditantur die ac nocte. Ego & in adoleſcentia & in extrema aetate profiteor, & Origenem & Euſebium Caeſarienſem viros eſſe doctiſſimos, ſed erraſſe in dogmatum veritate. Quod e contrario de Theodoro, Acacio, Apollinario, poſſumus dicere, & tamen omnes in explanationibus Scripturarum, ſudoris ſui memoriam reliquerunt. In terra aurum quaeritur, & de fluviorum alveis ſplendens profertur glarea, Pactoluſque ditior eſt coeno, quam fluento. Cur me lacerant amici mei, & adverſus ſilentem craſſae ſues grunniunt? Quorum omne ſtudium eſt, imo ſcientiae ſupercilium, aliena carpere, &*

ſic veterum defendere perfidiam, ut perdant fidem ſuam. Meum propoſitum eſt antiquos legere, probare ſingula, retinere quae bona ſunt, & a fide Eccleſiae Catholicae non recedere. Et bene quidem adpoſiteque Paulum Apoſtolum advocat, qui non verbis tantum, ſed exemplo ipſo praeivit; nam & libros Ethnicorum legerat, & Arati, Menandri, & Epimenidis verſus laudaverat, ut *Actorum Cap. XVII. & Epiſt. ad Titum Cap. I. & I. ad Corinthios Cap. XV.* videre eſt; & ſi *Clementi* Alexandrino *Lib. VI. Stromatum* id ex apocryphis libris repetenti credendum eſt, ad Ethnicorum libros, & Sibyllae & Hyſtaſpis oracula auditores, ut diximus, amandabat. Quin & apocryphos Scriptores lectitabat, & quae bona & probanda occurrebant, in ſuum uſum transferebat, ut librum Eliae Prophetae, librum Iannis & Mambris; non ſecus ac Iudas, qui Enochi prophetiam adlegavit; id quod *Origenes in Matthaeum Cap. XXVII.* ſapienter animadvertebat. An vero quae multa alias ignota in Epiſtola ad Ebraeos ſcribit ex eodem fonte derivaverit, vel potius ex ἀγράφων παραδόσεων, idem *Origenes Epiſtola ad Africanum* docuerit. Sed & Lucam ſe apocrypha quaedam Evangelia legiſſe, in prooemio teſtari, Patres fere omnes arbitrantur, quamquam ſecus & verius cenſent Viri doctiſſimi *Caietanus*, & *Maldonatus*, Matthaei & Marci Evangelia intelligentes. Ratio autem Eccleſiaſticos Scriptores indiſcriminatim legendi, quam ſe iniviſſe Hieronymus profitetur, perpetuo Catholicorum uſu confirmata videtur: nam Catenae, quas vocant, in Sacram Scripturam, non tam ex Orthodoxorum Patrum dictis, quam ex Haereticorum, ut Theodori Heracleenſis, & Severi Antiocheni, adnotationibus conferuntur.

Illud

Illud autem in primis conſiderandum, eos qui patriam religionem cordi habent, eiuſque decreta tueri ac propugnare cupiunt, haereticorum libros, debita ſemper venia implorata, aſſidue verſare debere, ut eorum erroribus penitus animo comprehenſis, falſa placita, & exitialia documenta, tuto impugnare, & ſine calumniae metu facile poſſint evertere. Ipſe quidem non ſemel in haereticorum libros incidi, in quibus ſaepe illi queruntur, errores & decreta ſibi a Catholicæ Religionis Scriptoribus frequenter adfingi, quorum ne in mentem quidem ipſis venerat; & tunc eruditionem ampliorem & exactiorem, Romanae Eccleſiae decori conſulens, in quibusdam mei ritus hominibus deſideravi. Bene igitur ac ſapienter *Dionyſius* Alexandrinus *Epiſtola III. De Baptiſmo ad Philemonem* apud *Euſebium Lib. VII. Hiſtor. Eccleſ. Cap. VII.* ſcriptum reliquit: Ἐγὼ δὲ καὶ τοῖς συντάγμασι καὶ ταῖς παραδόσεσι τῶν αἱρετικῶν ἐνέτυχον, χραίνων μὲν μου πρὸς ὀλίγον τὴν ψυχὴν ταῖς παμμιάροις αὐτῶν ἐνθυμήσεσιν. ὄνησιν δὲ οὖν ἀπ᾽ αὐτῶν ταύτην λαμβάνων, τὸ ἐξελέγχειν αὐτοὺς παρ᾽ ἐμαυτῷ, καὶ πολὺ πλέον βδελύττεσθαι· καὶ δή τινος ἀδελφοῦ τῶν πρεσβυτέρων με ἀπείργοντος καὶ δεδιττομένου συμφέρεσθαι τῷ τῆς πονηρίας αὐτῶν βορβόρῳ· λυμανεῖσθαι γὰρ τὴν ψυχὴν τὴν ἐμαυτοῦ, καὶ ἀληθῆγε λέγοντος, ὡς ᾐσθόμην· ὅραμα θεόπεμπτον προσελθὸν, ἐπέῤῥωσέ με. καὶ λόγος πρός με γενόμενος, προσέταξε διαῤῥήδην λέγων· πᾶσιν ἐντύγχανε οἷς ἂν εἰς χεῖρας λάβοις· διευθύνειν γὰρ ἕκαστα καὶ δοκιμάζειν ἱκανὸς εἶ. καί σοι γέγονε τοῦτο ἐξ ἀρχῆς καὶ τῆς πίστεως αἴτιον. ἀπεδεξάμην τὸ ὅραμα, ὡς Ἀποστολικῇ φωνῇ συντρέχον τῇ λεγούσῃ πρὸς τοὺς δυνατωτέρους· γίνεσθε δόκιμοι τραπεζῖται. Ego vero, inquit, *in libris & traditionibus haereticorum cognoſcendis operam poſui; exſecrandis quidem illorum ſententiis animum meum tantiſper coinquinans: hanc tamen ex iis utilitatem percipiens, ut illos tacitus*

apud me refutarem, multoque magis quam antea deteſtarer. Et quum frater quidam ex presbyterorum ordine prohiberet me, veritus ne forte nequitiae illorum coeno commiſcerer: quippe animum meum contaminatum iri aiebat, & quidem veriſſime ut ipſemet ſentiebam: viſione coelitus miſſa confirmatus ſum. Et vox ad aures meas perlata diſerte mihi praecepit hoc modo: Lege omnia quaecumque in manus venerint. Idoneus namque es, qui ſingula diſquiras & examines: hacque primum occaſione ad Chriſti fidem impulſus es. Amplexus ſum viſionem illam, utpote quae Apoſtolicae voci conſentiret robuſtiſſimos quosque ita compellanti: Eſtote periti nummularii. Id quod omne a *Cyrillo* Alexandrino *Praefat. Commentar. in Ioannem* tamquam proficuum & utile probatur ac ſuadetur; & a ſe factum tradunt *Irenaeus Libri I. Praefat. Cyrillus* Ieroſolymitanus *Catheheſ. VI.* & ex recentioribus late proſequitur *Pamelius* ad *Librum Novatiani de Trinitate Cap. LVIII.*

Animadvertendum quoque eſt, veriſſimum eſſe illud *Ambroſii* Mediolanenſis effatum, Veritatem a quocumque ſit, ſemper a Spiritu Sancto eſſe: adeoque ex libris etiam haereticorum illa ſeligenda eſt & excerpenda, & quaſi ab iniuſtis poſſeſſoribus repetita ſibi adſerenda, quod pluribus adverſus Ethnicos diduxerunt Viri longe praeſtantiſſimi *Hieronymus* & *Auguſtinus*.

Verum heic non ſubſtitit calumniatorum meorum vecordia & impudentia. Hypocritae quidam, quorum nomina ſilentio premo, ne eorum commemoratione hunc meum commentarium temeraſſe videar,

Obſtipo capite, & figentes lumine terras,

quique ſimplicioribus viſi fuiſſent potes vitio praefigere

gere nigrum theta, me non tantum haereticorum teſtimoniis abuti, ſed cum *Io. Clerico* etiam facere, in vulgus ſpargere non erubuerunt. Quo quid impudentius & falſius dici poſſit non video, quum *Io. Clerici* opiniones dedita opera & ex inſtituto impugnaverim, & Catholicum dogma adverſus eum tam multipliciter confirmaverim. Certe huiuſmodi nebulonibus illa *Hieronymi* adverſus Vigilantium ſcribentis regerere poſſum, me ita *Clericum*, alioſque heterodoxos Scriptores, *legiſſe vel legere, ut Apollinarium vel ceteros tractatores, quorum in quibusdam libros non recipit Eccleſia. Non quod omnia dicam eſſe damnanda, quae in illorum voluminibus continentur, ſed quod quaedam reprehendenda confitear. Verum quia operis mei eſt, & ſtudii, multos legere, ut ex plurimis diverſos flores carpam, non tam probaturus omnia, quam quae bona ſunt electurus: adſumo multos in manus meas, ut a multis multa cognoſcam, ſecundum illud, quod ſcriptum eſt: Omnia legentes, quae bona ſunt retinentes. Unde ſatis miror te voluiſſe Origenis (Clerici) mihi obiicere dogmata, cuius in pleriſque errorem uſque ad hanc aetatem penitus ignoras.* Et quidem Viri nonnulli prudentes atque eruditi, quos inter egregius Iuris in Piſano Athenaeo profeſſor, mihi adſerebant, & liquide ſancteque iurabant, indoctiſſimum Pontificii iuris interpretem, criminatorem meum, eo ſtuporis ac ruſticitatis deveniſſe, ut quid *Socinus* docuerit, quid *Clericus* ſcripſerit, quid *Arminiani* teneant, penitus ignoraverit. O utinam illud ſaepe laudati *Hieronymi* vel legiſſet, vel intellexiſſet: *Non parum eſt ſcire quod neſcias: prudentis hominis eſt noſſe menſuram ſuam: nec zelo diaboli concitatum, imperitiae ſuae cunctum orbem teſtem facere.*

Et tamen, quum me interim innocuum & religentem hominem, iniuria & falſo pietatis obtentu vappae iſti perſequerentur, audaculi quidam, atque procaces, ſacras conciones habebant, qui monſtroſo quodam & inaudito abuſu, quaecumque ſacrarum litterarum oraculis, & probatorum Patrum auctoritate & teſtimoniis alii Evangelicae doctrinae praecones confirmare conſueverunt, ipſi nunc Lutheri, nunc Calvini, nunc Bezae, nunc Zanchii, nunc Ochini, aliorumque haereſum Patriarcharum, ſententiis adductis, Catholicae plebi non tam impie quam ſtolide, adprobare non verebantur. At dormitabant tunc, immo ſomnum altiſſimum ſtertebant, Zelotae, qui animi adfectibus, non religionis amore, ducuntur; &, qui Scriptorum haereticorum auctoritate prudenter, & utiliter, & in tempore, fungenti veluti diem dixerant, inverecundorum indoctorumque oratorum confidentiam & impietatem non ſine quadam animi ſtupiditate tolerabant.

Quod ſi *Io. Clericum*, aut alium heterodoxum hominem, vel doctum adpellavi interdum, vel aliter eruditionis nomine ſubſpexi, quod tamen mihi feciſſe non videor; non id egi quod eorum in religionis negotio ſententiam, quam meis voluminibus impugnabam, adprobarem; ſed quod liberales diſciplinas, & multiplicis doctrinae proventum, in illis commendarem. Non enim ex eo quod quis minus recte de religione ſentit, indoctus etiam eſt & ineruditus; alioqui nec Plato, nec Ariſtoteles, nec Demoſthenes, nec M. Tullius, nec Origenes, nec Tertullianus, docti & bonis artibus exculti fuiſſent. Praeclariter nunquam ſine laude memorandus *Hieronymus* Epiſtola ad Pammachium & Oceanum, de Origene agens: *Obiiciunt mihi, quare*

Ori-

Origenem aliquando laudaverim . . . . laudavi interpretem, non dogmatiſten; ingenium, non fidem; philoſophum, non Apoſtolum. In Apologia vero adverſus Ruffinum ita diſſertat: *Alterum quidem nomen Euſebii, ſed eadem, quae ſuper Origenis vocabulo, eſt calumnia. Laudavi Euſebium in Eccleſiaſtica hiſtoria, in Digeſtione temporum, in Deſcriptione terrae ſanctae, & haec ipſa opuſcula in Latinum vertens, meae linguae hominibus dedi. Num ex eo Arianus ſum, quia Euſebius, qui hos libros condidit, Arianus eſt?*

Non me fugit profecto mihi obiectum iri a quibusdam, primos Chriſtianos a profanorum librorum lectione abhorruiſſe, eoſque Epheſi flammis omnes, quotquot habuerant, concremaſſe, ut *Lucas Actor. Cap. XIX.* memoriae prodit; non impune fuiſſe Athanaſio Presbytero Iſaurio, quod codex haeretica placita continens apud eum repertus fuerit, ut ex *Epiſtola LXIV. Lib. V. Gregorii Magni* elucet atque eminet; Concilium Bracarenſe primum *Canone XVII.* Scripturarum, quas Priſcillianus depravaverat, aut Dictinnius finxerat, lectione interdixiſſe; Synodum Nicaenam II. ne quis Iconomachorum libros evolveret aut retineret *Canone IX.* vetuiſſe; Synodum tandem Tridentinam haereticorum librorum condemnationem probaviſſe; & eorum Indicem à Paulo IV. & aliis ſubſequentibus Pontificibus, fuiſſe contextum, quo nemo eos ignorans a pernicioſa lectione cautus abſtineret; ut quid de haereticorum libris Concilia Conſtantienſe, Colonienſe, & Senonenſe, decreverint; & quid Leo X. in Conſtitutione XL. excommunicationis poenam interminans pronunciaverit, ſilentio praetereatur. His Principales conſtitutiones addi poſſunt, quibus Chriſtiani Imperatores Chri-

Chriſtianorum dogmatum integritati conſulentes, & haereticorum libros ultricibus flammis abſumi, & qui eos legerent ultimo ſupplicio adfici iuſſerunt, ut ex Epiſtola Conſtantini Magni ad Epiſcopos & populum apud *Socratem Lib. I. Hiſtor. Eccleſ. Cap. IV.* & *Photio* in *Nomocanone Tit. XII. Cap. III.* liquido conſtat; id quod deinde Theodoſius & Valentinianus iterum ſanxerunt, eorumque edictum eſt in *Codice Iuſtinianeo Lib. I. Tit. I. Leg.* Θεσπίζομεν, & exhibet etiam *Balſamon* in *Collect. Conſtit. Eccleſ. Tit. V.* cuius collectionis exemplar MS. pulcherrimum, & egregiis, interdumque non vulgatis tractatibus, auctum exſtat in Bibliotheca Laurentiana Medicea. Quod ſiquis exempla huius iuſtae in haereticorum libros ſeveritatis pluria deſiderat, eruditi Ieſuitae *Theoph. Rainaudi Erotemata De bonis ac malis libris Part. I. Erot. III.* adire poterit.

At haec quidem univerſa admittere & probare proclive eſt, quum tamen iis, quae ſuperius diſputavi, adverſari omnino, ac repugnare, non facile oſtenſu videatur. Nam ut illae omnes cum Eccleſiaſticae, tum Principales, conſtitutiones probe ac rite intelligantur, plura obſervanda ac diſtinguenda veniunt; libri ſcilicet, eorum auctores, perſonae, quae illos lecturae ſunt, tempora, loca, & huiuſmodi alia; ſine quorum diſcreto examine, omnia ſusdeque miſcenda eſſent, & ſanctiſſimi atque ὀρθοδοξότατοι viri rei agendi, tamquam laudatiſſimarum legum violatores. Et quod libros attinet, non omnes ii eiusdem ſunt claſſis, adeoque non illorum omnium lectio pari ſeveritate prohibetur. Vt id pateat Indicem aliquem librorum prohibitorum, Pontificum Maximorum iuſſu concinnatum, evolvere ſufficit; ſufficit etiam *Regulas* Indici adiectas perlegiſſe.

giſſe. Inſuper non ſtatim ac liber quis ab haeretico homine ſcriptus fuit, damnatus & vetitus intelligitur, niſi placita quoque haeretico veneno infecta contineat, quod in ſecunda Indicis *Regula* pronunciatur. Sed & auctores ipſi non omnes aeque damnantur; immo quidam, quorum opera cenſoriam animadverſionem paſſa ſunt, priſtinae famae incolumitate laetantur, & ὀρθοδοξίας ordine minime moti ſunt. Sic Beati Theodoreti Cyrenſis Capitula in quinta Synodo Oecumenica improbata ſunt, perſona autem & exiſtimatio intacta atque illaeſa remanſit, ut apud Eccleſiaſticos Scriptores videre eſt. Id etiam elucet ex ſecunda laudata Indicis *Regula*; in qua Haereſiarchae, & Patriarchae haereticorum ita exſecrabiles ſunt, ut omnia eorum volumina indiſcriminatim prohibeantur, quum aliorum haereticorum cum delectu reprobentur. Si autem eos, qui haereticorum libros lecturi ſunt aut legunt, conſiderabimus, ii docti ſunt, vel indocti; Ὀρθοδοξίας tenaces, vel ambigua religione; haereticorum librorum lectione bene utuntur, vel non; eos legendi veniam impetravere, vel illam neglexerunt. Si hoc poſtremum, veniam ſcilicet ab iis, qui praeſunt, & legendi facultatem, obtinuerunt, ut ipſe quidem feci, nullus iam reſtat ambigendi locus, quin in haereticorum librorum lectionem iuxta Praeſidum praeſcripta quis incumbere poſſit. Siquis autem librorum, quos haeretici homines conſcripſere, lectione non abutitur (in quo ſemper veniam impetratam ſubintelligo) ſed potius ad orthodoxorum placitorum confirmationem eos lectitat, & neceſſariam in Catholico Scriptore eruditionem comparandam, quod ipſe facio, ut opera a me publici iuris facta luculenter evincunt: tunc lectio haec laudabi-

lis

lis evadit, & canonum etiam adprobatione commendatur. Ecce verba *Hieronymi* in *Caput I. Danielis*, quae a *Gratiano Diſtinct. XXXVII. Cap. XI.* referuntur: *Qui de menſa regis & de vino potus eius nolunt comedere ne polluantur, utique ſi ipſam ſapientiam atque doctrinam Babyloniorum ſcirent eſſe peccatum, numquam adquieſcerent diſcere, quod non licebat. DISCVNT autem NON VT SEQVANTVR, ſed VT IVDICENT ATQVE CONVINCANT; quomodo ſi quiſpiam adverſus Mathematicos velit ſcribere imperitus mathematis, riſui pateat: & adverſus philoſophos diſputans, ſi ignoret dogmata Philoſophorum, &c.* Et etiam decretoria ſunt *Ambroſii in Prooem. Explanat. Evangel. ſecundum Lucam* verba, quae pariter a *Gratiano* eadem diſtinctione *Cap. XI.* producuntur: *Legimus aliqua, ne legantur; legimus ne ignoremus; legimus, non ut teneamus, ſed ut repudiemus.* Quam autem ipſe ſim avitae religionis tenax, Evangelicorum documentorum venerator, Eccleſiaſticae traditionis adſertor ac vindex, Commentariis luculentis tempeſtive a me editis patefeci, in quibus non mediocris religionis amor, & caſta perſuaſionis integritas eminet. Et profecto adeo etiam Romanae Eccleſiae, ceterarum omnium matris atque magiſtrae, auguſto & venerando coetui, meae religionis firmitas ex memoratis lucubrationibus patuit, ut quum vir ampliſſimus, & non tam generis nobilitate, quam multiplici doctrina & eruditione, conſpicuus, *Ant. Nicolinius* ad Eminentiſſimum Cardinalem *Io. Ant. Daviam* Congregationis *Indicis* Praeſidem, facultatem mihi prohibitos libros legendi ampliorem impetraturus, ultro, quae eſt Viri humanitas & beneficentia, acceſſiſſet, exoptatum privilegium ſtatim a Praeſide illo doctiſſimo & ſapientiſ-

ſimo

ſimo ſine ulla difficultate obtinuerit. Quod ſi minus doctorum illorum hominum, qui, quum haereticorum omnium libros utiliter & ſalubriter evolviſſent ac lectitaſſent, eos commentariis eruditiſſimis confutarunt, ut *Irenaei*, *Tertulliani*, *Athanaſii*, *Cyrilli*, *Auguſtini*, *Epiphanii*, *Hieronymi*, *Proſperi*, *Baronii*, *Bellarmini*, *Petavii*, *Natalis Alexandri*, & ſexcentorum aliorum, σύνεδρος eſſe poſſum; non me adeo tamen meae vitae & inſtitutionis poenitet, ut ne mihi ignavi anni obiiciantur pertimeſcam, vel illotis omnino manibus ad haec ſtudia tractanda adgredi vere dici poſſim. Iſthuc ipſum autem eſt quod exigitur, ut quis valeat inoffenſo pede etiam haereticorum ſcripta decurrere, quod *Hieronymus* ad Laetam de inſtitutione filiae ſcribens inſinuabat dicens: *Caveat omnia apocrypha: & ſi quando ea non ad dogmatum veritatem, ſed ad ſignorum reverentiam legere voluerit, ſciat non eorum eſſe, quorum titulis praenotantur, multaque his admixta vitioſa, & grandis eſſe prudentiae aurum in luto quaerere*. Et huiuſmodi expendebat quoque non ſpernendus auctor *Alph. De Caſtro Lib. II. De iuſta haeretic. punitione Cap. XVII.* Tempus autem talia ſuadere poteſt, ut librorum ab haereticis ſcriptorum lectio nullo modo permittenda videatur, ut tempus illud lacrimabile, quo Lutherus, & Calvinus, & Zuinglius, & Servetus, & Socinus, aliaeque id genus peſtes, Eccleſiam Chriſti non tam reformare, quam deformare, auſi ſunt; & quo Chriſtiani infirmi, & in religionis curſu offendentes, in lubricos errores facillime labebantur, ſeu novitatis libidine, ſeu pernicioſis exemplis, ſeu propria imbecillitate abſtracti ac miſerabiliter perditi. Sed quum jam impoſtores illi ſub ovina pelle lupi rapaciſſimi deprehenſi ſint; iam eorum error atque

haereſis luce meridiana clarior emicuerit; iam orthodoxa placita a calumniis omnibus vindicata luculentiſſime fuerint, aliquid de rigore illo primitivo remitti potuit, & interdum non ſummo iure agere licuit, & faciliorem ad haereticorum libros legendos, venia conceſſa, aditum aperire. Hinc quoad hoc, Concilium IV. Carthaginienſe *Can. XVI.* non minimam temporis rationem habuit, atque ita praeſcripſit. *Epiſcopus Gentilium libros non legat; haereticorum autem pro neceſſitate, aut tempore.* Et quidem eo tempore, quo tantae turbae in Eccleſia ab ultimis ſectariis excitatae ſunt, quam facile Catholicorum mentes haereticorum commercio, eorumque librorum lectione, ſeducerentur, exemplo lamentabili eſſe poſſunt conterranei noſtri, *Petrus Formilius*, *Petrus Carneſecchius*, *Antonius Bruciolius*; ut nihil de Senenſibus dicam, duobus gentilibus, *Laelio*, & *Fauſto*, *Socinis*, & *Bernardino Ochino*, Noeti, & Pauli Samoſateni, Photinique, blaſphemiarum inſtauratoribus. Locus quoque librorum quorumdam lectionem permittere conſuevit: non enim ubique ſemper eadem lex obtinet, & quorum hic lectio prohibetur, alibi conceditur, quod late docet *Vaneſpenius Iur. Eccleſ. Univerſ. Tit. XXII. Cap. IV. Part. I.* Et ego uſu ipſo didici dum in Gallia & Germania verſarer. Quin obſervandum quoque eſt in *Can. Sancta Romana Eccleſia Diſtinct. XV.* ſatis indicari libros quoſdam tamquam apocryphos alicubi non recipi, qui tamen alibi privatae Eccleſiae conſuetidine legerentur; quod, niſi brevitati conſulerem, pluribus diducere eſset, & huius rei praeclara exempla congererem. His & id genus aliis obſervationibus, adductarum ſuperius conſtitutionum ſeveritas emollienda eſt, ut verus diſpoſitionis ſen-

ſus

ſus eliciatur, & communi ac vetuſto uſui & conſuetudini adcommodetur. Huiuſmodi etiam quaedam prae oculis habenda, ubi in *Inſtructione Clementis VIII.* Regulis Indicis addita, *Sect. De Correctione librorum*, *§. II.* legitur: *Epitheta honorifica, & omnia in laudem haereticorum dicta deleantur*. Id enim vel Haereſiarchas reſpicit: vel ad ea prima tempora nimis periculoſa pertinet: vel laudes indicat, quibus illorum errores commendentur: vel alio huiuſmodi temperamento interpretandum eſt, ne tot Viri ſapientiſſimi & ὀρθοδοξότατοι, qui Scriptores quoſdam doctos, licet haereticos, ob ſcientiam & eruditionem laudare veriti non ſunt, quemadmodum D. Hieronymum feciſse ſuperius vidimus, cenſurae obnoxii videantur. Cuius quidem rei unum recens & inſigne exemplum, dum ad finem propero, adducam, quod nobis praebuit Catholicus & doctus Epiſcopus Segovienſis *Did. Covarruvias*, qui etiam Tridentino Concilio interfuit; hic nempe, illum adeo diris devotum, & merito quidem, Carolum Molinaeum, ob iuris ſcientiam alicubi non ſubſpicere, & non laudare non potuit, & ne inverſo quidem aut immutato nomine, ut *Lib. III. Var. Reſolut. Cap. I. n. IV.* videre eſt.

Aliquid nunc de meorum Commentariorum ordine & methodo diſſerendum eſſet; nam indocti quidam, qui vix librorum praefationes ac prooemia perlegunt, quum aliam breviter diſputandi viam in Praefatione mei Operis indicatam offendiſſent, ſtatim eam ineundam potius, aliam vero relinquendam, proclamaverunt; quaſi id efficere non potuiſsem, qui aliam etiam illis probatam excogitaveram. At ideo non feci, quod ea meo propoſito minus commode inſerviret: nam multiplex rerum dicendarum

varietas, & late exporrecta argumenti amplitudo, iis finibus coërceri ſe minime patiebantur, quos alia methodus praeſcripſiſset: & ipſe illas omnes cognitiones facile mihi praeſtruere non potuiſſem, ex quibus operis praedeſtinati progreſſus ad finem propoſitum recta deduceretur. Quomodo enim primigeniarum humani generis opinionum, & rerum mundo adhuc tenero & recente geſtarum notitiam ex primis hominibus in omnes gentes diverſo & vago errore traductam propagavisſem, niſi prius Orientalium quorumdam populorum mutua inter ſe commercia deſcripſiſſem? Niſi Graecorum Sapientes, in Aegyptum, in Chaldaeam, & alias Barbaras regiones, exſiliis, & laborioſa peregrinatione, deduxiſſem? Niſi de illorum placitis, & de Platonis vita, in primis, moribus, ingenio, ſtudiis, decretis, itineribus prolixa tractatione praecedenter diſseruiſsem? Nam iſthuc ipſum erat, quod veluti univerſae diſputationis fundamentum praeiiciendum fuerat, ut ei illa tandem ſuperſtruerem, quae manifeſte evincunt Demiurgicam Trinitatem, non eſſe Platonicum ſomnium aut deliramentum; non ſuam de ea doctrinam Ebraeos, & Philonem praecipue, ex huius Philoſophi voluminibus derivaviſſe; ex neutro Ioannem Evangeliſtam repetiiſſe; id quod unicus erat mei laboris & operae ſcopus. Nihil enim aliud mihi propoſueram, ut patet, quam a Socinianorum calumniis Ioannem Evangeliſtam vindicare, & divinam prorſus eius de Verbo Dei doctrinam adſerere; quod quidem confici non poterat, niſi illa omnia tam varia, in anteceſſum ita praeparaviſſem, diſtribuiſſem, ordinaſſem. Sed decretorium de his iudicium eſto viri longe doctiſſimi, & celeberrimi, *Iac. Bruckeri*, qui ita in ſuis huma-

ma-

maniſſimis litteris de meis Commentariis ſcribit: „ Legi eruditiſſimum librum de recta Chriſtianorum doctrina de Sanctiſſima Trinitate, in quo neſcio an vel eruditionis & lectionis copiam, vel dictionis nitorem, vel totius tractationis habitum elegantiſſimum miratus magis ſim. Nihil hic auribus do, &c. „

Sed quum hujuſmodi omnia futilia plane, & ridicula, & vix Therſite digna, a vitilitigatoribus indoctiſſimis putide mihi obiici primore adſpectu intelligatur, interim, ſi quae ſunt aliae, huius furfuris cenſuras miſſas faciam, & ad cenſuram principem, & ex qua, velut ex equo Troiano, aliae univerſae prodierunt, prout decet, examinandam, & diſcutiendam progrediar, ut ſingularem meorum obtrectatorum malignitatem, ignorantiam incredibilem, & impudentiam minime ferendam, in propatulo conlocem. Si enim iuſta Apologia iis, qui in lucubrationibus meis verba, & litterulas, & apices, iniuſte criminati ſunt, non ſine vehementis orationis impetu, & gravi ſententiarum pondere, & inextricabili argumentorum perplexitate, qua ſe adverſarii nunquam expediant, reſpondere non dubitavi; quid mihi non faciundum audendumque arbitrer, ubi incocta meo pectore pietas, caſta mea religio, mea erga Eccleſiam Chriſti reverentia, temere atque inſolenter impetitur, & miris modis laceratur? Id haud patienter ferre me docent magnorum, & ſanctiſſimorum, virorum exempla crebra ac praeclara, ut *Baſilii*, *Hieronymi*, *Ioannis Pici*, aliorumque plurimorum, qui pietatem & ὀρθοδοξίαν ſuam operoſis voluminibus ſcriptis ſtrenue vindicarunt, & iniuriam calumniae huiuſcemodi intolerabilem eſſe demonſtraverunt. Faciam igitur ille ego, qui improbos alias, & procaces, ac perditos homines aequiſſimo

animo tandiu ſuſtinui, donec citra religionem eorum calumniae falſiſſimae ſubſtiterunt, & patientia eos frangere contentus fui, quum in omnibus aliis defenſione non egeat innocentia, & veritas temporis filia ſit; faciam, inquam, & me libroſque meos tuear, a calumniis adſeram, & ulciſcar laudabiliter, interea duo potiſſimum querens, unum quod me innocuum hominem, & nil mali adverſus quemquam cogitantem iniuria adgredi maluerint, & oppugnare; quam alios merentes cenſuris ſuis atque criminationibus divexare; qua quidem in re operae pretium facere potuiſſent. Quis enim non commendaviſſet, & tuliſſet laudibus, ſi accuſationes huiuſmodi, & maledicentiam, & dicteria, & inſultus, caecoſque ac temerarios impetus, adverſus eos exercuiſſent, qui non religionem tuentur, ſed impugnant; non mores formant, ſed evertunt; non pietatem colunt, ſed deſtruunt, & ludibrio habent? Sunt qui Mileſiis ſuis Dei cultum, homines Deo ſacros, Eccleſiaſtica miniſteria, irrident atque traducunt; ingenii elegantia, ſermonis nitor in eis, & ornatior ſtructura, ſubſpicitur. Sunt qui delinitis poëtico lepore conviciis Petri Cathedram adpetunt, Principes Eccleſiae praeſtringunt, inſontes premunt, nocentes extollunt: mens divinior, & os magna ſonans, in Poëta praedicatur. Eſt aliquis qui rem populi tractare doceat, & tyrannicam πολιτείας ſpeciem nulla pudoris, honeſtatis, iuſtitiae, pietatis, habita ratione, praeſeribat; magnum ſtatim patriae incrementum, & animus ſupra vulgarem captum perſpicax, praeiudiciiſque omnibus liber celebratur. Alius Deum natura, & rerum univerſitate duce deprehendi poſſe inficiatur; pernicioſa opinio ſoſpes, & tuta ſubſiſtit. Ille occaſionem peccandi pro-

ximam ſub inani obtentu delinquenti permittit; opinio non eſt improbabilis. Hic novæ indolis mendacia cudit aut ſomniat, & cum ipſa veritate confundit; immenſum aſſeclarum gregem fabricator pone ſe trahit. Falſo poenitentes, quos curſus inemendabilis vitæ in eadem vitia recidivus prope conclamatos arguit, abſolvendos alter temere pertendit, & Eccleſiae diſciplinam corrumpit: homo tamen communi ſenſu praeditus reputatur, & huc uſque non vapulat. Me unum qui tam vera & indubitata loquor, nec tam verba quam oracula fundo, utpote qui nihil amplius dicam, quam Scriptura divina me doceat, quam Spiritus Sanctus loquutus fuerit, quam Eccleſiae Patres univerſi proclament; me unum, inquam, impetunt, & tam putidis exſibilandiſque cenſuris oppugnant, ut iam ludibrium aeternum eruditis omnibus debeant. Cur illud igitur Virgilianum apte modo non uſurpem:

Quod genus hoc hominum, vel quem tam barbara
morem
Permittit patria?

Alterum autem queror quod quum tantum temporis ſpatium a mei Operis editione huc uſque defluxerit, quantum ſocordibus etiam & oſcitantibus, ſi in veritatem inquirere voluiſſent, ad eam deprehendendam ſufficere poterat; nihilo tamen minus ignaviſſimi Cenſores mei, & aut adducto ſupercilio, aut criſpatis ſannis, aut buccis inflatis, tantum praeſignes, in mediis tenebris errare uſque voluerint, & veritate ſeſe obferente, oculos pertinaciter claudere, ne cognoſcant. Immo ſtolidum quemdam, ſed frontis perfrictae, & profligatae audaciae, hominem ſubmittere nuper veriti non ſunt, qui vultu ad fraudem compoſito, & ignorantiam δυσωπίας, &

obſtipo capite praeferens, me ob hoc ipſum reum ageret; ſed impii conatus in irritum ceciderunt; nam magiſtratus ſapientiſſimus ſtultam, & calumnioſam, talique delatore dignam, poſtulationem reiecit.

Itaque poſt tam nefaria auſa, poſt tantam mihi impoſitam neceſſitatem, *reſpondere compellor*, verba ſunt *Hieronymi* adverſus Rufinum declamantis, *ne videar tacendo crimen adgnoſcere, & lenitatem meam malae conſcientiae ſignum interpreteris. Hoc eſt verum dilemma tuum, non ex dialectica arte, quam neſcis, ſed ex carnificum officina, & meditatione, prolatum. Si tacuero, criminoſus ero; ſi reſpondero, maledicus. Tu me ergo, & prohibes, & cogis ad reſpondendum. In quo utrumque moderabor, & ut obiecta diluam, & ab iniuria temperem*. Quae quidem verba doctiſſimi viri, & ſanctiſſimi hominis, eo lubentius uſurpavi, quod ipſa dudum experientia didicerim innumeros ubique non deeſſe Rufinos, non litteris, & doctrina, ut illum, praeſtantes; ſed calumnia, vi, dolo, minis, non ſecus atque illum, territantes, & maledicum eum, & conviciis debacchatum, perhibentes, quem certo ſcio, niſi ſe intrepide, prout fecit, ab impactis criminibus & tempeſtive purgaſſet, tamquam indoctum, & adrogantem hominem, & invidum, & aliena carpentem, digito monſtrandum, & elevandum, traducendumque fuiſſe. Sed maleferiati omnes faceſſant, & nos iam Apologiae noſtrae partitionem inſtituamus, quae ut certo ordine, ac facili via, progrediatur, primum altiùs omne expedientes de Apoſtolorum eruditione tam generaliter, quam ſpeciatim, differemus, ea omnia ad examen revocaturi, & illuſtraturi etiam, quae huic tractationi praeſidio & ornamento eſſe poſſunt, & difficultates univerſas amoliri; deinde de Ioannis Apoſtoli

ſtoli & Evangeliſtæ vita, educatione, doctrina, peculiariter diſputaturi ſumus; tamdem, quam vere, quam apte, quam ſapienter, de eius eruditione ac ſtilo iudicium tulerimus, ſerio ac diligentiſſime expendetur.

Duo tantum adhuc breviter animadverſa velim,

Si nimius videar, ſeraque coronide longus;

unum πάρεργα quaedam, ſed materiae & argumento adfinia, & Eccleſiaſticae primi ſaeculi hiſtoriae mirabiliter conducentia, huic meae tractationi interdum interſeri, non quod omnino neceſſaria exiſtimaverim, ſed quod commentationem illecebra varietatis amoenam conſcribere animum induxerim; & Evangelica caritate inſtructus, bonum pro malo reddens, obtrectatores, & criminatores meos, qui inſcitiam omnifariam, & praeſignem rerum Eccleſiaſticarum imperitiam, calumniando praeſeferunt, erudire deliberaverim. Alterum vero, me eſſe publicum Eccleſiaſticæ hiſtoriae in Florentina Academia Profeſſorem, & annuo quinquaginta ſolidorum ſtipendio conductum; adeoque ne nos publico aere abuti, atque Epicureorum more venari voluptates, & otio ac luſibus indulgere, videamur, ἐντυγχάνοντας pro munere inſtructuri, quamquam nihil de cathedra illa perſonantes, haſce veluti praelectiones emittimus; demonſtraturi inſuper quid in feriis autumnalibus, dum tamen irrequieta edendorum Io. Meurſii operum cura premimur, & noſtrorum ἀνεκδότων collectanea inceſſanter publicamus, & Riccardianam Bibliothecam cuſtodimus, & in neſcio quod aliud opus gratificaturi Viro Nobiliſſimo incumbimus, quaſi per iocum efficere potuerimus.

Apo-

Apoſtolos, quos Chriſtus elegit, humiles, abiectoſque, homines fuiſſe.

CAPVT II.

Bene quidem ac ſapienter Apoſtolus *Paulus* Corinthios monitis ſalutaribus inſtruens *Epiſt. I. Cap. I. verſ. 26.* ſcribebat: Βλέπετε γὰρ τὴν κλῆσιν ὑμῶν ἀδελφοί, ὅτι οὐ πολλοὶ σοφοὶ κατὰ σάρκα, οὐ πολλοὶ ΔΥΝΑΤΟΙ, οὐ πολλοὶ ΕΥΓΕΝΕΙΣ· ἀλλὰ τὰ μωρὰ τοῦ κόσμου ἐξελέξατο ὁ Θεός, ἵνα τοὺς σοφοὺς καταισχύνῃ· καὶ ΤΑ ΑΣΘΕΝΗ τοῦ κόσμου ἐξελέξατο ὁ Θεός, ἵνα καταισχύνῃ τὰ ἰσχυρά. καὶ ΑΓΕΝΗ τοῦ κόσμου καὶ ΤΑ ΕΞΟΥΘΕΝΗΜΕΝΑ ἐξελέξατο ὁ Θεός, καὶ ΤΑ ΜΗ ΟΝΤΑ ἵνα τὰ ὄντα καταργήσῃ. *Videte enim vocationem veſtram, Fratres, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi POTENTES, non multi NOBILES: ſed quae ſtulta ſunt mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes: & INFIRMA mundi elegit Deus, ut confundat fortia: & IGNOBILIA mundi, & CONTEMTIBILIA elegit Deus, & EA QVAE NON SVNT, ut ea, quae ſunt, deſtrueret.* Hic a *Paulo* de Apoſtolis & Diſcipulis Chriſti praecipue agi ex iis, quae deinde conſequuntur, elucet atque eminet; & obſervat vir longe doctiſſimus, & diſertiſſimus, *Ioannes Chryſoſtomus Homil. V.* in hoc Epiſtolæ caput; & eum ſequuti alii coeleſtium litterarum enarratores, ut *Theodoretus*, *Oecumenius*, & *Caietanus* νεώτερος in primis. Et quidem Apoſtolos, alioſque Chriſti Diſcipulos, humiles & de plebe homines fuiſse, inficiari non poteſt, niſi qui numquam divinos Evangeliſtarum commentarios evolverit. Hinc paſſim Eccleſiae Patres ignobiles eos,

&

& obſcuros, atque contemtos, praedicant, vulguſque vile & abiectum adgnoſcunt. En *Arnobius Lib. I. Adverſus gentes* de Chriſto loquens ita ait: *Ex immenſa illa populi multitudine, quae ſuam gratiam ſectabantur admirans, PISCATORES, OPIFICES, RVSTICANOS, atque id genus delegit imperitorum, qui per varias gentes miſſi, cuncta illa miracula ſine ullis fucis atque adminiculis perpetrarent.* Et ex intervallo: *Neque quidquam eſt ab illo geſtum per admirationem ſtupentibus cunctis, quod non omne donaverit faciendum PARVVLIS illis ac RVSTICIS, & eorum ſubiecerit poteſtati.* Et alibi de Apoſtolis pariter loquens infit: *Experiri libet ac recognoſcere, an cum ſuis efficere Diis poſſint, quod ab RVSTICIS Chriſtianis juſſionibus factitatum eſt nudis. Euſebius* vero Caeſarienſis, ſi is eſt operis auctor, *Lib. II. De Reſurrect. & Adſcenſ. Dom.* quos libros *Iac. Sirmundus* edidit, de Apoſtolis agens ita ſcribit: PISCATORES, PRIVATI, IGNOBILES, EGENI, *lumen mundi dicuntur.* Sed & *Joanni Chryſoſtomo Hom. III. in I. ad Corinth. Cap.* I. Apoſtoli dicuntur ΠΕΝΗΤΕΣ, καὶ ΕΥΤΕΛΕΙΣ, καὶ ἀσύνετοι, καὶ ΑΦΑΝΕΙΣ. *PAVPERES, & ABIECTI, & inſipientes, & OBSCVRI.* Quam praeclare autem ſunt quae late diſputat ὁ πάνυ *Auguſtinus* Apoſtolorum abiectionem exaggerans! Ecce *Epiſtola ad Voluſianum* de iis verba faciens, *Ex imperitiſſimis,* inquit, *ex* ABIECTISSIMIS, *ex pauciſſimis, illuminantur, nobilitantur, multiplicantur, &c. Libro* autem *XVIII. De Civit. Dei Cap. XXXXIX.* in haec verba ſcribit: *Elegit diſcipulos, quos & Apoſtolos nominavit, HVMILITER NATOS, INHONORATOS, &c. Libro* vero *XXII. Cap. V.* de Chriſti reſurrectione, & ad coelum adſcenſione, ab Apoſtolis praedicata, agens, *Incredibile eſt*, inquit, *homines* IGNO-

BI-

BILES, *INFIRMOS*, *pauciſſimos*, *imperitos*, *rem tam incredibilem*, *tam efficaciter mundo*, *& in illo etiam doctis*, *perſuadere potuiſse*. Et mox: *Si autem*, *ut verum eſt*, *paucis*, *OBSCVRIS*, *MINIMIS*, *indoctis*, *eam ſe vidiſſe dicentibus*, *& ſcribentibus*, *credidit mundus*, *&c.* Et alia huiuſmodi etiam in aliis Epiſcopi doctiſſimi voluminibus offendere eſt, quae illud, quod dixi, mirabiliter confirmant & adſtruunt.

Et profecto vel ipſa Apoſtolorum patria humilem eorum conditionem, & obſcurum genus, arguit; nam *Theodoretus in Pſalm. LXVII. verſ.* 23. animadvertit pleroſque Apoſtolorum e Zabulonis, & Nephthalimi, tribubus fuiſse. Et quidem Galilaei omnes paſsim habebantur, ut ex *Actor. Capp.* I. *verſ.* 11. *& II. verſ.* 7. evidenter conſtat. *Ioannes* autem *Chryſoſtomus* Acta Apoſtolorum ediſserens obſervat, Galilaeam, regionem fuiſse, quae nihil boni proferre poſse cenſebatur, & cuius incolae, ruſticiores, atque intractabiles, incultique, magis erant, quam in aliis Iudeae plagis. Id ſatis indicatur ex reſponſo Nathanaelis ad Philippum, apud *Ioannem Cap. VII. verſ.* 41. 52. quod & *Calmetius* in *Dictionario Biblico* v. *Galilaei* animadvertebat; & coniicitur etiam ex eis, quae de Galilaeis *Ioſephus Lib. III. De Bello Iudaic. Cap.* 11. habet, eos belli ſtudiis aſperos, audaceſque, deſcribens.

Sed humile & ignobile eorumdem genus ipſa opificia, & artes, quas, ut vitam tolerarent, exercebant, luculenter oſtendunt, &, quibus premebantur, rei familiaris anguſtiae. Quod eorum miniſteria attinet omnes indiſcriminatim a quibuſdam piſcatores fuiſſe perhibentur. Ecce *Hieronymus Vida Lib.* 1. *Chriſtiados* de Apoſtolis loquens, canit:

Qui-

Quique modo indociles vitam piſcoſa ſecundum
Flumina venatu tenui ſine more trahebant.

Et quidem eos generatim non aliter adpellat *Iſidorus* Peluſiota, ut videre eſt *Lib. I. Epiſt. CLXXXIII.* & *Auguſtinus Lib. XXII. De Civitate Dei Cap. V.* Auctor Epiſtolae ſuppoſititiæ *De morte Hieronymi*, omnes, praeter Bartholomaeum & Matthaeum, *pauperrimos piſcatores* fuiſſe ait. Synodus Mediolanenſis anni DCLXXIX. ad Conſtantinum Pogonatum Imperatorem ſcribens, eos in piſcatores & ruriculas dividit. *Nam ſi relegas*, inquit, *inſigniſſime Imperator, non cum Dialecticis, non cum Rhetoricis, non cum Grammaticis, ſed cum ruricolis & piſcatoribus; Dominus poſuit rationem, & his tradidit ſui ſecreta conſilii, quos & principes ordinavit, quibus ligandi ſolvendique tribuit poteſtatem.* Auctor *Conſtitut. Apoſtol. Lib. II. Cap. LXIII.* in tria opificum genera diſpertit, hoc eſt in piſcatores, in tentoriorum opifices, & in agricolas. *Origenes Lib. I. contra Celſum*, cum aliis Eccleſiae Doctoribus, eos in piſcatores & publicanos diſtinguit. Et ſi paulo ante Iacobum & Ioannem nautas fecit; eo loci magis ex mente Celſi ſermonem inſtituit, quam ex ſua: quamquam in *Chronico Hippolyti* Thebani, & in *Nicephoro Lib. II. Cap. III.* Zebedaeus ἰδιοναύκληρος eſt, *navim propriam habens*. Publicanos, Matthaeum, Iacobum, & Iudam, facit adnotatio quaedam ſubiuncta Evangelio Matthaei, in Bibliothecae Regiae MS. Codice 1007. & quoad Iacobum idem adfirmant *Ioannes Chryſoſtomus*, *Euthymius*, & *Theodoretus*; illi ad *Matthaei Cap. X. v. 5.* hic ad *Pſal. LXVII. 7.* Sed in titulo *Capitis LXIII. Libri II. Conſtitut. Apoſtol.* Editionis Bovianae, Iudas & Iacobus agricolae dicuntur, & teſtes *Hegeſippus*, *Tertullianuſque*, advocantur. At in editione Co-

tele-

telerii legitur: *οἱ δὲ περὶ ἰούδαν ἰακώβου γῆς ἐργάται. Iudas vero Iacobi, agricola.* Id quod confirmari videtur ex eo, quod *Euſebius* narrat; Iudae ſcilicet nepotes agricolas fuiſſe, & pauca ſui ruris iugera colendo vitam toleraviſſe. Inter publicanos tamen, & quaſi quidem eorum princeps, recenſetur Matthias a quibuſdam apud *Clementem* Alexandrinum *Lib. IV. ςρωματ.* Indiculus autem nominum Apoſtolorum ſumtus a *I. B. Cotelerio* ex antiquis MSS. Chriſtianiſſimi regis *num.* 1789. *&* 1026. Bartholomaeum cultorem paſcui, ſeu olerum ſatorem, facit; Iacobum Alphaei arte lapicidam; & aurigam profeſſione Philippum. *Metaphraſtes* vero apud *Surium*, Thomam, & Bartholomaeum, piſcatores fuiſſe ait, ſicuti Petrus & Andreas, Ioannes & Iacobus, vere fuerunt, *Matthaeo Cap. IV. Marco Cap. I. Luca Cap. V.* auctoribus luculentiſſimis. Paulum vero tabernaculorum opificem *σκηνοποιὸν* fuiſſe *Lucas* laudatus in *Actis Cap. XVIII.* teſtatur; quare eum *σκυτοτόμον Theodoretus Quaeſt. XVI. in Iudices* vocat. Ceterum tenendum omnino eſt cum *Origene* loco laudato, praeter quatuor ſtatim memoratos piſcatores, & unum publicanum Matthaeum, ignorari qua ex arte victum ſibi compararint reliqui ex duodecim, antequam a Chriſto eſſent vocati. Artes tamen etiam inter Evangelizandum exercuiſſe adfirmat *Auctor Conſtit. Apoſtol. Lib. II. Cap. LXIII.* quod confirmat *Hieronymus*, *Epiſt. IV. ad Ruſticum* his verbis: *Apoſtoli habentes poteſtatem de Evangelio vivere, laborabant manibus ſuis, ne quem gravarent;* & *S. Iſidorus* in *Regula* ſua ſic ſcribens: *Siquidem & Petrus Princeps Apoſtolorum piſcatoris geſſit officium; & omnes Apoſtoli corporale opus faciebant, unde vitam corporis ſuſtentabant.* Attamen ex *Auguſtini* ſententia, *Libro*

de

de Opere Monachorum Cap. XX. ceteri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas, manibus non operabantur, ſed Paulus dumtaxat & Barnabas, ut *ex I. ad Corinth. Cap. IX. verſ. 4.* conſtat.

Quamquam vere haec ipſa Apoſtolorum exercitia, eorum paupertatem & inopiam plane evincunt; ſunt etiam quaedam in Evangeliis loca, quae rite intellecta & expoſita, eamdem luculente confirment. Apoſtolos enim reſpexiſſe videtur Ieſus Chriſtus, quum *Matthaei Cap. V. verſ. 3. & Lucae Cap. VI. verſ. 20.* beatos pauperes eſſe declarat. Etſi enim *Auguſtinus*, aliique recentiores, ea loca aliter interpretati ſunt, nihilominus Chriſtus de vere, & reipſa, pauperibus loqui cognoſcitur, ut obſervat etiam *Bernardus Lamius* in ſua *Harmon. Evang.* Praeclara autem verba ſunt *R. Simonii Part. III. Hiſt. Crit. N. T. Cap. XVII. Il ſemble que Jeſus Chriſt parle de ceux qui etoient veritablement pauvres, comme le mot de* πτωχοί, *que Tertullien a traduit par* mendicantes, *l' inſinue. Il n' y avoit preſque, que des pauvres, qui ſuivoient Jeſus Chriſt; c' eſt pourquoi s' adreſſant a eux il loue le bonheur de leur pauvreté. Le mot de* τῷ πνεύματι, d' eſprit, *qui eſt ajoutè, fait toute l' ambiguitè de ce paſſage; mais comme il ſignifie quelquefois* veritablement, *ou* de cœur *&* d' affection, *je croi ch' on lui doit donner icì ce ſans la, parce qu' il eſt joint au mot de* πτωχοί. *Soit donc qu' on liſe avec S. Matthieu,* οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι, les pauvres d' eſprit, *ou qu' on liſe ſimplement avec S. Luc* οἱ πτωχοὶ les pauvres, *le ſens n' eſt point different.* At id totum multo clarius *Lucas* VII. 22. inſinuat, apud quem Chriſti verba ad praeſentem multitudinem convertuntur: *Beati PAVPERES; quia VESTRVM eſt regnum Dei;* quod ſi & divites eodem modo adloquitur, certum tamen

eſt

eſt eos beatorum albo non inſcribi, quibus triſte illud *vae* comminatur. Ad eoſdem Apoſtolos, alioſque, qui eum ſectabantur, reſpexiſſe Ieſum arbitror, & eorum conditionem deſignaſſe, quum beatos eos, qui eſuriunt & ſitiunt, pronuntiavit; quamquam enim *Matthaeus* addit *iuſtitiam*, *Lucas* tamen loquitur abſolute. Nec aliud videtur illud *iuſtitiam* ſignificare quam *propter iuſtitiam*, quod quidem paulo poſt apud eumdem Matthaeum habetur. Hinc doctiſſimus *Maldonatus* hanc interpretationem omnibus aliis praetulit, nulla Patrum aliter ſentientium ratione habita; quod & *Simonius* loco laudato vehementer probat. Sed quod ambiguitatem omnem tollit, eſt quod Chriſtus *Matth. XI.* 5. *Lucae VII.* 22. a pauperibus regnum caelorum adnunciari ait: *PAUPERES Evangelizantur*. At licet pauperes Apoſtoli fuerint, *Ambr.* tamen *Catharino* non adſenſerim, dum diem *Caietano* dicit, quod Ieſum, eiuſque Apoſtolos, umquam mendicaſſe negaverit: nulla enim certa & indubia auctoritate *Catharini*, opinio fulcitur; & nugari videtur *Salmero*, qui ex eo quod Chriſtus *Ioann. IV.* 7. dixerit: *Mulier da mihi bibere*, Chriſtum mendicaſſe, & mendicantium ordinem probaviſſe, deducere fruſtra conatur; cui etiam ſocius *Pererius* obſtat, a *Chriſtoph. Pelargo* (liceat πολυμαθείας ἕνεκα Lutheranum ἐξηγέτην producere) ei merito oppoſitus.

Sed & illi ipſi, quibuſcum Apoſtoli conſuetudinem habebant, ſatis inſinuare poſſunt, eos humiles admodum, & obſcuri generis, fuiſſe. Petrus Ioppae quum eſſet, in domo Simonis coriarii diverſabatur, ut *Lucas Actor. Cap. X. verſ.* 6. memoriae prodidit. Paulus autem Corinthi apud Aquilam Ponticum σκηνοποιὸν, hoc eſt *tabernaculorum artificem*, ὁμό-

τεχνος

τέχνος morabatur, eodem *Luca Actor. Cap. XVIII.* auctore.

Iure igitur *Petrus Chryſologus Sermone XXVIII.* ſcriptum reliquit: *Petrus & Andreas, Iacobus & Ioannes, germanitas combinata, imo congeminata paupertas, in Apoſtolorum principes eliguntur, pauperes cenſu, loco humiles, viles arte, obſcuri vita, labore communes, addicti vigiliis, fluctibus mancipati, negati honoribus, iniuriis dati, praeſidio retis, ſolo piſcium captu, victum veſtitumque conquirentes. Sed in iſtis quantum vilis mundanus videbatur adſpectus, precioſas tantum animas Dei intuitus tunc videbat. Erant cenſu pauperes, ſed innocentia locupletes; loco humiles, ſed ſanctitate ſublimes; viles arte, ſed ſimplicitate precioſi; obſcuri vita, ſed vitae merito perlucentes; labore communes, ſed propoſito ſingulares; addicti vigiliis, ſed ad caeleſtes victorias iam vocati; fluctibus mancipati, ſed fluctibus non demerſi; negati honoribus, ditati magis honoribus, non negati; iniuriis dati, ſed iniuriis non relicti; captores piſcium, ſed piſcatores hominum iam decreti.*

Quae tamen de Apoſtolorum innocentia tradit, de iis poſtquam Ieſum ſequuti ſunt intelligenda videntur. Nam vetus eſt Eccleſiae traditio, Apoſtolos, Dominique diſcipulos, non abiectos tantum, obſcuroſque, homines fuiſſe; ſed peccatores etiam, & minus integris moribus. Auctor enim ille pervetuſtus Epiſtolae, quae Barnabae vulgo tribuitur, iſthuc ipſum adfirmat *Gap. V.* & his, quae ſequuntur, quidem verbis: Ὅτε δὲ οὕτως ἰδίους. Ἀποστόλους μέλλοντας κηρύσσειν τὸ εὐαγγέλιον αὐτοῦ ἐξελέξατο ὄντας ὑπὲρ πᾶσαν ἁμαρτίαν ἀνομωτέρους. *Tunc Apoſtolos tuos, qui Evangelium praedicare debebant, & erant ſuper omne peccatum peccatores, elegit.* Id quum noviſſet *Celſus*

ille Epicureus, qui impiis voluminibus Chriſtianam
ſapientiam impugnavit, Apoſtolos, nefarios homi-
nes, & publicanos, & nautas improbiſſimos, ſacri-
lego ore adpellavit; quod quidem *Origenes Libro I.*
ei reſpondens minime inficiatur, ſed magis confir-
mat, haec litteris mandans: Ἐπεὶ δὲ καὶ ἐπιῤῥήτους
εἶπεν ἀνθρώπους τελώνας. καὶ ναύτας πονηροτάτους λέγων ὁ
Κέλσος τοὺς Ἀποσόλους τοῦ Ἰησοῦ, καὶ περὶ τούτου φήσομεν,
ὅτι ἔοικεν ἵνα μὲν. ἐγκαλέσῃ τῷ λόγῳ πιςεύειν ὅπου θέλει τοῖς
γεγραμμένοις, ἵνα δὲ τὴν ἐμφαινομένην θειότητα ἐν τοῖς αὐ-
τοῖς βιβλίοις ἀπαγγελλομένην μὴ παραδέξηται ἀπιςεῖν τοῖς
εὐαγγελίοις, δέον τὸ φιλαληθὲς ἰδόντα τῶν γραφέντων, ἐκ
τῆς περὶ τῶν χειρόνων ἀναγραφῆς πιςεῦσαι καὶ περὶ τῶν θειο-
τέρων. γέγραπται δὲ ἐν τῇ Βαρνάβα καθολικῇ ἐπιςολῇ, ὁ
Κέλσος λαβὼν τάχα εἶπεν εἶναι ἐπιῤῥήτους καὶ πονηροτά-
τους τοὺς Ἀποσόλους. ὅτι ἐξελέξατο τοὺς ἰδίους Ἀποσόλους ὁ
Ἰησοῦς, ὄντας ὑπὲρ πᾶσαν ἀνομίαν ἀνομωτέρους. καὶ ἐν τῷ
κατὰ Λουκᾶν δὲ Εὐαγγελίῳ φησὶ πρὸς τὸν Ἰησοῦν ὁ Πέτρος.
ἔξελθε ἀπ' ἐμοῦ ὅτι ἀνὴρ ἁμαρτωλός εἰμι κύριε. Ἀλλὰ καὶ ὁ
Παῦλος ἐν τῇ πρὸς Τιμόθεόν φησι καὶ αὐτὸς ὕςερον Ἀπό-
ςολος γενόμενος Ἰησοῦ. ὅτι πιςὸς ὁ λόγος, ὅτι Ἰησοῦς Χρι-
ςὸς ἦλθεν εἰς τὸν κόσμον ἁμαρτωλοὺς σῶσαι, ὧν πρῶτός εἰ-
μι ἐγώ. τί οὖν ἄτοπον βουλόμενον παραςῆσαι τῷ γένει τῶν
ἀνθρώπων τὸν Ἰησοῦν ὑπηλίκην ἔχει ψυχῶν ἰατρικὴν, τοὺς
ἐπιῤῥήτους καὶ πονηροτάτους ἐπιλέξασθαι. καὶ τούτους προαγα-
γεῖν ἐπὶ τοσοῦτον, ὥςε αὐτοὺς παράδειγμα εἶναι ἤθους καθα-
ρωτάτου τοῖς δι' αὐτῶν προσαγομένοις τῷ Χριςοῦ εὐαγγελίου;
*Sed quoniam nefarios homines, publicanos, & nautas
improbiſſimos, Apoſtolos Ieſu Celſus adpellavit, & de
hoc dicemus videri Celſum, quando libitum eſt, quo
criminari poſſit, ſcriptis Evangelicis credere: ne au-
tem adparentem divinitatem, quae libris illis teſtata
eſt, admittat, fidem omnem Evangelii abrogare; quum
par eſſet eum amorem veritatis in iis qui ſcripſerunt
animadvertentem, ex eo ipſo, quod deteriora ſcripſe-
runt, & de divinioribus credere. Scriptum autem eſt*

in

in Barnabae Catholica Epiſtola, quod adripiens Celſus ſtatim effutiit, nefarios & ſceleſtos eſſe Apoſtolos, quod elegiſſet Ieſus proprios Apoſtolos ex omni ſcelerum iniquitate concretos: & in Evangelio Lucae ait ad Ieſum Petrus. Diſcede a me quia vir peccator ſum, Domine. *Sed & Paulus, qui poſtea fuit Apoſtolus Ieſu, in Epiſtola ad Timotheum ſcribit:* Fidelis ſermo quia Ieſus Chriſtus venit in mundum ut peccatores ſalvos faceret, quorum primus ego ſum. *Quid ergo alieni habeat, ſi Ieſus quum hominum generi quantamcumque habebat animorum medicinam exhibere vellet, exſecrabiles & improbiſſimos delegit, hoſque eo provexit, ut morum ſanctiſſimorum exemplar iis eſſent, quos ad Chriſti Evangelium adduxiſſent?* Iſthuc ipſum adſeveraſſet etiam *Ignatius* Martyr, ſi *Euſ. Hieronymo lib. III. Adverſ. Pelagium* fides adhibenda eſſet, dum haec ſcribit: *Ignatius vir Apoſtolicus & Martyr, ſcribit audacter: Elegit Dominus Apoſtolos, qui ſuper omnes homines peccatores erant.* Sed ambigendum non eſt quin in hoc lapſus fuerit *Hieronymus*, & Ignatium Martyrem pro Barnaba Apoſtolo laudaverit, quum locus adhuc exſtet, non in Ignatianis, ſed in Barnabae, quae circumfertur, Epiſtola. *Caveus* autem opinatur ideo hallucinatum fuiſſe Hieronymum, quod olim Polycarpi, Barnabae, & Ignatii, Epiſtolae in eodem Codice, quandoque nulla interpoſita diſtinctione, deſcriberentur. Et in Codice quidem Mediceo Polycarpi, & Barnabae Epiſtolae eo modo ſcriptae reperiuntur. Nil mirum autem ulterius ſi Ieſus Apoſtolos peccatores elegit, quum pateat etiam *in genealogia Salvatoris nullam ſanctarum adſumi mulierum, ſed eas quas ſcriptura reprehendit; ut qui propter peccatores venerat, de peccatoribus naſcens, omnium peccata deleret;* quae *Hieronymi* in *Caput I.*

Matthaei verba ſunt. Hinc illa adverſus eum conflata calumnia, quam *Matthaeus cap. IX.* refert: *Ecce homo verax, & potator vini; publicanorum, & peccatorum, amicus.*

Verum difficultates quaedam amoliendae iam ſunt. *Hieronymus* Epitaphio Marcellae haec ſcribere non dubitat: *Ieſus Ioannem Evangeliſtam amabat plurimum, qui propter generis nobilitatem erat notus Pontifici, & Iudaeorum inſidias non timebat, in tantum ut Petrum introduceret in atrium, &c.* At quis non videat incertum omnino eſſe an ille, qui notus Pontifici in Evangelio dicitur, Ioannes Apoſtolus eſſet? Non me quidem fugit mercenarios ipſum, fratremque, & Patrem in navicula habuiſſe, ut ex *Marco cap. I. verſ.* 20. liquet, quod forte in cauſſa eſt cur *Origenes lib. I. contra Celſum*, ſeu *Celſus* ipſe, ναύτας illos adpellet, quum Petrum & Andream piſcatores ἁλιεῖς vocet; attamen exploratum quoque eſt, eos omnes piſcatores fuiſſe ut habet *Marcus* loco citato *verſ.* 19. & ea arte vitam toleraviſſe, quod explicat *Baſilius Magnus Reg. Fuſ. VIII.* & *Hilarius Lib. II. de Trinit.* confirmat. Quod ſi Scriptores quidam, ut *Sophronius* Ieroſolymitanus Epiſcopus, in Codicibus Regiis 750. & 2375., & *Metaphraſtes* in *Chronico* inedito eiusdem Bibliothecae *Cod.* 2363. & *Hippolytus* Thebanus in *Chronico* MS. Regio *Cod.* 1296. Salomen Ioſephi filiam, Zebedaei uxorem faciunt, adeoque eam ex regia Davidis ſtirpe derivant, apocryphis ſcriptis fidem adhibentes id adſeruiſſe videntur. Falſarius Auctor Epiſtolae *de morte* B. *Hieronymi*, Bartholomaeum nobili genere prosatum perhibet, & quidem his verbis: *Duodecim fatemur Chriſtum Apoſtolos elegiſſe: quorum omnium ſolus Bartholomaeus carnis origine fuit nobilis; & Matthaeus divitiis, antequam reciperet Apoſtola-*

ſtolatum, *inſiſtebat: ceteri vero erant pauperrimi piſcatores*. Hinc forte *Pſeudo-Abdias* tot illi veſtium ornatus adſerit, quot alibi opportune indicabimus. Sed quiſnam ſcriptis huiuſmodi adulterinis fidem adhibebit? Quis adeo floccifacienda auctoritate ſe abduci patietur? Nec aliam fidem meretur Vita Matthiae Apoſtoli, quae a Iudaeis conſcripta fuiſſe traditur, & in qua hunc Apoſtolum illuſtri proſapia ortum legere eſt; quum nulla certa ea auctoritate roboretur, & opus ſuppoſititium eſſe perſpicue deprehendatur, ut ex *Tillemontio* quoque eruditiſſimo ſatis intelligimus.

Recte igitur, ac divinis ſuis conſiliis congruenter, Ieſus Chriſtus Apoſtolos, & Diſcipulos, adeo humiles & abiectos elegit, qui quum Deus eſſet, & regia ſecundum conditionem humanam Davidis ſtirpe progenitus, ſervi formam & peccatoris ſimilitudinem ſumſerat; & bene ac ſapienter *Clemens* Epiſtola ad Corinthios tantam Ieſu humilitatem diſerte praedicavit. Τὸ σκῆπτρον, inquit, τῆς μεγαλοσύνης τοῦ Θεοῦ ὁ Κύριος ἡμῶν Χριστὸς Ἰησοῦς, οὐκ ἦλθεν ἐν κόμπῳ ἀλαζονείας, οὐδ' ὑπερηφανείας, καίπερ δυνάμενος, ἀλλὰ ταπεινοφρονῶν. *Sceptrum magnificentiae Dei Dominus noſter Ieſus Chriſtus, non venit in iactantia ſuperbiae, & adrogantiae, quamvis potuerit, ſed in humilitate.*

Primitivos Chriſtianos humili admodum genere, & conditione, ut plurimum fuiſſe.

CAPVT III.

SED etſi de Apoſtolorum humilitate, & obſcuro genere, teſtimonia adeo certa & luculenta non ſuppeterent; tamen id quod adſeruimus, ignobilis ac vilis primitivorum Chriſtianorum conditio, exiguae opes, genus pariter obſcurum, ſatis evincerent atque demonſtrarent. Ignobiles enim ruſticique coeleſtis ſapientiae praecones atque magiſtri, ſuperbos divitum nobiliumque animos, gratiae, quae humilibus datur, reſiſtentes, non facile perſuadebant; ſed turba ſimplex ac vilis admirabilem Apoſtolorum doctrinam faciliter amplexa eſt, dicente Deo per Prophetam: *Ad quem reſpiciam niſi ad pauperculum, & trementem ſermones meos?* Egregie de more *Lactantius Lib. VII. Div. Inſtit. Cap. I. Eo ſit ut pauperes, & humiles Deo credant facilius, quod ſunt expediti, quam divites, qui ſunt impedimentis plurimis implicati, immo catenati, & compediti ſerviunt ad nutum dominae cupiditatis, quae illos inextricabilibus vinculis irretivit: nec poſſunt in coelum adſpicere, quoniam mens eorum in terram prona humique defixa eſt.* Similia habet *Hieronymus in Ionam Cap. III.* Similia quoque vetuſti Interpretes ad locum D. Pauli, quem ex *Epiſtola I. ad Corinthios* capite antecedente deſcripſimus: quem quidem locum, etſi de Apoſtolis potiſſimum cum longe doctiſsimis viris intellexerimus, tamen & reliquos primitivos Chriſtianos reſpicere, res manifeſtior eſt, quam ut dubitare quis poſſit.

et Docet D. Jo. Chrysostomus hunc locum Epistolae ad Corinthios edisserens

Er-

Ergo non multi nobiles, iuxta *Paulum*, non multi potentes, non multi divites; ſed ignobiles ut plurimum, & contemtibiles, & nauci homines, Chriſti myſteriis, Apoſtolis Evangelium adnunciantibus, primum initiati ſunt. Praeclariter ad hunc locum *Nicetas* Heracleenſis, cuius Commentarii in Epiſtolas omnes D. Pauli in Bibliotheca Laurentiana MSS. adſervantur: *οἱ δυνατοὶ καὶ οἱ εὐγενεῖς τύφου πεπληρωμένοι· οἱ μὲν διὰ τὸν πλοῦτον· οἱ δὲ διὰ τὸ γένος, ἐξέλκουσιν ἑαυτοὺς τῆς θεογνωσίας, καὶ οὐκ αἱροῦνται τῶν παρόντων καταφρονεῖν. καὶ πανταχοῦ τὰ ἀποβόλιμα, καὶ τὰ εὐτελῆ προσελάβετο. Potentes & nobiles ſuperbia pleni; illi quidem ob divitias; hi, ob genus, Dei cognitioni ſe ſubtrahunt, nec praeſentia contemnere eligunt; & omnino abiecta & vilia adſumta fuerunt.* *Pelagius* etiam, doctus quidem ſed haereticus, haec ad eumdem locum commentatur: *Videte enim vocationem veſtram, fratres. Exemplum accepit ex his qui crediderant, ut oſtendat quia non prodeſt gloriatio carnalis ad fidem, ſed magis obeſt; dum ſuperbia ſapientiae, & nobilitatis inflati, homines Dei ſapientiae ſubiacere noluerunt.* Equidem ſi ſacram Eccleſiae hiſtoriam percurrere lubet, & quinam ac quales Chriſtianis ritibus primo ſaeculo inhaeſerint, curioſius inquirere, eos ut plurimum viles, humiles, deſpectos, paupereſque homines fuiſse comperiemus, ſive genus, ſive miniſteria, ſive ſexum & aetatem, ſive mores, ſive opes, ſive habitum, veſteſque, reſpiciamus.

Itaque etſi ſtatim ab acceptis Spiritus Sancti chariſmatis, Iudaeorum multos Petrus Apoſtolus ad Chriſti ſapientiam traduxerit, principes tamen omnes viros, & ſacerdotes, & magiſtratus, & Phariſaeorum Subducaeorumque haereſes, illi aliiſque Apoſtolis adverſatos fuiſse, eoſque captos in carce-

Qui vero vel dignitate eminebant, vel honoribus inhiabant, non omnino sincere Christianae legi haesisse indicare videtur Ignatius Martyr Epist. ad Trallianos pag. 18.

D. S. Gregorius vero Turonensis Lib. 1. Histo. de Biturigum civitate agens scribit: Senatores vero, vel reliqui meliores loci

res conieciſse, *Lucas* in *Actis cap. IV. & V, & ſequentibus*, diſerte teſtatur. Hinc *Hieronymus* Prooemio *Libri III. ſuorum Commentariorum in Epiſtolam ad Galatas* litteris mandavit: *Eccleſia Chriſti non de Academia & Lyceo, ſed de VILI PLEBECVLA congregata eſt*. Hinc & *Caecilius* apud *Minutium Felicem* in *Octavio* adverſus Chriſtianos ita diſſertat: *Homines deploratae, inlicitae, ac deſperatae factionis graſſari in Deos non ingemiſcendum eſt? Qui de VLTIMA FAECE collectis imperitioribus & mulieribus credulis ſexus ſui facilitate labentibus, PLEBEM profanae coniurationis inſtituunt*. Et mox ſuae declamationi iam modum imponens ita Octavium Chriſtianum hominem irridet: *At quid ad haec audet Octavius homo Plautinae proſapiae, ut piſtorum praecipuus, ita poſtremus philoſophorum?* Haec omnia, quae humilem Chriſtianorum conditionem attinent, non inficiatur Octavius, ſed magis probat; quamquam & eam aliquando voluntariam eſſe ſubindicat: *Nec de* VLTIMA *ſtatim*, inquit, *PLEBE conſiſtimus, ſi honores veſtros & purpuras recuſamus*. Sed & ſecundi ſaeculi *Auctor*, qui Dialogum *Philopatris* inſcriptum Chriſtianos irriſurus compoſuit, Chriſtianos vel tamquam homunciones, vel tamquam rupicones, vel tamquam emarcidos vetulos paſſim traducit; & *Celſus* apud *Origenem Lib. III.* Chriſtianos pleroſque ait ἀγεννεῖς & ἀνδράποδα, IGNOBILES, & MANCIPIA, fuiſſe. Apud *Prudentium* autem ita Praeſes Romanum martyrem adloquitur:

Tu ventilator urbis, & VVLGI LEVIS
Procella, mentes inquietas mobiles, &c.

Sed ne ſolis Ethnicorum ſaepe calumniantium teſtimoniis abuti videamur, *Tertullianus* quoque *Apologetico Cap. III.* obſcurum Chriſtianorum genus perſpi-

ſpicue indicat, ubi ſcribit: *Alii, quos retro ante hoc nomen*, VAGOS, VILES, *improbos, noverant, ex ipſo denotant quo laudant, caecitate odii in ſuffragium impingunt, &c. Theodoretus* quoque *Serm. VIII.* fatetur, Chriſtianos pleroſque non divites aut doctos fuiſse, ſed χαλκοτύπους, οἰκέτας, &c. *fabros aerarios*, SERVOS, &c.

Et hic quidem *Theodoreti* locus plenior adferendus; nam alia miniſteria, & artes Chriſtianorum diſtincte docet, dum ait fuiſse χαλκοτύπους, οἰκέτας, καὶ προσαίτας, καὶ γηπόντας, καὶ ἀλσοκόμους. FABROS FERRARIOS, *ſervos, & mendicos*, & AGRICOLAS, & LIGNATORES. *Iuvenalis* quidem *Satira IV.* Chriſtianos *Cerdonum* nomine traducit, eos viles artifices, & qui labore ſuo victum quaererent, ita innuens; ait enim Domitiano tot clariſsimorum & nobiliſsimorum virorum caedes impune fuiſſe, & tunc demum morte ſua luiſse poenas, quum in cerdones, abiectaeque ſortis homines, hoc eſt, Chriſtianos, ſaevire coepiſſet. Caeſus eſt enim anno XCVI. quum praecedenti Chriſtianos perſequi adgreſſus eſſet. Verſus Poëtae ſunt:

Atque utinam his potius nugis tota illa dediſſet
Tempora ſaevitiae, claras quibus abſtulit urbi,
Illuſtreſque, animas impune, & vindice nullo:
Sed periit poſtquam CERDONIBVS eſſe timendus
Coeperat: hoc nocuit Lamiarum caede madenti.

Id forte *Iuvenalis* obſervat, quod Chriſtiani in violenta Domitiani morte divinam ultionem adgnoſcerent ac praedicarent. Et quidem opifices, & deſpectos homines, pleroſque Chriſtianorum exſtitiſſe exemplis etiam inſignibus demonſtrari poteſt. Ecce Aquilam Ponticum, & Priſcillam uxorem eius, σκηνοποιούς fuiſſe; Ioppenſem autem Simonem, coriarium,

rium, memoriae prodidit *Lucas* in *Actis*. Iudae autem Apoſtoli nepotes paternum rus exercendo vitam toleraviſſe, tradit Caeſarienſis *Euſebius lib. III. Hiſtor. Eccleſ. cap. XX.*

Sed & feminas atque infantes puerosque, praecipue Chriſtianum dogma coluiſſe, multa ſunt quae perſuadeant. Nil de viduis dixerim, quae primitivorum Chriſtianorum menſis miniſtrabant, & quarum *Lucas Actor. cap. VI.* meminit. Nil de aliis viduis, quae Petrum circumſteterunt, ut mortuam Dorcadem in vitam revocaret rogantes, quas idem divinus auctor *Cap. IX.* laudati operis deſcribit. Nil de viduis huiuſmodi, de quibus non pauca habet Apoſtolus *Epiſt. I. ad Timoth. cap. V. & Epiſt. ad Tit. cap.* II. & tam multa diſponuntur *Lib. III. Conſtitut. Apoſt.* Sed quid aliunde de feminis ad Chriſtianos ritus convolantibus intelligi poteſt, heic a me producendum. Et primum ecce *Caecilii* apud *Minutium Felicem* iterum verba: *Homines deploratae, inlicitae, ac deſperatae, factionis graſſari in Deos non ingemiſcendum eſt? Qui de ultima faece collectis imperitioribus, &* MVLIERIBVS *credulis ſexus ſui facilitate labentibus, plebem profanae coniurationis inſtituunt.* Id *Octavius* non inficiatur, ſed tantum reſpondere haec contentus eſt: *At quoniam meus frater erupit, aegre ſe ferre, ſtomachari, indignari, dolere, illitteratos, pauperes, imperitos, de rebus coeleſtibus diſputare: ſciat omnes homines ſine delectu* AETATIS, SEXVS, *dignitatis, rationis & ſenſus capaces, & habiles procreatos, &c.* Celſus autem apud *Origenem Lib. III.* Chriſtianos criminans ait evidenter elucere ὅτι μόνους τοὺς ἠλιθίους, καὶ ἀγεννεῖς, καὶ ἀναισθήτους, καὶ ἀνδράποδα, καὶ ΓΥΝΑΙΑ καὶ ΠΑΙΔΑΡΙΑ πείθειν ἐθέλουσί τε καὶ δύνανται. *Solos fatuos, ignavos, ſtolidos, mancipia,* MVLIER-

CV-

CVLAS, PVEROS, *captare ac pellicere*. *Iulianus* Auguſtus ὁ παραβάτης apud *Gregorium Nazianzenum Orat.* 11. & *Cyrillum lib.VI.* Chriſtianos ridet quod cum pueris, & decrepita aetate mulierculis Eccleſias frequentarent. Praeſes apud *Prudentium* in *Agone Fructuoſi* ita martyrem adloquens,

> *Tu qui doctor, ait, ſeris novellum*
> *Commenti genus, ut LEVES PVELLAE*
> *Lucos deſtituant, Iovem relinquant;*
> *Damnes ſi ſapias ANILE DOGMA.*

Non aliter ac ille Praeſes, vetuſtior Dialogi *Philopatridos* auctor, Chriſtianorum placita non niſi mulierum & anicularum ſomnia & deliramenta nuncupando, elevat atque contemnit. Sed nec *Theodoretus* ipſe *Serm.VIII.* mulieres γυναῖκας bonam eſſe coetus Chriſtiani partem negat; nec doctus *Tatianus* Aſſyrius Theodoreto multo antiquior, qui huiuſmodi Ethnicorum criminationes egregie retundit atque confutat, non negans quidem feminas Chriſtianae ſapientiae myſteriis initiari, & divinos ſermones edisserere; ſed ita nihil fieri docens quod a Graecis factum non fuerit. Quum enim varias & multas Graecas feminas, doctrina & eruditione conſpicuas recenſuiſſet, ſubdit: ταύτας δὲ εἰπεῖν προυθυμήθην, ἵνα μηδὲ παρ' ἡμῖν ξένον τι πράττεσθαι νομίζητε, καὶ συγκρίναντες τὰ ὑπ' ὄψιν ἐπιτηδεύματα, μὴ χλευάζητε τὰς παρ' ἡμῖν φιλοσοφούσας. καὶ ἡ μὲν Σάπφω γύναιον πορνικὸν ἐρωτομανὲς καὶ τὴν ἑαυτῆς ἀσέλγειαν ᾄδει. πᾶσαι δὲ αἱ παρ' ἡμῖν σωφρονοῦσι καὶ περὶ τὰς ἠλακάτας αἱ παρθένοι τὰ κατὰ θεὸν λαλοῦσιν ἐκφωνήματα, τῆς παρ' ὑμῖν παιδὸς σπουδαιότερον. τούτου χάριν αἰδέσθητε, μαθηταὶ μὲν ὑμεῖς τῶν γυναίων εὑρισκόμενοι, τὰς δὲ σὺν ἡμῖν πολιτευομένας σὺν τῇ μετ' αὐτῶν πανηγύρει χλευάζοντες. *Has omnes enumerare volui, ut apud nos etiam nihil novum fieri exiſtimetis, & mulierum veſtrarum ſtudia conferentes,*

eas

[Anilis Fabula communis Christianorum vocat Caecilius apud Minucium Felicem.

eas etiam, quae nobiſcum philoſophantur, non irrideatis. Veſtra eſt meretricia muliercula Sappho, quae inſano amore capta ſuam ipſa laſciviam cantat: noſtrae vero omnes pudicae ſunt, & intentae lanificio virgines, divinos ſermones ediſſerunt, multo honeſtiore, quam veſtra puella, ſtudio. Quin igitur erubeſcite, quod quum ipſi muliercularum diſcipuli ſitis, eas, quae nobis coniunctae ſunt, ſubſannatis. Lactantius vero *Firmianus lib. V. cap. XX.* irriſores illos omnes ita repellit. *Doceant iſti hoc modo, ſi qua illis fiducia veritatis eſt, loquantur, hiſcant, audeant, inquam, diſputare nobiſcum aliquid eiuſmodi: iam profecto ab* ANICVLIS *quas contemnunt, & a* PVERIS *noſtratibus, error illorum ac ſtultitia irridebitur.* Et heic opportune obſervandum eſt primis Chriſtiani nominis temporibus Chriſtianas quasdam feminas fuiſſe prophetidas, ut Philippi quidem Evangeliſtae virgines filiae, cuius rei *Lucas* in Actis *cap. XXI. verſ. 9.* teſtis eſt locupletiſſimus. *Euſebius* quidem Caeſarienſis *lib. III. cap. XXXI.* & *Nicephorus lib. III. cap. XX.* etiam Philippi Apoſtoli filias prophetiae munere illuſtres fuiſſe tradiderunt; ſed forte unius Philippi filias cum alterius confuderunt, in quo tamen cum *Tillemontio* adſenſum ſubſtineo. Feminarum prophetantium meminit etiam *Paulus I. ad Corinth. cap. XI.* illis verbis: *πᾶσα δὲ γύνη προσευχομένη ἢ προφητεύουσα ἀκατακαλύπτῳ τῇ κεφαλῇ καταισχύνει τὴν κεφαλὴν ἑαυτῆς. Omnis autem mulier orans aut prophetans non velato capite deturpat caput ſuum.* Quidquid tamen mulieres de divinis litteris meditarentur, aut differerent, domi id eas feciſſe exploratae fidei eſt; non enim in Eccleſiis eis loqui fas erat, *Paulo* Apoſtolo eadem Epiſtola *Cap. XIV.* id prohibente: *Αἱ γυναῖκες ὑμῶν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις σιγάτωσαν· οὐ γὰρ ἐπιτέτραπται αὐταῖς*

ἐν

λαλεῖν, ἀλλ' ὑποτάσσεσθαι, καθὼς καὶ ὁ νόμος λέγει. Εἰ δέ τι μαθεῖν θέλουσιν ἐν οἴκῳ τοὺς ἰδίους ἄνδρας ἐπερωτάτωσαν· αἰσχρὸν γάρ ἐστι γυναιξὶν ἐν ἐκκλησίᾳ λαλεῖν. *Mulieres in Eccleſia taceant, non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſse ſicut & lex dicit. Siquid autem volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent. Turpe eſt enim mulieri loqui in Eccleſia.* Quin Apoſtoli feminas quasdam patrio more circumducebant, ut docet *Paulus* Apoſtolus Epiſt. *I. ad Cor. IX.* 5. quae eis deſervirent; & primis Eccleſiae temporibus Diaconiſſae quaedam in multos Chriſtianorum uſus conſtitutae erant, quibus de agitur *Lib. III. Conſtit. Apoſt. cap. XV.* & ad quem locum conſulendus eruditiſſimus *I. B. Cotelerius;* ut de viduarum miniſteriis nihil dicam, quum ſuperius de iis tacere mihi propoſuerim, & quae innuunt etiam *Lucianus De Peregrino*, & *Libanius Orat.* XVI. in *Tiſamenum*, & *Oratione de Vinctis.*

Saepe etiam, qui illis exordiis Chriſtianum dogma amplectebantur, nec vitae integri, nec puri ſceleris erant. *Caecilius*, ut vidimus, *Homines deploratae*, INLICITAE, *& deſperatae factionis;* item *Plebem* PROFANAE *coniurationis*, Chriſtianos adpellat. Sed crimina huiuſmodi, & flagitia, quae paſſim Chriſtianis Ethnici Scriptores, & divinae ſapientiae impugnatores adfingunt, ut *Tacitus*, *Suetonius*, aliique, Viri iam longe doctiſſimi ſuis Apologiis, omni ſcientia, & eruditione, refertis, *Quadratus*, *Ariſtides*, *Iuſtinus*, *Tatianus*, *Tertullianus*, *Minutius Felix*, *Origenes*, *Euſebius*, aliique diluerunt, & vitam innocentiſſimam, moreſque caſtiſſimos, Chriſti ſectatoribus adſeruere; quorum quidem dicta huc transferre ſupervacaneum eſſet, quum antiquorum Chriſtianorum probitas & ſanctitudo perſpectiſſima

ſit;

ſit; & nos heic non de Chriſtianis agamus, ſed de his, qui Chriſtianorum myſteriis initiabantur, idololatriam eiurantes. Horum igitur pleroſque dicimus improbos, & flagitioſos fuiſſe, ac deinde Chriſtianos effectos vitia ac ſcelera caſtis moribus & innocentia mutaviſse. Nam & Zacchaeus foenerator & iniuſtus; & mulier peccatrix, vocati fuerunt a Chriſto, cuius illud effatum eſt: *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores;* ut de Apoſtolis, de quibus ſuperius diſſerui, nihil dicam. Sed ex anteacta vita calumniandi anſam adripiebant Ethnici, Chriſtiani nominis oſores. Hinc *Tertullianus cap. III. Apologetici*, *Alii*, inquit, *quos retro ante hoc nomen vagos, viles*, IMPROBOS, *noverant, ex ipſo denotant, quo laudant, caecitate odii in ſuffragium impingunt, quod mulier, quod* LASCIVA, *quod* FESTIVA, *quod iuvenis, quod Quinctus Lucii* AMASIVS, *facti ſunt Chriſtiani*. Et quidem nemo, etſi ſceleroſus, & facinoribus admiſſis infamis, a Chriſtianae religionis adytis repellendus erat, quae nihil aliud eſt, quam naturae humanae vitiis criminibuſque pollutae lavacrum atque purgatio, & in priſtinum innocentiae ſtatum ac beatitatem reſtitutio. Hinc Paulus Oneſimum furacem ſervum & fugitivum non tam Chriſtianum facit, quam ſanctum, ut ex *Epiſtola eius ad Philemonem*, & *cap. IV. Epiſtolae ad Coloſſenſes* elucet. Idem Neronis exoletum, & concubinam, ad ritus Chriſtianos, & ad meliorem frugem converterat, ſi *Ioanni Chryſoſtomo Homil. XLVI. in Acta Apoſtol.* fidem adhibemus. Ioannes Evangeliſta, iuvenem latronum coriphaeum amanter inſequitur, & paterne complectitur, & ex latrone in iuſtum & frugi hominem vertit atque reformat, ut ex Clemente Alexandrino, ut ipſe habet *Euſebius* Cae-

ſa-

ſarienſis *lib. III. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap.XXIII.* memoriae proditum eſt. Et quidem grande fuit legis chriſtianae miraculum, ut ad eius caſtigatam ſeveramque diſciplinam, diſcincti diſſolutique homines, & quos voluptatum flagitiorumque ac ſcelerum amor irretiverat, facillime convolarent.

Ex hiſce omnibus, quae huc uſque diſſeruimus, recta defluit ac conſequitur, primitivos chriſtianos etiam pauperes & tenuis fortunae fuiſſe. Et quidem quid aliud iudicabimus, ubi eos obſcuros, viles, opifices, deſpectorumque hominum colluviem fuiſſe intellexerimus? *Lucas* in Actis ſi quando ad fidem converſorum bona fortunaſque commemorat, agrum aliquem nominat: itaque quum dixiſſet, quotquot poſſeſſores agrorum aut domorum erant, vendentes attuliſſe pretia eorum, quae vendiderant, illico narrat ab Ioſepho Barnaba, & ab Anania agrum fuiſſe diſtractum. Eos igitur admodum locupletes non fuiſſe intelligere eſt. Intelligere quoque ex eo eſt, quod Chriſtiani, qui Ieroſolymis erant, ſtipe & collationibus aliarum provinciarum indigebant. Quare *Paulus* Apoſtolus *I. ad Corinthios cap. XVI. & II. cap. VIII. & IX.* eos hortatur ut copioſam pecuniam conferant Sanctis Ieroſolymitanis deferendam. Idem Eccleſiis Galatiae iniunxiſſe ſe, laudato *Cap. XVI.* ait; *Capite* autem *VIII.* poſterioris Epiſtolae laetatur, quod Macedones in eumdem uſum plurima contuliſſent, & eodem tempore diſcimus Macedones Chriſtianos, pauperrimos fuiſſe, de iis enim ita infit: καὶ ἡ κατὰ βάθυς πτωχεία αὐτῶν ἐπερίσσευσεν εἰς τὸν πλοῦτον τῆς ἁπλότητος αὐτῶν. *At altiſſima paupertas eorum abundavit in divitias ſimplicitatis eorum.* Quod quidem mihi verba vetuſtiſſimi auctoris Epiſtolae ad Diognetum de Chriſtianis agentis

in mentem revocat. πτωχεύουσιν, inquit, καὶ πλουτίζουσι πολλούς· πάντων ὑστεροῦνται, καὶ ἐν πᾶσι περισσεύουσιν. *Mendici ſunt, & multos ditant; rebus omnibus indigent, & omnia illis redundant.* Sed de his quaedam paulo inferius, & quidem opportunius. Pauperes incultoſque Chriſtianos primitivos deſcribit etiam Auctor *Philopatridis*, nam eorum nonnullos memorans ait: ἀνθρωπίσκος δέ τις, τοὔνομα Χαρίκενος, σεσημμένον γερόντιον, &c. *Ceterum homuncio quidam nomine Charicenus; vetulus emarcidus, &c.* ἕτερος δὲ τοὔνομα χλευόχαρμος, τριβώνιον ἔχων πολύσαθρον, ἀνυπόδετός τε καὶ ἄσκεπος, μετέπεμπε τοῖς ὀδοῦσιν ἐπικροτῶν, ὡς ἐπεδάξατό μοι τις κακήμων, ἐξ ὀρέων παραγενόμενος, κεκαρμένος τὴν κόμην, &c. *Alius autem quidam, cui nomen Chleochármus, pallium habens admodum putre, ſine calceis, & tegmine capitis incedens, interloquebatur, dentibus adplaudens: ut demonſtravit mihi maleveſtitus quidam, qui ex montibus advenerat, detonſa coma, &c.* Inopiam quoque Chriſtianorum inſinuare videtur *Lactantius lib. V. cap. XXII.* dum ita ſcribit: *Nam in primis haec cauſſa eſt, cur exiſtimetur religio Dei vivi vim non habere, quod inducantur homines ſpe terrenorum, & praeſentium bonorum, quae ad curam mentis nullo modo pertinent, quibus quia* CARERE IVSTOS *vident, ac adfluere iniuſtos, & Dei cultum inanem arbitrantur,* IN QVO INESSE ILLA NON CERNVNT, *& Deorum ritus exiſtimant veros, quoniam cultores eorum, & divitiis, & honoribus, & regnis, fruuntur.* *Theodoretus* quoque Chriſtianos προσαίτας, hoc eſt, *mendicos*, ut vidimus fuiſſe ait; & ſunt qui exiſtiment primigenios Chriſtianos *Ebionitas* a deſpicientibus Iudaeis adpellatos fuiſſe, quaſi *Pauperes*. *Ebion* enim Ebraice, Latine *Pauper* eſt. *Origenes lib. II. contra Celſum*; Ἐβίωνι γὰρ ὁ πτωχὸς

παρὰ

Interpres Caecilius apud Minutium Felicem: Eam partem vestrum et maior et melior egetis, algetis, operi, fame laboratis. Vide Arnobium lib. II. et ibi adnotata.

παρὰ Ἰουδαίοις καλεῖται· καὶ ἐβιωναῖοι χρηματίζουσιν οἱ ἀπὸ Ἰουδαίων τὸν Ἰησοῦν ὡς Χριστὸν παραδεξάμενοι. *Etenim Ebion* pauper *apud Iudaeos vocatur; & Ebionaei adpellantur, qui ex Iudaeis Ieſum, tamquam Chriſtum, receperunt. Rich. Simonius Par. I. Hiſt. Critic. N. T. cap. VIII.* de Ebionitis agens: *Il y a plus d' apparence que les Juifs les appellerent ainci par mepris, parce que en ces premiers temps du Chriſtianiſme il n' y avoit preſque que des pauvres qui l' embraſſaſſent.* Dici etiam poſſet primitivos illos Chriſtianos ultro hoc nomen ex ipſa re ſibi vendicaſſe, quod mirabiliter conſonat ei, quod *Epiphanius Haeres. XXX. n. XVII.* obſervat de Ebionitis ſcribens: Αὐτοὶ δὲ δῆθεν σεμνύνοντες, ἑαυτοὺς φάσκοντες πτωχοὺς, διὰ τό, φασιν, ἐν χρόνοις τῶν ἀποστόλων πωλεῖν τὰ αὐτῶν ὑπάρχοντα, καὶ τιθέναι παρὰ τοὺς πόδας τῶν ἀποστόλων, καὶ εἰς πτωχείαν, καὶ ἀποταξίαν μετεληλυθέναι. καὶ διὰ τοῦτο καλεῖσθαι ὑπὸ πάντων φασὶ πτωχοί. *Ipſi vero tamquam gloriantes ſe ipſos adfirmant pauperes, quod, inquiunt, temporibus Apoſtolorum omnem ſuam ſubſtantiam venderent, & ad Apoſtolorum pedes deponerent, & ad paupertatem humilitatemque tranſiverint. Et propterea ab omnibus pauperes ſe vocari aiunt.* Verum hoc nomen deinceps ad ſectam quamdam, Nazaraeorum propaginem, ſignificandam traductum fuit, & Ebionitae inter haeriticos recenſentur. Levem tamen primi Chriſtiani ſua virtute paupertatem efficiebant, eamque ſibi laudi & gloriae vertebant. *Ceterum quod plerique pauperes dicimur*, inquit apud *Minutium Felicem* Octavius, *non eſt infamia noſtra, ſed gloria: animus enim ut luxu ſolvitur, ita frugalitate firmatur. Et tamen quis poteſt pauper eſſe qui non eget? qui non invidet alieno? qui Deo dives eſt? Magis pauper ille eſt, qui quum multa habeat, plura deſiderat.*

Dicam tamdem quemadmodum ſentio: nemo tam pauper poteſt eſſe, quam natus eſt. Aves ſine patrimonio vivunt, & in diem pecua paſcuntur; & haec nobis tamen nata ſunt: quae omnia ſi non concupiſcimus poſſidemus. Igitur, ut qui viam terit, eo felicior, quo levior incedit: ita beatior in hoc itinere vivendi, qui paupertate ſe ſublevat, non ſub divitiarum onere ſuſpirat. Et tamen facultates ſi utiles putaremus, a Deo poſceremus: utique indulgere poſſet aliquantum, cuius eſt totum. Sed nos contemnere malumus opes, quam continere.

Et iure quidem haec *Octavius*, ſeu *Minutius Felix*, effatur. Licet enim Chriſtiani illi pauperes extiterint; tamen tanta erat inter eos mutua dilectio, tanta communis boni ſolicitudo, ut ipſi non tantum neceſſariis velut adfluerent, ſed aliis etiam erogarent; & eorum ſimplicitatis divitiae, ut cum Paulo loquar, tam in alios eiusdem Fidei conſortes, quam in Ethnicos ipſos, redundarent. Nunc verborum Auctoris Epiſtolae ad Diognetum ſupra adlatorum reminiſcendum, atque obſervandum pauperes eos, qui alios ditant, & quum nihil habeant, omnibus abundant. Et quidem memoranda eleemoſynarum Galatarum, Macedonum, & Corinthiorum, exempla ſuperius tempeſtive protulimus; nunc beatam eorum vitae communionem, quam *Lucas* in *Actis* praedicat, etiam ex Scriptore Chriſtianorum inimico, *Luciano* videlicet, adſtruemus. Hic igitur *De morte Peregrini*, quum de Chriſtianis agat, ita loquitur. Καταφρονοῦσιν οὖν ἁπάντων ἐξίσης, καὶ κοινὰ ἡγοῦνται, ἄνευ τινὸς ἀκριβοῦς πίστεως τὰ τοιαῦτα παραδεξάμενοι. *Proinde apud illos omnia ex aequo habentur contemtui, exiſtimanturque eſſe communia, quae citra fidem exacte exploratam in communem uſum a quo-*

quam

Vide Commentarium in Minutium Felicem pag. 103.

quam deferente ſuſcipiunt. Hinc profluebant Agapae illae ſeu convivia, quibus inopes paſſim recreabantur, & quarum mentio apud *Iudam in Epiſtola*; quaſque indicat *Paulus* Corinthiis primum ſcribens *Cap. XI. 21.* & de quibus multa habentur apud *Baronium ad annum LVII. Cabaſſutium Notit. Concil. & Eccleſ. Bonarotium ad Vitra antiqua, Calmetum in Lexico* voce *Agape*, *Suicerum* in Ἀγάπη. Hinc illa caritas anxia & inrequieta, qua Martyrum, viduarum, pupillorum, infirmorum, indigentiae & neceſſitatibus omnes in commune conſulebant. Οἱ εὐποροῦντες δὲ, inquit *Iuſtinus Apologia II.*, καὶ βουλόμενοι κατὰ προαίρεσιν ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ, ὃ βούλεται δίδωσι. Καὶ τὸ συλλεγόμενον παρὰ τῷ προεστῶτι ἀποτίθεται· Καὶ αὐτὸς ἐπικουρεῖ ὀρφανοῖς τε καὶ χήραις, καὶ τοῖς διὰ νόσον, ἢ δὲ ἄλλην αἰτίαν λειπομένοις, καὶ τοῖς ἐν δέσμοις οὖσι, καὶ τοῖς παρεπιδήμοις οὖσι ξένοις, καὶ ἁπλῶς τοῖς ἐν χρείᾳ οὖσι κηδεμὼν γίνεται. *Ceterum qui copioſiores ſunt, & volunt, pro arbitrio quiſque ſuo, quod viſum eſt contribuunt; & quod ita colligitur, apud Praepoſitum deponitur: atque inde ille opitulatur pupillis, & viduis, & his, qui propter morbum, aut aliquam aliam cauſam egent, quique in vinculis ſunt, & peregre advenientibus hoſpitibus: & ut ſimpliciter dicam indigentium is omnium curator eſt.* Egregie etiam de more *Tertullianus Apolog. cap. XXXIX. Non de oneraria ſumma quaſi redemtae religionis congregatur: modicam unuſquiſque ſtipem menſtrua die, vel quum velit, & ſi modo poſſit, adponit. Nam nemo compellitur, ſed ſponte confert. Haec quaſi depoſita pietatis ſunt. Nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis, diſpenſatur, ſed egenis alendis humandiſque, & pueris ac pupillis re ac parentibus deſtitutis, aetateque domitis ſenibus, item naufragis, & ſi qui in metal-*

Ipse anno MDCCXXIV luculentam de Agapis dissertationem scripsit et in Coetu Apathistarum legit, Praeside Andrea Marchione Montis S- ...

 lis,

lis, & *ſiqui in inſulis, vel in cuſtodiis, dumtaxat ex cauſa Dei ſectae, alumni confeſſionis ſuae ſunt*. Sed quod multo pluris faciundum, iſthuc ipſum *Lucianus* ipſe, ille divum & hominum inriſor, fateri coactus eſt, laudato libello *De morte Peregrini* his verbis uſus: τότε δὲ καὶ συλληφθεὶς ἐπὶ τούτῳ (ἐπὶ τῷ εἶναι χριστιανὸν) ὁ πρωτεὺς, ἐνέπεσεν εἰς τὸ δεσμωτήριον, ὅπερ καὶ αὐτὸ οὐ μικρὸν αὐτῷ ἀξίωμα περιεποίησε πρὸς τὸν ἑξῆς βίον, καὶ τὴν τερατείαν καὶ δοξοκοπίαν ὧν ἐρῶν ἐτύγχανεν. ἐπεὶ δὲ οὖν ἐδέδετο, οἱ χριστιανοὶ συμφορὰν ποιούμενοι τὸ πρᾶγμα, πάντα ἐκίνουν, ἐξαρπάσαι πειρώμενοι αὐτόν. εἶτ᾽ ἐπεὶ τοῦτο ἦν ἀδύνατον, ἥγε ἄλλη θεραπεία πᾶσα οὐ παρέργως, ἀλλὰ σὺν σπουδῇ ἐγίγνετο. Καὶ ἕωθεν μὲν εὐθὺς ἦν ὁρᾶν παρὰ τῷ δεσμωτηρίῳ περιμένοντα γραΐδα, χήρας τινας καὶ παιδία ὀρφανά. οἱ δὲ ἐν τέλει αὐτῷ καὶ συνεκάθευδον ἔνδον μετ᾽ αὐτοῦ, διαφθείροντες τοὺς δεσμοφύλακας. εἶτα δεῖπνα ποικίλα εἰσεκομίζετο, καὶ λόγοι ἱεροὶ αὐτῷ ἐλέγοντο: Καὶ ὁ βέλτιστος περεγρίνος (ἔτι γὰρ τοῦτο ἐκαλεῖτο) καινὸς σωκράτης ὑπ᾽ αὐτῶν ὠνομάζετο. Καὶ μὴν καὶ τῶν ἐν Ἀσίᾳ πόλεων ἔστιν. ὧν ἧκόν τινες, τῶν χριστιανῶν στελλόντων ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, βοηθήσοντες καὶ ξυναγορεύσοντες, καὶ παραμυθησόμενοι τὸν ἄνδρα. ἀμήχανον δέ τι τὸ τάχος ἐπιδείκνυνται, ἐπειδάν τι τοιοῦτον γένηται δημόσιον, ἐν βραχεῖ γὰρ ἀφειδοῦσι πάντων. καὶ δὴ καὶ τῷ περεγρίνῳ πολλὰ τότε ἧκε χρήματα παρ᾽ αὐτῶν ἐπὶ προφάσει τῶν δεσμῶν, καὶ πρόσοδον οὐ μικρὰν ταύτην ἐποιήσαντο. *Tunc vero comprebenſus etiam ob boc ipſum* (quod eſſet Chriſtianus) *Proteus in carcerem illapſus eſt. Quae quidem res ipſi non mediocrem dignitatem cum ad inſequentem vitam, tum ineptias & gloriam, quarum erat amantiſſimus, conciliavit. Itaque poſtquam in carcerem coniectus eſt, Chriſtiani banc rem graviter & indigne ferentes, nullam non impendebant operam, tentantes ſi quo modo illum furtim, poſſint eripere. Deinde animadvertentes bunc conatum fruſtra eſſe, nibil tamen ex altero, quo captivus egebat obſequio, intermittebant; verum omnia cum magna fide*

&

& diligentia praeſtabant. Ac mane quidem illico videre erat iuxta carcerem praeſtolantes anus, viduas quasdam, & orbos puerulos. Illorum vero pars etiam, una intus cum illo ſomnum capiebant, corruptis pecunia cuſtodibus. Exin omnis generis coenae inferebantur variae, ac ſacri inter ſeſe ſermones dicebantur. Atqui optimus ille Peregrinus (adhuc enim hoc nominis obtinebat) novus quoque Socrates ab illis nominabatur. Quin etiam in Aſia pleraſque urbes fuiſſe conſtit, a quibus venerunt quidam laturi auxilium, Chriſtianis mittentibus ex publico, neque non colloquuturi, & virum conſolaturi. Incredibile vero eſt, quantum ſtudium & celeritatem in hoc oſtendant, ſiquid tale vulgo innotuerit. Illico enim nulli rei parcunt. Proinde Peregrino quoque multae tunc opes ab illis mittebantur, ſub vinculorum praetextu, nec vulgarem rerum proventum lucrifaciebat. At palmarem calumniam eſſe non dubito quod de Chriſtianis furtim Peregrinum de carcere eripere tentantibus dicit. Chriſtiani enim mala pro Chriſto perpeti, non infortunium, ſed felicitatem & gloriam exiſtimabant. Hinc ille moriendi amor & alacritas, qualem cognoſcere eſt ex *Tertulliano ad Scapulam, cap. V. Euſebio Append. Lib. VIII. Hiſtor. Eccleſ. cap. III. Ioanne Chryſoſtomo Homil. XIX. in Gordium, Rufino lib. II. Hiſtor. Eccleſ. cap. V.* Immo eo prorupit virtus Chriſtianorum imperterrita, ut cauſas moriendi ipſi facerent, quod tamen a ſapientioribus improbatum eſt, ut videre licet apud *Clementem Alexandrinum lib. IV. Stromat. Cyprianum Epiſt. LXXXIII. & apud eius paſſionis acta; Auguſtinum Libro contra ſecundam Gaudentii Epiſtolam cap. XXIII. Gregorium Nazianzenum Invect. I. in Iulianum, & Orat. de fratre ſuo Caeſario; Origenem Comm. in Ioann. Tom. XXXI.*

& lib. I. contra Celſum; Lactantium lib. IV. cap. VIII. Athanaſium Apolog. ad Conſtantium, & De fuga ſua; item Epiſtola ad omnes Orthodoxos; Sozomenum lib. V. cap. X. Sed ipſe *Lucianus* eodem libello id non diſſimulat. παρ᾽ ὃ καὶ καταφρονοῦσι, inquit, τοῦ θανάτου, καὶ ἑκόντες αὑτοὺς ἐπιδιδόασιν οἱ πολλοί. *Quamobrem & mortem magno contemnunt animo, & non pauci ſua ſponte ſemet occidendos obferunt.* Hinc forte Auctori *Philopatridis* Chriſtiani τὰ κάκιστα εὐχόμενοι, καὶ χαίροντες ἐπὶ τοῖς λυγροῖς videntur. Sed ut ad propoſitum revertamur, tanta erat Chriſtianorum veterum beneficentia, & erga egenos ac miſeros quoſque largitas & liberalitas, ut ipſos etiam Ethnicos iuvarent atque alerent. *Iulianus Apoſtata Epiſtol. ad Arſacium:* Τρέφουσι, inquit, οἱ Γαλιλαῖοι πρὸς τοῖς ἑαυτῶν καὶ τοὺς ἡμετέρους. *Nutriunt Galilaei praeter ſuos, etiam noſtros.* Conſulendus omnino *Sozomenus lib. V. cap. XVI.* At pauperes Chriſtiani non his, quos diximus, tantum divites erant; verum etiam ſacris, & ceremoniis, & divinae liturgiae, cui perficiendae aurea argenteaque vaſa adhibebant, ut ex *Prudentio* in *Agone Laurentii* perſpicuum eſt.

Sed humilitatem ſuam & pauperiem inceſſu ipſo, & habitu corporis, veſteque, primitivi Chriſtiani prae ſe ferebant. Itaque macie ob crebra ieiunia extenuati, pallida ora ac moeſta ferebant, lumine terram figentes, & peccata ſua, aliorumque, animo obverſata dolentes. Hinc illa apud *Auctorem Philopatridis* eorum deſcriptio, in qua eos dicit ἄνδρας ἐπικεκυφότας καὶ κατωχριωμένους, *viros in faciem inclinatos & palleſcentes*, & τὰ κάκιστα εὐχομένους καὶ χαίροντας τοῖς λυγροῖς, *quam peſſima optantes, & triſtibus gaudentes;* hinc etiam alibi eidem Chriſtianus quidam *homuncio* ἀνθρωπίσκος adpellatur. *Prudentius* au-

autem *Hymno Cypriani*, illum, poſtquam Chriſti ſapientiam amplexus fuiſſet, ſeverum vultum, priſtina hilaritate depoſita, ſumſiſſe ait:

Iamque figura alia eſt, quam quae fuit, oris & nitoris;

Exuitur tenui vultus cute, tranſit in ſeverum.

Quantum autem Chriſtianum oris ſeveritas deceat, oſtendit *Clemens Alexandrinus Lib. II. Paedag. Cap. V.* Huc faciunt, quae *Hieronymus* ad Marcellam ſcribit: *Quia ebrii non ſumus, nec cachinno ora diſſolvimus, continentes vocamur & triſtes.* Quod ſi Chriſtus apud *Matthaeum Cap. VI. verſ.* 16. 17. triſtes ſicut hypocritas fieri, & facies ſuas exterminare, damnat atque improbat; adfectatam moeſtitiam & tetricitatem, ut ieiunantes hominibus videantur, & inanem gloriolam captent, in illis condemnat: non mundicias inculcat, ſed hypocriſin excludit. Egregia laus illa eſt Aſellae apud *B. Hieronymum Epiſt. ad Marcellam. Nihil illius*, inquit, *ſeveritate iucundius, nihil ſuavitate triſtius, nihil triſtitia ſuavius. Ita pallor in facie eſt, ut quum continentiam indicet, non redoleat oſtentationem. Sermo ſilens, & ſilentium loquens. Nec citus, nec tardus inceſſus. Idem ſemper habitus; neglecta mundicies, & inculta veſtis: cultus ipſe ſine cultu.* Quod ſi *Ioannes Chryſoſtomus Homil. XV. in Acta Apoſtol.* Barnabam facie amabilem fuiſſe dicit, *Homil. XXX.* maieſtatem quamdam & dignitatem comitati illius admiſcens ἀπὸ τῆς ὄψεως ἀξιοπρεπῆ eumdem exiſtimat. Si *Pſeudo-Craton* Bartholomaeum Apoſtolum ſemper hilarem, eodemque vultu, eſſe viſum, memoriae prodidit: falſarium Scriptorem non moror. Quid vero iam de Chriſtianorum veſtitu dicemus? Nonne eorum veſtes cum *Hieronymo Epiſt. ad Lucinum* ita ciliciola ad ſe miſ-

ſa adpellante, *inſignia paupertatis*, & *quotidianae ſymbolia poenitentiae*, nuncupabimus? Eos Ethnici, *Minutio Felice* auctore, *ſeminudos* vocabant, laceras veſtes & tritas illi exprobrantes. Auctor *Philopatridis* laudatus Chriſtianum quemdam κακείμονα *maleveſtitum* dicit; aliuſque ei memoratur τριβώνιον ἔχων πολύσαθρον, ἀνυπόδετός τε καὶ ἄσκεπος, *pallium habens admodum putre, ſine calceis, & tegmine capitis, incedens*. Nec aliter amiciri Chriſtianos decuit, quum Chriſtum imitari deberent. Praeclariter *Tertullianus De Idololatria: Tu vero nullius ſervus, in quantum ſolus Chriſti, qui te etiam captivitate ſaeculi liberavit, ex forma dominica agere debebis. Ille Dominus in humilitate & ignobilitate inceſſit, domicilio incertus. Nam Filius, inquit, Hominis non habet ubi caput collocet. Veſtitu incultus, neque enim dixiſſet: Ecce qui teneris veſtiuntur in domibus Regum ſunt. Vultu denique & adſpectu inglorius, ſicut & Eſaias pronuntiaverat*. Et quidem ſtatim ac Chriſtiani aliqui evaſerant, ſimpliciores veſtes ſumebant, ſi antea pretioſis uti conſueviſſent; id quod ex eodem *Tertulliano* intelligitur, dum libro *De cultu Feminarum* obiecta quaedam ſolvit ac diluit. *Sed enim*, inquit, *dicitur a quibuſdam: ne blaſphemetur nomen eius in nobis, ſiquid de priſtino habitu & cultu detrahamus. Non auferamus ergo nobis & vitia priſtina, ſimus & moribus iiſdem, ſi & ſuperficie eadem: & tunc vere non blaſphemabunt nationes. Grandis blaſphemia ſi qua dicatur, ex quo facta eſt Chriſtiana, pauperius incedit*. Non veſtis tamen formam immutabant omnes. Nam Iuſtinus Martyr ἤκμαζεν ἐν φιλοσόφου σχήματι πρεσβεύων τὸν θεῖον λόγον, ut ait *Euſebius Lib. IV. Hiſtor. Eccleſ. Cap. XI.* quod & Iuſtinus ipſe *Dialogo cum Tryphone* confirmat. Ariſtides quoque

Phi-

Philoſophus Athenienſis, & *ſub priſtino habitu diſcipulus Chriſti* fuit, ut *Hieronymus* in *Catalogo* ſcribit. Et minus forte ſubſiſtere eorum videatur opinio, qui cenſent eos, qui ab Idololatria ad Chriſtianos ritus tranſibant, pallium, tamquam commune Chriſtianorum indumentum, ſumſiſſe, quo nomine *Dionyſ. Petavius* a *Cl. Salmaſio* in *Reſponſ. ad Ant. Cercoetium* vapulat & traducitur.

De re veſtiaria hominis Chriſtiani primitivi.

CAPVT IV.

DIGRESSIO PRIMA.

SED in habitum primitivorum Chriſtianorum, adrepta heinc occaſione, paulo curioſius inquiramus; de iis ſcilicet veſtibus breviter diſſerentes, quae in novi Foederis libris memorantur, & a Chriſtianis geſtari ſolitas, vel inde vel ex aliis antiquis Scriptoribus, intelligimus. Non quod communi eos aliorum veſtitu uſos non exiſtimemus, ſed quod communem hunc habitum in homine Chriſtiano contemplari nunc lubeat, dum iucundae varietatis lenocinia & illecebras in noſtro hoc commentario adfectamus.

Iam ſine pileo interdum, & galero, aliove capitis tegmine, proceſſiſſe perſpeximus; quod quidem ex antiquis etiam Chriſtianorum picturis ſimulacriſque confirmatur, ut apud *Aringhum* in *Roma ſubterranea*, & *Bonarotium* in *Vitris illuſtratis*, & *Lambecium Lib. II. Commentarior. Cap. VIII.* & *Libro III.* videre eſt; atque id praecipue in uſu apud Iudaeos fuiſ-

fuiſſe obſervat *Calmetius Diſſert. De re Veſtiar. Ebraeorum*. Ceterum & ſi antiqua Ethnicorum hominum ſimulacra, imagineſque, ſpectemus, capite nudo fere ſemper intueri ea licet, ut Cimeliarchium Mediceum inviſentibus, & antiquarios libros conſulentibus, patet. Haec tamen vere de viris dicta ſunt; de feminis aliter ſentiendum. Sed non ſtatim exiſtimandum nullo ſemper tegmine caput habuiſſe primos illos Chriſtianos; nam Ioannem Apoſtolum auream laminam in fronte geſtaſse, auctor eſt *Polycrates* Epheſi Epiſcopus apud *Euſebium Lib. V. Hiſt. Eccleſ. Cap. XXIV.* & ex eo *Hieronymus De Vir. Illuſtr.*, & id quidem portaviſſe, tamquam Ieſu Chriſti Pontificem; nam Pontifices Ebraeorum primi illi Epiſcopi imitabantur; quod loco citato *Euſebius* ſubindicat, adſtruitque ad annum XXXIV. *Baronius*. *Epiphanius Haereſ.* LXXVIII. memoriae prodidit, ſimile inſigne Sacerdotii Iacobum etiam Minorem Apoſtolum portaviſse; Anonymus autem Auctor *Actor. D. Marci* quum Marcum Evangeliſtam ex Aaronis genere deduxiſset, eum *pontificalis apicis petaſum* geſtaviſse, litterarum monumentis conſignavit. *Actorum Apoſtolicorum Cap. XIX.* Pauli ſudaria memorantur, quae quidem *Theophylactus*, & *Oecumenius*, ad eum locum auctores ſunt, capiti imponi ſolita fuiſſe; & *Theophylacti* verba producemus inferius, ubi de ſemicinthiis agendum fuerit. Et quidem Lazari facies *ſudario erat ligata*, ut ſcribit *Ioannes Cap. XI. 44.* Et *Cap. XX. v. 7.* ubi de linteaminibus, quibus Chriſtus mortuus involutus fuerat, agitur: *E: ſudarium quod fuerat ſuper caput eius.* καὶ τὸ σουδάριον ὃ ἦν ἐπὶ κεφαλῆς αὐτοῦ. *Gregorius Magnus* quoque *Lib. III. Epiſt. XXX.* ſcribit B. Pauli ſudarium Romae cum reliquis eius lipſanis exſtitiſſe. Hic obiter tan-

tum

tum obſervaverim Nonnum Panopolitanum, elegantem Ioannis Evangeliſtae paraphraſten, vocem σουδάριον Syram exiſtimaſſe, quum Latinam linguam penitus ignoraret; & de eo quaedam ſcitu non indigna habere *Io. Iac. Chiffletium Criſis hiſtor. De linteis Sepulcral. Chriſti Cap. V. & ſeqq.* ut nihil de *Svicero* & *Calmetio* in ſuis Lexicis dicam. Sed apud laudatum *Aringhum* Sanctorum Martyrum Abdon & Sennen, Perſarum, imagines tamquam Phrygio galero tectae conſpiciuntur, quali etiam trium puerorum Ebraeorum in ignem in Perſide coniectorum ſimulacra apud eumdem ornata cernuntur: tali etiam capitis tegumento Magi Chriſtum adorantes ibidem exhibentur. In veteribus quoque Chriſtianorum picturis & imaginibus, circulum quemdam ſeu diſcum caput & crines ambientem videre eſt; ſed quum ille non aliquod frontis velamen indicet, ſed praecipui honoris inſigne & ornamentum, quo Deorum ſimulacra veteres Ethnici, & Imperatorum deinde ſtatuas decorarunt, ut apud *Bonarotium* opere ſuperius laudato videre eſt; & quod quidem proprio vocabulo *Nimbus* adpellabatur; de eo nunc agere ſuperſedemus. At quocumque operimento antiquiſſimi Chriſtiani caput tegerent, certe neceſſitatem, non ornatum, reſpiciebant; quare nec ſertis, nec floribus, Ethnicorum more, redimiti, aut aliter ornati, procedebant; quod *Q. Septimius Tertullianus* toto *De Corona Militis* Volumine inſinuat, ubi & generalem conſuetudinem adſtruit his verbis: *Omnes ita obſervant a catechumenis uſque ad confeſſores, & martyres, vel negatores*. Et diſerte quoque docet *Clemens* Alexandrinus *Lib. II. Paedagog. Cap. VIII.* ubi etiam quatenus & quomodo Chriſtiani homines unguentis & floribus uti debeant, ſapienter oſtendit:

dit:

dit: quamquam eos, qui baptiſsati fuerant, ſertis ornari ſolitos fuiſſe, docet ex vetuſtis auctoribus *Io. Bapt. Caſalius De Veter. Chriſtian. Ritibus Par. II. Cap. V.* At non tantum nullo tegmine aut ornatu capitis, antiquae Chriſtianorum imagines proſtant ut plurimum, verum etiam attonſis brevibuſque capillis; quod quidem non Chriſtianorum peculiare, ſed Ethnicorum etiam virorum commune fuiſſe, vetuſta, quae ſuperſunt, ſimulacra manifeſtiſſime comprobant; & conſulendus eſt ſuper hoc *Salmaſius* ad *Tertullianum De Pallio*. Et quidem Apoſtolus *Paulus* Corinthiis ſcribens, virum detecto ac nudo capite orantem laudaverat, & quadam veluti naturae lege tonderi debere demonſtrarat, ut eius quidem verba, quae producentur inferius, aperte ſignificant. Hinc *Tertullianus Lib. De Velandis Virginibus* ſcribit: *Horum certe omnium contraria efficiunt, ne vir caput velet: ſcilicet quia non ſit naturaliter conſequutus ambitionem capillorum, quia radi ſive tonderi non ſit turpe illi.* Capitis tamen tonſura ea fuiſse videtur, ut crines non ad cutem raſi ac refecti, ſed decurtati tantum & attonſi eſſent, ut quidem vetuſta ſimulacra prae ſe ferunt; & *Actorum Cap. XVIII. Lucas* tradit ſeu Paulum, ſeu Aquilam (nam ambigua lectio eſt) in Cenchris ſe totondiſſe, & quidem ex voto, more Nazaraeorum, quod forte ex morticino, ut *Caietanus* putat, pollutus fuiſſet: quamquam tunc capilli ex Nazaraeorum inſtituto creſcere potuiſſent; de quo conſulatur *Tillemontius* in *Paulo Art. XXVI.* Ceterum Paulum Apoſtolum non brevibus tantum crinibus, ſed etiam recalvaſtrum, fuiſſe docet *Philopatridos Auctor* ſupra laudatus, ſic enim illum deſcribit: ἡνίκα δέ μοι Γαλιλαῖος ἐνέτυχεν, ἀναφαλαντίας, ἐπίῤῥινος, ἐς τρίτον οὐρανὸν ἀεροβατήσας. *Quando au-*

autem me Galilaeus ille convenit, recalvaſter, naſo aquilo, qui in tertium uſque caelum per aerem ingreſſus eſt. Ex hoc ignoti illius Auctoris teſtimonio liquido exſiſtit, minus vere Apoſtolum, in vetuſta quadam aerea pulcerrimaque Gazae Medicae lucerna, quae navem, Petro gubernaclum in puppi moderante, Paulo vero in prora praedicante, myſticam refert, capillis etiam in fronte criſpantibus repraeſentari, licet brevibus illis, & per ambitum concinne attonſis; minus etiam vere crinibus ſimilibus in antiquis vitris apud *Bonarotium* exhiberi, niſi quod *Tab. X. & XVI.* etiam calvus depingitur. Itaque Chriſtiani ut plurimum antiquitus tonſi, quod luculentius eminet ex *Cap. XI. verſ.* 14. *Epiſtolae I. ad Corinthios*, ubi *Paulus* ita ſcribit: *Nec ipſa natura docet vos, quod vir quidem ſi comam nutriat, ignominia eſt illi. Mulier vero ſi comam nutriat, gloria eſt illi: quoniam capilli pro velamine ei dati ſunt*. Et paulo ante dixerat: *Omnis mulier orans aut prophetans, non velato capite deturpat caput ſuum: unum enim eſt ac ſi decalvetur. Nam ſi non velatur mulier, tondeatur. Si vero turpe eſt mulieri tonderi vel decalvari, velet caput ſuum*. Hinc *Actor. Cap. XXI.* quibuſdam ut capita radant iniungitur: & hinc non mirum ſi *Prudentius Hymno in Cyprianum* indicat, Sanctum hunc Martyrem, ſtatim ac Chriſtianus effectus eſt, caput totondiſſe, promiſſamque decurtaſse caeſariem:

Deflua Caeſaries compeſcitur ad breves capillos;

Hinc inriſor ille, Dialogi, qui *Philopatris* inſcribitur, Auctor, Chriſtianum quaemdam deſcribit κεκαρμένον τὴν κόμην, *attonſa coma*; & huc forte adludens alibi Chriſtianos κεκαρμένυς ταῖς γνώμαις καὶ διανοίᾳ, *detonſos mente & ſententiis* adpellat. Auctor autem

Con-

Conſtitutionum Lib. I. Cap. III. τὴν τρίχα τῆς κόμης *comae capillum* ne quis nutriat iubet. Sed rem magis in propatulo collocat laudatus *Prudentius Hymno in Hemitherium & Chelidonium*, ubi ait ignorari an longa cuſtodia detenti, vinclisque & catenis obligati. *longum capillum paverint*, hoc eſt, comam alias brevem, & crebro attonſam, quum aliter fieri non poſſet, aluerint.

Hoc tamen ſolum vetuſta ſubtrahunt ſilentia
Iugibus longum catenis an capillum paverint,
Quo viros dolore tortor, quave poena ornaverit.

Nec obſtat quod idem *Prudentius Agone Hippolyti* Chriſtianos crinitos vocet.

Carcereo crinita ſitu ſtare agmina contra
Iuſſerat, horrendis excrucianda modis.

Nam ſignanter crinita dixit, quod carceris cuſtodia cohibiti, manibuſque revinctis praepediti, ſe de more tondere non potuiſſent. Hinc *Hieronymus* ad Euſtochium De Cuſtodia Virginitatis, viros improbat, *quibus feminei contra Apoſtolum crines, hircorum barba, &c.* Quod ſi teſtes non adeo antiquos producere lubet, certe apud *P. Lambecium Lib. II. Comment. De Biblioth. Caeſar. Cap. VII.* pictura quaedam Evangeliſtarum ex vetuſto Codice exhibetur, in qua Lucas tonſura in coronae ſpeciem efformata caeſariem habet circumciſam, quali fere Franciſcani & Dominicani Monachi utuntur. Sed licet illa omnia, quae hactenus diſſervimus, aut certa aut ſaltem probabilia videantur, nihilo tamen minus univerſas fere Ieſu Chriſti imagines capillo oblongo, & in humeros defluente, cernere eſt, cum apud *Aringhum*, tum in nummo aereo Chriſtiano, quem eruditis commentariis Eques *Victorius* nuper illuſtravit. Apud *Bonarotium Tab. IX. Fig. I.* Chriſtus cernitur coma

qui-

quidem non admodum prolixa, ſed duobus hinc inde cincinnis attorta, uti etiam occurrit in vitro apud *Aringhum* laudatum *Lib. VI. Cap. L.* Et Chriſtum quidem criſpos cincinnatoſque capillos habuiſse tradunt *Theodorus Lector*, *Damaſcenus*, *Theophanes*, *&* *Suidas in* ἀκῶ, ut apud *Cangium Diſſ. De inf. aevi Numis. n. XXVIII.* videre eſt. Ceterum brevibus etiam attonſiſque capillis Chriſtus occurrit in vetuſtis imaginibus apud *Bonarotium* ſaepe memoratum. Sed & Iacobum Minorem Apoſtolum, *Hegeſippus* apud *Euſebium & Hieronymum*; & Ioannem Evangeliſtam, numquam capillos totondiſſe, ſcribit *Epiphanius Haereſ. XXX. Cap. XXIV.* Attamen dubium non eſt, quin Chriſtianorum plerique capillos ſaltem circumciderent, ut vidimus; barbam vero nutrirent, de qua iam agendum. Et profecto veteres prope omnes Chriſtianorum picturae Chriſtum, & Apoſtolos barbatos ſpectantium oculis obferunt; & quin tunc temporis in Oriente & in Graecia barbam alere in uſu eſset, non video cur ambigendum ſit; licet apud Romanos ſerius id inductum fuerit, Hadriani Caeſaris aetate videlicet, ut ex antiquis Numiſmatis conſtat. *Tertullianus* autem *De cultu feminarum*, dum viros barbam acrius caedentes, & intervellentes, formamque excolentes, damnat, contrarium uſum probare maxime videtur. *Siquidem & viris propter feminas*, inquit, *& feminis propter viros, vitio naturae ingenita eſt placendi voluntas. Propriaſque praeſtigias formae & hic ſexus ſibi adgnoſcit, barbam acrius caedere, intervellere, circumdare capillum, diſponere, etiam colorare canitiem, primam quamque ſubducere totius corporis lanuginem, pigmento quoque muliebri diſtinguere, cetera pulveris cuiuſdam aſperitudine levigare, tum ſpeculum omni occaſione conſule-*

re,

re, anxie inſpicere; quum tamen cognito Deo, ademta placendi voluntate, per luxuriae vacationem, omnia illa ut ocioſa, ut hoſtilia pudicitiae, recuſantur. *Auctor Conſtitutionum* *Lib. I. Cap. III.* χρὴ δὲ ουδὲ γενείου τρίχα διαφθείρειν, καὶ τὴν μορφὴν τοῦ ἀνθρώπου παρὰ φύσιν ἐξαλλάσσειν. *Oportet praeterea non barbae pilum corrumpere, nec formam hominis contra naturam mutare.* Sed, ut quae barbae apud antiquos Chriſtianos cura eſſet, & capillorum etiam, nam utraque adfinia, diſtinctius intelligatur, verba eruditiſſimi *Clementis* huc transſcribenda ſunt ex *Lib. III. Paedag. cap. XI.* quae ita habent: Τριχῶν δὲ πέρι. ταύτῃ δοκεῖ· ψιλὴ μὲν ἡ τῶν ἀνδρῶν κεφαλή. πλὴν εἰ, μὴ οὔλας ἔχοι τὰς τρίχας· λάσιον δὲ τὸ γένειον· αἱ δὲ συνεστραμμέναι τῶν τριχῶν, ἀπὸ τῆς κεφαλῆς μὴ καθιέσθωσαν ἄγαν, εἰς πλοκάμους κατολισθαίνουσαι γυναικείους· ἀπόχρη γὰρ τὸ ἠϋγένειον τοῖς ἀνδράσιν. Εἰ δέ τις καὶ κείραιτό τι τοῦ γενείου, οὐ μέντοι παντελῶς ψιλωτέον αὐτό· αἴσχρον γὰρ τὸ θέαμα· καὶ κατέγνωσται ἡ τοῦ γενείου ἐν χρῷ κουρά, παρατίλσει καὶ λειότητι γειτνιῶσα. . . . . ἐπεὶ δὲ οὐχ ὡραϊσμοῦ χάριν ἡ κουρὰ παραληπτέα, διὰ περίστασιν δὲ· τὰς μὲν τῆς κεφαλῆς τρίχας, ὡς μὴ αὐξόμεναι ταῖς ὄψεσιν ἐμποδίζοιεν καταβαίνουσαι· καὶ ἴσως τὰς ἐπὶ τῷ μυστακίῳ μολυνομένας κατὰ τὴν τροφὴν περικαρτέον. οὐ ξυρῷ. ἄγενες γὰρ· ἀλλὰ ταῖς δυσὶν μαχαίραις ταῖς κουρικαῖς. Τὰς δὲ τοῦ γενείου, μηδέν τι παραλυπούσας, οὐχ ἐνοχλητέον· σεμνότητα μὲν τοῦ προσώπου, καὶ κατάπληξιν γεννητικὴν ἐμποιούσας. *De pilis autem ita videtur. Virorum quidem caput ne ſit hirſutum, niſi forte pilos criſpos habeat: barba autem hirſuta. Intorti autem capilli ne a capite nimium demittantur, in comam muliebrem dilabentes: viris enim barba ſufficit. Quod ſi quis etiam barbam nonnihil tondeat, ea tamen non eſt omnino denudanda, eſt enim turpe ſpectaculum: barbaeque ad cutem uſque tonſura, non videtur multum abeſſe a vulſione & levore . . . . Quoniam autem*

non

non decoris gratia tonſura ſed propter alias accipitur circumſtantias, pili quidem capitis, ne ſuccreſcant, & deſcendentes viſum impediant, & forte qui in ſuperiori labri parte inter comedendum polluuntur, tondendi ſunt non novacula, eſt enim illiberale, ſed duabus tonſorum forficibus. Barbae autem pili, qui nihil moleſtiae adferunt, non ſunt vexandi, ut qui vultui gravitatem adferant, & quemdam paternum terrorem incutiant. Iam vero aliquid de capitis muliebris cultu delibandum. Non enim de viris tantum agere nobis propoſitum eſt, ſed quatenus praefixa brevitas patitur de muliebribus etiam indumentis quaedam obiter diſſerere.

Feminas obnupto capite proceſſiſſe, ſaltem dum orarent, aut prophetarent, ex Apoſtoli praecepto ad Corinthios primum ſcribentis colligere eſt. Nam *Cap. IX.* ita infit: *Omnis autem mulier orans, aut prophetans, non velato capite, deturpat caput ſuum; unum enim eſt ac ſi decalvetur. Nam ſi non velatur mulier, tondeatur. Si vero turpe eſt mulieri tonderi, aut decalvari, velet caput ſuum . . . . Ideo debet mulier poteſtatem habere ſupra caput propter Angelos.* Et quidem Chriſtianas olim feminas intonſas fuiſſe, elucet etiam ex *Clemente* Alexandrino, qui dum capitis cultum mulieribus praeſcribit, comas eas aluiſſe perſpicue indicat, *Lib. III. Paedag. cap. XI.* Ταῖς γυναιξὶ δὲ ἀπόχρη μαλάσσειν τὰς τρίχας, καὶ ἀναδεῖσθαι τὴν κόμην, εὐτελῶς περόνῃ τινὶ λιτῇ παρὰ τὸν αὐχένα, ἀφελεῖ θεραπείᾳ συναυξούσαις εἰς κάλλος γνήσιον τὰς σώφρονας κόμας. Καὶ γὰρ αἱ περιπλοκαὶ τῶν τριχῶν αἱ ἑταιρικαὶ καὶ αἱ τῶν σειρῶν ἀναδέσεις πρὸς τὸ εἰδεχθεῖς αὐτὰς δεικνύναι κόπτουσαι τὰς τρίχας, ἀποτίλλουσαι ταῖς πανούργοις ἐμπλοκαῖς . . . . Ἀλλοτρίων καὶ αἱ προσθέσεις τριχῶν, τέλεον ἔκβλητοι· ὀθνείας τε ἐπισκευάζεσθαι τῇ κε-

Ex Juliani misopogone, non arguitur, nisi, Christianos de[illegible], non propter barbam, sed propter barbam formam hircinam videlicet.

φαλῇ τὰς κόμας, ἀθεώτατον, νεκροῖς ἐνδιδυσκούσαις πλοκάμοις τὸ κρανίον. Mulieribus autem crines mollire ſufficit, & tenui aliqua fibula comam adligare frugaliter, ſimplici cultura pudicas comas in veram & germanam pulcritudinem alentibus. Meretricii enim pilorum plexus, & catenarum nexus, cum eas deformes reddunt, tum etiam pilos diſcerpunt, artificioſis inſertis vinculis evellentes . . . . Alienorum autem capillorum adpoſitiones omnino reiiciendae ſunt, & externas comas capiti adhibere, eſt maxime impium, quae mortuis pilis cranium induunt. Idem ex *Tertulliano De cultu feminarum* intelligitur: *Quid enim*, inquit, *tanta ornandi capitis oneroſitas ſalutem ſubminiſtrat? Quid crinibus veſtris quieſcere non licet, modo ſubſtrictis, modo relaxatis, modo ſuſcitatis, modo eliſis? Aliae geſtiunt in cincinnis coërcere: aliae ut vagi & volucres elabantur non bona ſimplicitate. Adfigitis praeterea neſcio quas enormitates ſutilium atque textilium capillamentorum, nunc in galeri modum quaſi vaginam capitis, & operculum verticis, nunc in cervicem retro ſuggeſtum.* Lubenter haec *Clementis*, & *Tertulliani*, loca protuli, nam praeter propoſitum, & illud oſtendunt, quae ornatus capitis vanitas iam inter Chriſtianas feminas ſerperet. Ceterum alere comas feminis apud omnes aeque gentes in uſu fuit, ut ex antiqua hiſtoria, & vetuſtis ſimulacris, intelligere eſt. Sed apud Iudaeos praecipue; quare legimus in Evangelio mulierem, quum Chriſti pedes lacrimis laviſſet, abſterſiſſe capillis, *Luca* referente *Cap. VII. verſ.* 38. Caput quidem Chriſtianas feminas velaviſſe, iam ex adlatis Apoſtoli verbis percipiatur, ſed dum orarent aut prophetarent; verum uſu, & Patrum expoſitione, ut apud *Chryſoſtomum* ad hunc locum videre eſt,

Et atque idem fecisse Mariam, nisi una atque eadem mulier est, auctore Joanne Cap. XII. verſ. 3. Et fecerunt, quae ex Epistola Pauli ad Corinthios superius protulimus.

eſt, factum eſſe videtur, ut virgines & mulieres Chriſtianae velatae ſemper incederent. Hinc illud *Tertulliani De cultu feminarum: Deus vos velari iubet: credo ne quarumdam capita videantur. Clemens* autem Alexandrinus *Lib. III. Paedag. cap. XI.* iubet: πλεῖον τοῦτο ἐχέτω ἡ γυνή· κεκαλύφθω τὰ πάντα πλὴν εἰ μὴ οἴκοι τύχοι. *Hoc amplius habeat mulier; ſemper tecta ſit, niſi quum domi fuerit.* Virgines vero etiam velandas ex eodem Apoſtoli loco laudatus *Tertullianus* comprobat, & ex Corinthiorum ipſorum conſuetudine *Libro de Virginibus velandis. Hodie denique*, inquit, *virgines ſuas Corinthii velant.* Et generale etiam antiquumque Eccleſiarum Apoſtolicarum inſtitutum adducit: *Sed eas ego Eccleſias propoſui, quas & ipſi Apoſtoli, vel Apoſtolici viri, condiderunt, & puto autem quosdam. Habent igitur & illae eamdem conſuetudinis auctoritatem, tempora & anteceſſores opponunt magis quam iſtae.* Quatenus autem velarentur indicat idem *Tertullianus*, dum laudato ſtatim libro abuſum quarumdam carpit, & inquit: *Mitris & lanis quaedam non velant caput, ſed conligant, a fronte quidem protectae; qua proprie autem caput eſt, nudae. Aliae modice linteolis, credo ne caput premant, nec ad aures uſque demiſſis, cerebro tenus operiuntur. Miſereor ſi tam infirmo auditu ſunt, ut per tegmen audire non poſſint. Sciant quia totum caput mulier eſt. Limites & fines eius eo uſque porriguntur unde incipit veſtis. Quantum reſoluti crines occupare poſſunt, tanta eſt velaminis regio, ut cervices quoque ambiantur.* Iam haec omnia etiam ex antiquis Chriſtianorum imaginibus confirmantur, inter quas feminae, aut ſparſis promiſſiſque crinibus, aut colligatis, & velamine tectae, vario tamen modo, frequenter occurrunt, & inter

orandum praecipue, ut apud *Aringhum* videre eſt *pag.* 475. 531. 537. 549. quamquam mulier capite nudo, ſed crinibus diffuſis, orans offenditur *pag.* 461. Quaedam vero de virginibus, & ſponſis obſervanda; & eas quidem non velo ſaepe, ſed mitra, aut mitella, tantum caput ornaviſſe dicendum eſt ex *Tertulliano De Velandis Virgin.* & ex antiquis picturis apud *Bonarotium Tab. XVIII. fig. II. & Tab. XXI. fig. I.* Chriſtianas item ſponſas primis illis temporibus *Flammeum* non uſurpaſſe, utpote veſtem Ethnicorum ſuperſtitione profanam, ex antiqua nuptiarum pictura apud laudatum *Bonarotium Tab. XXI. fig. III.* intelligere datur: quod tamen velum adhibere in nuptiis contrahendis inſequentibus temporibus in uſu fuit, ut ex *Ambroſio Exhort. ad Virgin. Cap. VI. & Epiſt. XIX.* ex *Epiſtola Siricii ad Eccleſiam Mediolanenſem adverſus errores Ioviniani*, ex *Epiſtola Nicolai I. ad conſultationes Bulgarorum cap. III.* ex *Iſidoro De divin. Offic. cap. XIX.* percipimus. In memorata tamen *figura III. Tab. XXI.* ſponſa, veſtibus pretioſis ornata eſt, ut quidem communis conſuetudo ferebat, quod tamen minus probat *D. Paulinus* in *Iuliani Epithalamio*. Non tamen inaures ſponſa habet, non monilia, ut *pag.* 154. *Bonarotius* obſervat, quum tamen exploratae fidei ſit Chriſtianas feminas interdum ea geſtaviſſe, dum hunc luxum improbant Patres, *Clemens lib. III. Paedag. cap. XI. Tertullianus De cultu feminarum*, *Cyprianus De habitu Virginum*. Adſcititia quoque capillamenta uſurpabant, ut ex laudatis Patribus eminet, & ornamenta quoque alia, quorum abuſum, quum nec illi, nec ipſe probem, feminae primitivae Chriſtianae facile abiudicaverim. Sed quacumque modeſtia olim incederent feminae Chriſtianae, tamen dubi-

tan-

tandum non videtur, ſecundo, & tertio ſaeculo, luxum, & ſuperfluum capitis ornatum, veſtiumque pretioſarum uſum, apud eas invaluiſſe, ſi expendantur ea, quae declamat *Tertullianus De habitu muliebri*, *& De cultu feminarum*, *& De Virginibus velandis*; atque inſuper *Clemens* Alexandrinus *Lib. III. Paedagogi*.

Iam de aliis veſtibus verba faciamus. Chriſtum pallio, & tunica, indutum fuiſſe, ex Evangeliſtarum commentariis elucet: nam *Ioannis cap. XIX. verſ. XXIII.* ita ſcribitur: *οἱ οὖν στρατιῶται ὅτε ἐσταύρωσαν τὸν Ἰησοῦν ἔλαβον τὰ ἱμάτια αὐτοῦ καὶ ἐποίησαν τέσσαρα μέρη, ἑκάστῳ στρατιώτῃ μέρος, καὶ τὸν χιτῶνα*. *Igitur milites, quum crucifixiſſent Ieſum, acceperunt veſtimenta eius, & fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem, & tunicam*. Vbi obſervat *Salmaſius τὰ ἱμάτια* poſuiſſe Ioannem pro *τὸ ἱμάτιον* ex Graece loquentium uſu, & *ἱμάτιον* heic pallium ſignificare; quod confirmari poteſt ex iis, quae adducit eruditus *Suicerus* in ſuo *Rerum Eccleſiaſticarum Theſauro* voce *ἱμάτιον*. Quare *Euſebius lib. VII. Hiſtor. Eccleſ. cap. XVIII.* Servatoris ſtatuam, quae Paneade proſtabat, *διπλοΐδα* indutam fuiſſe ait, hoc eſt, pallium duplicatum, quale cernitur apud *Bonarotium Ad vitra Tab. V. Fig. III.*, ut explicat etiam laudatus *Salmaſius* dum ſub *Fr. Franci* nomine ab *Dionyſ. Petavii* obiectionibus ſe tueri conatur. Igitur duas Chriſti veſtes conſiderabimus, tunicam, & pallium. Chriſti tunica, eſt interior veſtis, ut ex *Theophylacto ad Matthaeum cap. V.* intelligere eſt, ubi ait: *Χίτων κυρίως τὸ παρ' ἡμῖν λεγόμενον ὑποκάμισον*. *Tunica proprie dicitur, quam ſubuculam vel induſium vocamus*. Erat autem *inconſutilis ἄρραφος*, auctore *Ioanne* loco laudato: *ἦν δὲ ὁ χιτὼν ἄρραφος ἐκ τῶν ἄνωθεν ὑφαντὸς δι' ὅλου*. *Erat vero tunica inconſuti-*

ſutilis deſuper contexta per totum. Hoc eſt, quum duo praecipue eſſent tunicarum genera, unum earum, quae σχιςοὶ dicebantur, & quum apertae eſſent, fibulis, aut corrigiis, coniungebantur; alterum earum, quae nullis eiuſmodi vinculis connecterentur, ut noſtrae ſubuculae ſunt, quum vel textoris, vel ſartoris ope, iam undique clauſae & connexae ſint; huius ſecundi generis erat Chriſti tunica. Ἄῤῥαφος autem, ideſt, *inconſutilis* dicta eſt, non quod ſuturas nullas haberet, ſed quod ſciſſa & aperta non eſſet, nec iis fibulis necteretur, quae ῥαφαὶ dicebantur, ut late oſtendit doctiſſimus *Suicerus* in voce χιτών. Huiuſmodi tunicis etiam Apoſtoli uſi ſunt, ut ex Chriſti praecepto intelligimus iubentis eis unam tantum tunicam geſtare, *Matth. cap. X. verſ.* 10. μὴ πήραν εἰς ὁδὸν, μηδὲ δύο χιτῶνας, μηδὲ ὑποδήματα, μηδὲ ῥάβδον. Et *Marci VI. v.* 9. καὶ μὴ ἐνδύσασθαι δύο χιτῶνας. Et ita quidem Apoſtolos ſe veſtire conſueviſſe indicant etiam verba Chriſti *Lucae cap. XXII. v.* 36. dicentis Apoſtolis ſuis: *Sed nunc qui habet ſacculum, tollat ſimiliter & peram: & qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium*. *Ioannis* autem *Cap. XXI. v.* 7. ſcribitur: *Simon Petrus, quum audiſſet quia dominus eſt, tunica ſuccinxit ſe (erat enim nudus) & miſit ſe in mare*. Sed quomodo locus hic explicandus ſit, inferius docebimus. In *Actis* vero *Apoſtolorum cap. XII. v.* 8., ubi de Petro vincto agitur, legitur: εἶπέ τε ὁ ἄγγελος πρὸς αὐτὸν, περίζωσαι καὶ ὑπόδησαι τὰ σανδάλιά σου· ἐποίησε δὲ οὕτω, καὶ λέγει αὐτῷ, περιβαλοῦ τὸ ἱμάτιόν σου καὶ ἀκολούθει μοι. Vbi evidenter tunica indicatur illo verbo περίζωσαι; nam tunica ſuccingebatur, ut ex loco Ioannis ſtatim producto perſpicue elucet. Quod ſi apocryphorum Scriptorum auctoritate fungi fas

eſt,

eſt, *Pſeudo-Abbdias lib. V.* §. *XXI.* Ioannem Apoſtolum tunica uſum fuiſſe docet; & Bartholomaeum colobio, quod eſt tunica ſine manicis, auctoribus *Alb. Rubenio, H. Valeſio*, & *C. Cangio*, ut ipſius *Abdiae lib. VIII.* videre eſt. Hinc ad Apoſtolorum imitationem Chriſtiani quoque alii, ſeu potius conſuetudinem ſervantes, antiquis illis temporibus tunica induebantur. Si *Stephano* III. Papae in Epiſtola ad Hilduinum Abbatem credendum eſt, Dionyſius Areopagita, colobio indutus, ei καθ' ὅρασιν viſus eſt. Et quidem Monachi veteres, qui antiquum & primitivum Chriſtianorum habitum retinuiſſe videri poſſunt, tunica, vel colobio, utebantur. *Rufinus* de Monachis Tabenneriis, ingentis abſtinentiae viros vocat, *quibus uſus eſt indui colobiis, quaſi ſaccis lineis, & pelle confecta*. *Hieronymus* in vita Hilarionis. *Igitur octogeſimo aetatis anno, quum abſens eſſet Heſychius, quaſi teſtamenti vice, brevem manu propria ſcripſit epiſtolam, omnes divitias ſuas ei derelinquens, Evangelium ſcilicet, & tunicam ſaccineam, cucullam, & palliolum*. Idem ſaccum alio loco adpellat: *Igitur ſacco tantum membra coopertus, & pelliceum habens ependyten, quem illi beatus Antonius proficiſcenti dederat, ſagumque ruſticum*.

Tunicae pallium a pluribus ſuperponebatur, quo Chriſtus uſus eſt, ut ſuperius auctoritate Evangeliſtae *Ioannis* adſtruximus. Eodem etiam Apoſtoli induti ſunt, quare Angelus *Actor. cap. XII. verſ. VIII.* ait Petro: περιβαλοῦ τὸ ἱμάτιόν σου, καὶ ἀκολούθει μοι. Vbi τῷ περιβαλοῦ τὸ ἱμάτιόν σου pallium manifeſte denotatur, quod & περιβόλαιον propterea proprie adpellabatur. *Pſeudo-Abdias* Ioanni Apoſtolo, Simoni, & Iudae, & Bartholomaeo, pariter Apoſtolis, pallium tribuit, ut *Lib. V. Lib. VI. Lib. VIII.* videre eſt.

eſt. Et pallio quidem uti Apoſtolos conſueviſſe late demonſtraverunt *Grotius* ad *Acta XII. 8.* & *Salmaſius* ad *Tertullianum De Pallio*. Hinc Chriſtus quum eos alioſque in Monte adloqueretur apud *Matthaeum cap.V.* 40. de veſtibus agens, nonniſi χιτῶνα *tunicam*, & ἱμάτιον hoc eſt *pallium*, commemorat. *Stephanus* III. Pontifex Maximus in laudata ſuperius Epiſtola ad Hilduinum Abbatem, Dionyſium Areopagitam pallio amictum inducit; & certe primitivorum Chriſtianorum pleroſque pallium geſtare ſolitos fuiſſe, tam verum eſt, quam quod maxime; & ſufficit Librum *De Pallio*, *Quincti Septimii Florentis*, evolvere. Hinc ab Auctore *Philopatridos* Chriſtianus indicatur τριβώνιον ἔχων *pallium habens*. Sed *B. Rhenanum* in *Librum Tertulliani De Pallio* diſſerentem audiamus: *Quoniam*, inquit, *Graecorum geſtamen erat pallium, ut toga Romanorum, & Chriſtiani frugalitatis gratia pallio veſtiebantur, tamquam veſte ſimpliciore, & philoſophica, factum eſt ut vulgari convicio, qui noſtris ſacris initiati forent, Graeci vocarentur, & ab iniectione pallii, quod tunicae ſuperimponebant, etiam Imponentes, ut ita dixerim, ſive Impoſitores. Nam pallium, ut Tertullianus inquit, interulae ſupereſt, cuius tota molitio, operire ſolutim, ideſt uno circumiectu. Quoties ergo Chriſtianus aliquis prodiiſset, ſtatim illud de trivio audiebat* ὁ γραικὸς ἐπιθέτης. *Id ſimpliciter accipiebat indoctum vulgus ob pallii ſuperimpoſitionem; ceterum litterati figuratum morſum intelligebant in vocabulo* ἐπιθέτης, *in quo fieret ad impoſtoris nomen apud Latinos adluſio, hoc eſt, deceptoris, & hominis ſanctitatem mentientis, atque hoc eſt quod* Hieronymus *ad Furiam ſcribens*, Vbicumque, *inquit*, viderint Chriſtianum ſtatim illud de trivio

ὁ γραι-

ὁ γραικὸς ἐπιθέτης, vocant impoſtorem, detrahunt. *Quamquam, ut* Eraſmus *noſter illic adnotavit, illa duo verba* vocant impoſtorem, *non ſunt in exemplaribus vetuſtioribus, indubie pro gloſſa primum adſcripta in margine, deinde recepta in contextum. Senſum ſcommatis idem* Hieronymus *expreſſit in Epiſtola ad Marcellam, de Chriſtianis agens, qui propter veſtitum viliorem a Gentilibus, nonnumquam etiam a Pſeudo-Chriſtianis riderentur.* Nos, *inquit*, quia ſerica veſte non utimur, monachi iudicamur: quia ebrii non ſumus, nec cachinno ora diſſolvimus, continentes vocamur, & triſtes. Si tunica non canduerit, ſtatim illud e trivio, Impoſtor & Graecus eſt. *Vbi vides ad veſtem pertinere dicterium, qua Philoſophi Graecorum peculiariter uterentur, & poſt illos Chriſtiani, quum inquit*, ſi tunica non canduerit. *Porro ob ſuam & utentium eo ſimplicitatem pallium in contemtum venit, ut fieret dicterio locus apud Carthaginienſes, quemadmodum ex hoc libello adparet*, A toga ad pallium, *de mutatione vitae ſplendidioris in frugalem, & magnarum opum in paupertatem, ſimile illi:* Ab equis ad aſinos. *Inde natum quod ſummae apud Gentiles auctoritatis viri relicto paganiſmo Chriſtianae religioni frequenter nomen dantes pallio veſtirentur.* Atque ita quidem ille. Sed ab hominibus doctis diſceptatum eſt, an Chriſtiani omnes pallio philoſophico paſſim uterentur, vel quorumdam tantum auſteriorem diſciplinam profitentium peculiare veſtimentum eſſet. Illud quidem quibusdam adriſit, & *Dionyſ. Petavio* in primis, ſub adſcititio *Antonii Cercoetii* nomine latitanti; hoc vero *Cl. Salmaſio*, qui ita in ſuo *Commentario ad Librum Tertulliani De Pallio* inter cetera ſcriptum reliquit: *Sciendum eſt pallium illud, quod quidam ex Chriſtianis tunc geſſere, & propter*

quod

quod γραικοὶ ἐπιθέται per convicium vulgo dicebantur, non fuiſſe Graecorum commune pallium, ſed proprium ac peculiare philoſophorum. Τρίβων & τριβώνιον vocabatur, quae vox vilem uſuque detritam veſtem ſonat; unde & τριβωνοφόροι philoſophi dicti. Quemadmodum autem Graeci generis haud alii ferme τρίβωνα ſive pallium ſoliti erant uſurpare, quam qui philoſophos profiterentur; ſic inter Chriſtianos habitum illum philoſophicum, hoc eſt, pallium, nemo tunc temporis uſurpavit, niſi qui Chriſtianum vere philoſophum agere vellet. Nam qui diſciplinae Chriſtianae diligentiſſimos & exactiſſimos cultores praeſtare volebant in omnibus, hi Chriſtiani philoſophi erant, & dicebantur. Tales Tertulliani aetate Epiſcopi, Presbyterique, & omnes Clerici, ac poſtea Monachi. Hactenus ille, qui iſthuc ipſum non ſpernendis rationibus & argumentis confirmare conatur. Et profecto ſi Ariſtides, & Iuſtinus Martyr, ut ſuperius vidimus, philoſophicum habitum poſt Chriſtianae ſapientiae profeſſionem retinuiſſe ſignanter dicti ſunt, quorſum iſthaec, ſi pallium philoſophicum omnium Chriſtianorum commune erat? Inſuper tradit idem *Iuſtinus Dialogo cum Tryphone*, ſe veſtis indicio a Tryphone pro philoſopho cognitum; quod difficile fuiſſet, ſi Chriſtiani omnes pallio utebantur huiuſmodi. Sed pallium geſtaviſſe primaevos Chriſtianos probabiliter quoque adſtruitur ex eo, quod Monachi, quos antiquae veſtis modum retinuiſſe mature obſervavimus, pallio ſuperinduebantur, ut ex *Hieronymi* loco in *Vita Hilarionis* ſuperius adlato conſtat, & luculentius exſiſtet ex Scriptorum teſtimoniis, quae inferius proferenda ſunt. Pallii autem forma exhibetur ab erudito *Oct. Ferrario Part. II. De re Veſtiar. lib. IV.* & *Analect. De re Veſtiar. Tab. XXIX.* eamque diſcere

† Sulpitius Severus Dialog. II. de S. Martino est loquens: Nec mora Sanctus, pauperem non vidente, intra amphibalum sibi tunicam latenter eduxit.

eſt etiam ex duobus Philoſophorum marmoreis ſimulacris, quorum unum in Muſeo Gaddiorum, alterum in aedibus Nicoliniorum, Florentiae adſervatur; quaeque depingi, & tabulis aeneis incidi, feci ad Volumen ſecundum Operum *Io. Meurſii* a me producenda. Ceterum qui Tertulliani tempore praeter Chriſtianos pallium uſurparent, ita idem *Tertullianus* docet libro *De Pallio*. *Viderit nunc philoſophia quid proſit. Nec enim ſola mecum eſt. Habeo alias artes in publico utiles. De meo veſtiuntur & primus informator litterarum, & primus adornator vocis, & primus numerorum arenarius, & grammaticus, & rhetor, & ſophiſta, & medicus, & poëta, & qui muſicam pulſat, & qui ſtellarem ccniectat, & qui volaticam ſpectat.*

De tunicae, ac pallii, materia, colore, ornamentis, & longitudine, aliquid etiam dicendum. Pallia igitur, tunicas, chlamydes, chlaenas, & alias id genus veſtes, laneas fuiſſe oſtendit *Ferrarius* laudatus *Part. II. De re Veſtiaria lib. IV. cap. XI.* At *Hegeſippus* apud *Euſebium lib. II. Hiſtor. Eccleſ. cap. XXIII.* (ſi tamen is ille eſt) Iacobum Ieroſolymorum Epiſcopum linea tantum veſte uſum fuiſſe, lanicio autem abſtinuiſſe, memoriae prodidit. οὐδὲ γὰρ ἐρεοῦν ἐφόρει, ἀλλὰ σινδόνας. *Neque enim lanicio, ſed linea tantum veſte, utebatur. Epiphanius Haereſ. XXX. cap. XXIV.* idem de Ioanne Evangeliſta litteris mandavit. Sic adoleſcens ille, de quo loquitur *Marcus cap. XIV.* erat περιβεβλημένος σινδόνα ἐπὶ γυμνοῦ, *amictus ſindone ſuper nudo*, hoc eſt *linea veſte, ſeu tunica*, quam coenatoriam fuiſſe veſtem cenſet *Baronius ad annum XXXIV. num.* 39. & de qua pluribus agit *Io. Iacobus Chifletius* in ſua *Criſi Hiſtorica De Linteis ſepulcral. Chriſti cap. V.* Sed paſſim ſericis, auratiſque, &

Ψ Hinc in Arabico Tractatu de Vitis quatuor Evangelistarum, quem vulgavit Kirstenius Apostoli

Albi for-

& pretioſis, veſtibus Chriſtiani abſtinebant. *Clemens lib. II. Paedag. Cap. X.* Τὰς μεμωρημένας λεπτουργίας, καὶ τὰς ἐν ταῖς ὑφαῖς περιέργους πλοκὰς, ἐκ ποδῶν μεθιςάντας· νῆμα χρυσοῦ, καὶ σῆρας Ἰνδικοὺς, καὶ τοὺς περιέργους βόμβυκας χαίρειν ἐῶντας. *Nimis ſubtiliter per ſummam ſtultitiam laborata opera, curioſae quae in texturis plicaturae, longiſſime amandentur: auri fila, & Indicos ſeres, & operoſos bombyces, valere iubentibus.* Tunicae color albus. Hinc illud *Hieronymi: Si tunica non canduerit.* Et pluribus oſtendit *Oct. Ferrarius Par. . . . lib. III. De re Veſt. cap. X. & Analect. De re veſt. cap. XII.* Hinc in *Actis SS. Perpetuae & Felicitatis* legitur: *Pridie quam pugnaremus, video in oramate huc veniſſe Pomponium Diaconum ad oſtium carceris, & pulſare vebementer: & exivi ad eum & aperui ei, qui erat veſtitus diſcinctam candidam,* ut locum corrigit erudiſſimus *Ph. Bonarotius Ad Vitra antiqua.* Monachis tamen etiam pulla tunica in uſu fuiſſe videtur. *Hieronymus* ad Ruſticum Monachum: *Videas nonnullos accinctis renibus, pulla tunica, barba prolixa, a mulieribus non poſſe diſcedere, &c.* Idemque indicat *Epiſtola ad Salvinam.* Et quidem *Clemens* Alexandrinus *Libro III. Paedagogi cap. XI.* candidam veſtem, ceu maxime Chriſtianos decentem commendat: nam & Apoſtoli tunica alba utebantur, quum *Pſeudo-Abdias* candidum colobium Bartholomaeo tribuat: & candidiſſima tunica amictum Dionyſium Areopagitam *Stephanus III.* in ſua Epiſtola repraeſentet. Ψ Sed num & Chriſtus tunica alba utebatur? At quorſum tunc Herodes, ut illuderet, veſte alba illum induiſſet? Obſervandum igitur *Lucam cap. XXIII. v. 11.* non veſtem albam [proprie] dixiſſe, sed λαμπρὰν *ſplendidam*, quam Syrus interpres coccineam dicit. [Et quum *Iacobus cap. II. v. 2.* ἐσθῆτα λαμπρὰν

[inuper non vestem ἐσθῆτα ~~generaliter~~ vocat, sed chlamydem.

(margin notes: ...an Thumb... quod candidis vestibus uterentur.)

Digitized by Google

πρὰν opponat veſti ſordidae, nil aliud illo *Lucae* loco ſignificari credendum eſt, quam Herodem veſtem Chriſto circumieciſſe privata ſplendidiorem, licet utraque candida eſſet, ioculare indicium adfectati regni. Quum vero adeo generaliter *Clemens* candidum veſtium colorem in Chriſtianis hominibus adprobet, oportet ut in Aegypto pallio Chriſtiani minime uterentur; quum ſatis compertum ſit pulli coloris fuiſſe pallium philoſophorum. *Baſilius* presbyter in Nazianzenum: *Τρίβωνες, περιβλήματά τινα. τῶν μὲν ῥητόρων ἐρυθροί τε καὶ φοινικοί, φαιοὶ δὲ τῶν φιλοσόφων. Pallia, amictus quidam; rhetorum quidem rubra, & purpurea, pulla vero Philoſophorum.* Hoc item ſcriptum habetur in Lexico *Cyrilli*. Pallium etiam Monachorum & Aſcetarum nigrum. *Syneſius Ep. CXLVI.* ad Ioannem, qui aſceticum habitum ſumſerat: *Καὶ φαιὸν τριβώνιον ἀμπέχεσθαί σε φασί. Et nigro pallio amiciri te dicunt.* Hinc de Monachis humilitatem adfectantibus & hypocritis *Hieronymus Epiſtola ad Euſtochium De Cuſtodia Virginitatis. Viros quoque fuge, quos videris catenatos: quibus feminei contra Apoſtolum crines, hircorum barba, nigrum pallium, & nudi patientia frigoris pedes.* Quamquam vero haec ita habent, tamen exploratae fidei eſt univerſa veſtimenta Catechumenorum, qui luſtrali aqua tinguendi erant, candida fuiſſe, & ideo *φωτοειδῆ ἱμάτια* adpellabantur. *Pachymeres* ad *Dionyſ. Areopagitae Cap. II. de Eccleſ. Hierarchia. Φωτοειδῆ ἱμάτια ὁ τελούμενος ἀμφιέννυται, διὰ τὸ ἀπαθὲς καὶ ἀῤῥύπωτον· καὶ τὴν πρὸς τὸ ἓν φῶς σύννευσιν, καθ' ἣν ὁ ῥυπαρὸς βίος καὶ ἄκοσμος καὶ ἀνείδεος οἱονεὶ δυσειδής. Candidis veſtibus initiatus induitur, propter paſſionum ac ſordium vacuitatem, & ad unum lumen inclinationem, per quam ſordida & immunda informiſque vita quaſi diſparuit.* Eorumdem

vestibus tincti fuerant, ut latius apud Danielem Heinsium in Exercitation. sacris N.T. ad Cap. XXIII. Lucae videre est.

dem veſtem *Baſilius Magnus Exhort. ad Baptiſm.* ἔνδυμα φωτεινὸν *veſtem ſplendidam* vocat; & in *Prato ſpirituali Ioannis Moſchi cap. CCVII.* νεοφωτιστικὰ ἐνδύματα dicuntur. *Nazianzeno* autem *Orat. XL.* ἐμφώτως ἐσθῆς nuncupatur. Quare recens Baptiſſati λαμπροφορεῖν dicebantur. *Iobius* apud Photium *Cod. CCXXII.* οἱ φωτιζόμενοι ἑπτὰ ἡμέρας λαμπροφοροῦσι *Baptiſſati ſeptem diebus candidati incedunt.* Sed fides ne habenda erit Siſinnio Novatianorum Conſtantinopoli Epiſcopo, qui candidis indumentis Chriſtum uſum fuiſſe opinabatur, ut apud *Socratem lib. VI. Hiſt. Eccleſ. cap. XXII.* videre eſt? Fides *Stephano III.* Papae, qui Dionyſium Areopagitam pallio purpureo circumamicit? Certe *Clemens* Alexandrinus *Lib. II. Paedagogi cap. X.* veſtium tincturas omnino improbat. παραιτητέον δὲ τῆς ἐσθῆτος καὶ τὰς βαφάς. *Reiiciendae quoque ſunt veſtimenti tincturae.* Non me quidem latet in antiquis vitris Chriſti & Apoſtolorum imagines occurrere veſtibus vario colore efflorescentibus indutas; ſed eorum non eſt fortaſſis antiquitas tanta & auctoritas, ut vetuſtiorum apertiſſimis teſtimoniis praeferendae ſint. Et *Phil.* quidem *Bonarotius* obſervat, non veritatem pictores in hoc ſequutos eſſe, ſed ſuae aetatis morem; & propenſioni ita Chriſtum & Apoſtolos honorandi indulſiſſe. Hinc & ornatus alios veſtium, & luxum, primitivos Chriſtianos reieciſſe credibile eſt. Veſtis tamen Chriſti fimbria legitur in Evangelio *Matthaei cap. IX. v. 20.* ἥψατο τοῦ κρασπέδου τοῦ ἱματίου αὐτοῦ. *Et tetigit fimbriam veſtimenti eius*, hoc eſt *pallii*. *Theophylactus* ad hunc locum Κράσπεδον exponit τὸ ἄκρον τοῦ ἱματίου, *oram veſtimenti extremam*. Sed, ut quae nam hae veſtimentorum extremitates eſſent perſpicue comprehendamus, ſciendum eſt Deum *Deuteronom. cap. XXII. verſ.*

verſ. 11. ita praecepiſſe. *Funiculos in fimbriis facies per quatuor angulos pallii tui, quo operieris.* Itaque pii Iſraëlitae, non luxu, ſed religione, pallii ſui angulos ornabant, funiculis contortis, ſeu filis contortis duplicatis, qualia videre eſt in his ornamentis, quae vernacule dicimus *Nappe* & *Peneri*; tantum enim ſonat vox גדלים *ghedilim* loco Deuteronomii adlato. Hinc intelligitur alter *Matthaei* locus *cap. XXIII. verſ.* 5. ubi de Scribis & Phariſaeis agitur: *μεγαλύνουσι τὰ κράσπεδα τῶν ἱματίων αὐτῶν. Producunt fimbrias palliorum ſuorum.* Ad quem locum ita commentatur *Hieronymus: Iuſſerat quoque aliud Moyſes, ut in quatuor angulis palliorum hyacinthinas fimbrias facerent, ad Israëlis populum dignoſcendum: ut quomodo in corporibus circumciſio ſignum Iud*[illegible] *daret, ita & veſtis haberet aliquam differe*[illegible] *perſtitioſi magiſtri, captantes auram popularem* [illegible] *ex mulierculis ſectantes lucra, faciebant grandes fimbrias, &c.* Super quo tamen loco conſulendus eſt idem *Hieronymus* etiam *Epiſtola ad Celantiam*, ſeu quicumque auctor eſt. *Theophylactus* ad eumdem locum eas violaceas aut coccineas fuiſſe ſcribit. Vbi autem hae fimbriae adligarentur, & qua forma eſſent docet *Epiphanius Haereſ. XV.* de Scribis agens: *Ῥοίσκους γάρ τινας ἐπὶ τὰ τέσσαρα πτερύγια τοῦ τρίβωνος ἕκαστος εἶχεν ἐξ αὐτοῦ τοῦ στήμονος δεδεμένους. Corymbos enim quoſdam ad quatuor alas pallii unuſquiſque habebat adligatos ex eodem ſtamine.* Pallium enim erat quadrangulare. *Pſeudo-Abdias lib. VIII.* ita de Bartholomaeo ſcribit: *Veſtitus colobio albo, clavato purpura. Induitur pallio albo, habente per ſingulos angulos ſingulas gemmas purpureas. Salmaſius* ad *Tertullianum de Pallio* huic *Abdiae* loco hanc cenſuram ſubiungit: *Pallium utique quadrangulum habuit, ſed illa de gemmis*

Laſtoris veſtimenta Coccinea Lib. III.
Paſtoris ſimil. VI.

mis ſingulis ad ſingulos pallii angulos; ac de purpura colobio intexta, de fabula plane attexta ſunt, & commentitium Scriptorem arguunt. Idem iudicium ferendum eſt de Dionyſii Areopagitae colobio *candidiſſimo purpura clavato*, & *pallio toto purpureo auro interſtellato*, ut habet *Stephanus III.* in *Epiſtola ad Hilduinum Abbatem*. Quamquam diſſimulandum non eſt, in antiquis picturis Chriſti, & Apoſtolorum, tunicam clavis aut aureis, aut purpureis, adſutis inſignem exhiberi, ut apud *Bonarotium* ſaepe laudatum videre eſt; ſed quanta fuerit in hoc pictorum licentia iam animadvertimus, quum praeſertim illae imagines IV. & V. ſaeculi ut plurimum ſint. At laudatus *Bonarotius* quoad gemmas recte ſentire Salmaſium cenſet; non tamen quoad clavos, qui ſaltem, ſi minus purpurei, aureique, eſſent, rubri coloris tantum in plebei ordinis, & pauperioribus, hominibus eſſe potuerunt. Aut, etſi vere ex purpura conſtitiſſent, id vulgare, & cuiuſvis conditionis, ſervis & id genus exceptis, hominibus proprium, & non temere quidem opinatur. *Tabulis* inſuper X. & XI. apud laudatum *Bonarotium* fibulae quaedam gemmatae ante pectus Apoſtolorum Petri, & Pauli occurrunt, de quibus etiam mox opportunius agemus. Et quidem antiqui Chriſtiani veſtium ſimplicitatem, vilitatem, & illuviem ipſam ſectabantur. Hinc apud Auctorem *Philopatridis* Chriſtianus eſt *τριβώνιον ἔχων πολύσαθρον, pallium habens, admodum lacerum*. Hinc illud apud *Hieronymum* ſupra commemoratum. *Si tunica non canduerit*. Hinc pallium pulli coloris, quod humilitatem praefert, & pauperiem. Nam color hic vulgi pauperioris, & deſpectioris, erat; quare vulgus a *Plinio*, *pullatum hominum genus*, & a *Quinctiliano*, *pullatus circulus*, ac *pullata turba*, voca-

vocatur. Quo forte reſpexit *Calpurnius*, quum dixit:

> *Venimus ad ſedes ubi pulla ſordida veſte*
> *Inter femineas ſpectabat turba cathedras.*

Et alibi eidem *pulla paupertas* dicitur:

> . . . . *ſed mihi ſordes,*
> *Pullaque paupertas, & adunco fibula morſu,*
> *Obſtiterunt.*

Quare *Hieronymus De vitando ſubſpecto contubernio: Veſtis ipſa vilis, & pulla.* Quam quidem ſordium, illuvieique, rationem Monachi, vetuſtae ſimplicitatis tenaciores, iugiter habuerunt, eaſque adfectarunt quodammodo; & quam ſemel tunicam induiſſent, numquam exſuebant, priuſquam penitus tota uſu detrita, & ſciſſa eſſet, ac de altera habenda cogitandum foret. *Hieronymus Vita Hilarionis. Saccum, quo ſemel fuerat indutus, numquam lavans, & ſuperfluum eſſe dicens munditias in cilicio quaerere: nec alteram tunicam mutavit, niſi prior penitus ſciſſa eſſet. Rutilius* autem *Numatianus* de ſolitario Chriſtiano agens in *Itinerario:*

> *Infelix putat illuvie coeleſtia paſci;*
> *Seque premit ſaevis ſaevior ipſe Deis.*

Hinc laudatus *Hieronymus* Ruſtico Monacho ita praeſcribit: *Sordidae veſtes, candidae mentis indicia ſint: vilis tunica, contemtum ſaeculi probet.* Et Epiſtola ad Salvinam: *Aliis nihil prodeſt vile palliolum, furva tunica, corporis illuvies, &c.* Nil mirum igitur, ſi gemmarum lapillorumque, auri argentique, uſum maxime improbent in feminis Chriſtianis *Tertullianus De habitu muliebri, & De cultu feminarum*, & *Clemens lib. II. Paedag. cap. XII.* quod eo magis in maribus feciſſent, ſi illa geſtare auſi eſſent. In *Actis* nihilominus *SS. Perpetuae & Felicitatis* legitur Dia-

Quamquam Nepotiano scribens medium viam initiit, atque inquit: Vestes pullas aeque devita ut candidas, ornatus et sordes pari modo fugiendae sunt, quia alterum delitias, alterum gloriam redolet.

conus tunicam albam indutus *multiplices* habuiſſe *calliculas ;* qui ornatus quidam veſtium erant ob pulcritudinem ita adpellati, & interdum ob rotunditatem τροχάδες dicti, obſervante *P. Lambecio Tom. IV. Biblioth. Caeſar. in Append.* Has autem *multiformes calliculas ex auro argentoque factas fuiſſe* aliquando ex laudatis *Actis* elucet. *Ph. Bonarotius Ad Vitra antiqua* in figura II. Tab. V. & figura II. Tab. VI. huiuſmodi calliculas ſe deprehendiſſe arbitratus eſt; cenſuitque eas non ſemper pretioſas eſſe potuiſſe, & ex panno etiam purpuram colore referente veſtibus adſui; & figuras quasdam apud *Arringhium* adlegat. Sed quamquam ſimplicitatem veſtium, & frugalitatem amarent vetuſti illi Chriſtiani, non tamen credendum omnibus ſordes, & lurida veſtimenta, adeo haeſiſſe, ut & munditiem quamdam innocentem minime praeſeferrent. *Haec utique,* inquit *Tertullianus De cultu Feminarum, non ad crudam in totum & ferinam habitudinem inſinuandam vobis ſuggeruntur, nec de bono corporis ſqualorem, ſed de pudoris ſuademus, ſed de modo, & cardine, & iuſtitia corporis excolendi. Non ſupergrediendum ultra quam quod ſimplices & ſufficientes munditiae concupiſcunt, ultra quam Domino placere.* Egregie *Hieronymus* ad Euſtochium De Virginitate ſervanda: *Nec adfectatae ſordes, nec exquiſitae mundiciae, conveniunt Chriſtiano.* Tunica & pallium, veſtimenta longa erant; & *Clemens* quidem Alexandrinus veſtes talares eſſe vult. Τὸν γοῦν μηκέτι διηνθισμένον ποικιλίᾳ χρωμάτων, ὅλον δὲ λευκωθέντα δι᾽ ὅλων, ἀπὸ κεφαλῆς ἄκρας ἄχρι ποδῶν ἐχάτων καθαρὸν εἶναι ἐθέλει. *Eum ergo qui varietate colorum minime effloreſcit, totus autem a vertice capitis uſque ad extremos pedes eſt candidus, mundum eſſe vult, &c.* Attamen non adeo longas veſtes Chriſtia-

ſtianorum fuiſſe crediderim, ut ad pedes uſque defluentes, illos tegerent; ut elucet ex antiquis Chriſtianorum ſimulacris, quae *Aringhus* & *Boſius*, in *Roma ſubterranea*, & *Bonarotius* in *Vitris antiquis*, exhibent; & ex communi uſu veſtiendi etiam apud Ethnicos, quem tibi obferet *Oct. Ferrarius* in ſuis *De re veſtiaria* eruditis lucubrationibus. Sed nec ipſe *Clemens* longas adeo veſtes probare videtur; *Libro* enim II. laudati Operis *Cap. X.* ita ſcribit: Τὸ δὲ καὶ σύρειν τὰς ἐσθῆτας, ἐπ᾽ ἄκρους κατιοὺς τοὺς πόδας, κομιδῇ ἀλαζονικὸν, ἐμποδὼν τῇ ἐνεργείᾳ τοῦ περιπατεῖν γινόμενον, καλλύντρου δίκην, ἐπισυρομένης τῆς ἐσθῆτος τὰς ἐπιπολαίους τῆς γῆς ἀχυρμίας, &c. *Trahere autem veſtes ad ſummos uſque pedes demiſſas, valde eſt adrogans & ſuperbum, quod ambulandi actionem impedit, quum veſtis inſtar verriculi, quae in ſoli ſunt ſuperficie, ſordes ſecum attrahat, &c.* Sed nec nimis breves e contra commendat, nam, ut ipſe ait, τῆς χρήσεως τὴν ἀμετρίαν εὐλαβητέον, *vitanda eſt uſus immoderatio*. οὐδε γὰρ ὑπὲρ γόνυ καθάπερ τὰς Λακαίνας φασὶ παρθένους, ἐστολίσθαι καλόν. *Neque enim ſicut Lacaenas virgines ſupra genu veſtiri honeſtum eſt*. Ergo veſtes Chriſtianorum iuxta *Clementem* infra medium crus, & prope talos, deſcenderint, quales hodienum Armeni ferunt; quales in feminis agri Roetici, quum illac tranſirem, adſpexi. Sed tractu temporis apud Romanos longae, & uſque ad imos pedes fluentes, tunicae in uſu fuere, & tunc zonarum quoque uſus, & cingulorum, invaluit; nam tunicae paulo breviores minime cingebantur, ut ex *Tertulliano Libro De Pallio* intelligitur; adeoque *tunicae rectae*, & *diſcinctae*, Graecis στάδιοι, ὀρθοστάδιοι, στατοὶ χιτῶνες, adpellabantur, ut eruditiſſimus *Bonarotius* noſter obſervat. Apud Ebraeos tamen talares tunicas fuiſſe oportet; nam Chriſtus Apoſtolo-

rum pedes lavaturus, pallio depoſito, praecinxit ſe, apud *Ioannem cap. XIII. verſ.* 4. Petrus quoque in *Actis* praecingi iubetur; & tunica ſeu ἐπενδύτῃ ſuccingitur apud laudatum *Ioannem cap. XXI.*

At non hae tantum Apoſtolorum veſtes fuiſſe videntur. Penula Paulus induebatur, de qua *Tertullianus De Corona militis: Habebit*, inquit, *etiam penulam Paulus*. Et quidem *Paulus* ipſe id teſtatur *II. ad Timoth. cap. IV. v.* 13. Τὸν φαιλόνην ὃν ἀπέλιπον ἐν Τρωάδι παρὰ Κάρπῳ, ἐρχόμενος φέρε. *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens adfer tecum.* Nec mirandum quod Paulus Iudaeus, peregrina, ideſt, Romana, veſte uſus ſit; nam ad eum locum *Hilarius* Diaconus obſervat id eveniſſe, *quia erat ex Tarſo, quos conſtat in ſocietatem Romanorum receptos, ut de cetero adpellarentur cives Romani; idcirco neceſſe eſt & curiam habere, in quam more Romanorum penulati conveniunt.* Et laudatus *Tertullianus* libro *De Oratione* Chriſtianos penula pariter indutos nobis commemorat. Sed alii φαιλόνην non *Penulam*, ſed ſaccum, interpretantur, in quo ille membranas & volumina haberet. Vide *Tillemontium Art. XLVII.* Ceterum in Vita S. Hugonis Abbatis Cluniacenſis planeta Petri Apoſtoli memoratur, quam ille Antiochia Lutetiam Pariſiorum attulerit, & in D. Genovefae collocaverit. Penula autem planeta fuiſſe videtur, & hac veſte antiquos paſſim Chriſtianos uſos *Tertullianus Ad Martyras* innuere videtur, ubi ſcribit: *Deus ſcilicet non audiat penulatos, qui tres ſanctos in fornace Babylonii regis orantes cum ſarabaris, & tiaris, ſuis exaudivit.* Et certe credibile eſt etiam ἀσκήτας quoſdam fuiſſe, qui rudioribus aſperioribuſque indumentis amicirentur. Ecce Ioannes Baptiſta, deſerti & nemorum cultor, veſte pilis camelorum contexta tegebatur, cingeba-

gebatur autem zona pellicea, auctoribus *Matthaeo cap. III. v.* 4. & *Marco cap. I. v. 6.* Igitur Ioannis veſtitus, potius cilicium erat, factum ἀπὸ τριχῶν καμήλου, quam ipſa cameli pellis, ut quidam cenſent, quod recte animadvertit & illuſtrat *B. Lamius* in *Harmon. Evang.* Ceterum in antiqui nummi Chriſtiani, quem *Victorius* illuſtrat, averſa parte Ioannes Baptiſta pelle cameli tectus adſpicitur; quemadmodum in antiqua gemma apud eumdem. *Chryſoſtomus* ad *Cap. III. Matthaei* huiuſmodi habitum, utpote iis, qui quotidie in urbibus atque agris oberrabant, maxime adcommodatum, Petro quoque ac Paulo Apoſtolis tribuit. Et quidem Apoſtolos, ſaltem dum iter agerent, zonis accinctos fuiſſe, conſtat ex *Matth. X.* 9. *Marco VI.* 8. Zona autem Pauli memoratur *Actor. cap. XXI.* 11. Eodem referri poſſunt illa loca, quae *lumbos noſtros praecinctos eſſe* iubent, *Lucae XII.* 35. & *ad Epheſ. VI.* 14. Si autem Apocalypſeos *cap.* 1. 13. Chriſtus adparet περιεζωσμένος ζώνην χρυσῆν, *praecinctus zona aurea*. & *Cap. XV. 6.* Angeli prodeunt περιεζωσμένοι περὶ τὰ στήθη ζώνας χρυσᾶς, *praecincti circa pectora zonis aureis*; & id myſteria altiſſima continet, & zonarum uſum confirmat. *Ph. Bonarotius* ſubſpicatur quasdam tunicas apud Iudaeos, ut diximus, praelongas fuiſſe, & non uno loco eas zona praecingi ſolitas, ita ut uno cingulo circa pectus & mammas adſtringerentur; altero vero, circa lumbos, quando vel iter facere, vel aliquo miniſterio exerceri, opus erat, quo expeditior quis eſſet ad operandum. Sanctum Polycarpum cingulo uſum fuiſſe eius martyrii acta teſtantur. *Matthaei cap. X.* 10. pera memoratur, ſed ibi ſacculum viatorium ſignificat. Ceterum Aegyptii Monachi melotas & pelles caprinas, quibus etiam induebantur, ſicut & cucul-

cucullo , peras adpellabant, ut apud *Caſſianum De habitu Monachorum Cap. XI.* videre eſt. *Hieronymus* in *Vita Hilarionis pelliceum ependyten* vocat. Sed ependyte Petrum etiam Apoſtolum uſum fuiſſe docet *Ioannes cap. XXI.* 7. ubi de Petro: ὃ ἐπενδύτην διεζώσατο. *Vulgatus & Eraſmus, Tunica ſuccinxit ſe. Ideſt,* inquit *Eraſmus, pallio, ſive penula, aut toga. Nam tunica veſtis eſt interior, ependytes dicta, quod ſuperne induatur. Et veriſimile eſt piſcatoribus tunicam fuiſſe ſummam veſtem. Fullerus* etiam *Miſcellaneorum Lib. II. cap. XI.* vult hac voce intelligi *veſtem ſuperiorem. Boiſius* interpretatur *velamentum earum partium, quae honeſte conſpici non poſſunt. Ludovico* ἀποθέῳ ἐπενδύτης nec ſuprema nec infima veſtis, fuiſſe videtur, ſed inter induſium & ſtolam media. *Gloſsae Graeco-Latinae* habent: ἐπενδύτης, *inſtata, ſuperaria.* Et *Latino-Graecae: Superaria,* ἐπενδύτης. *Superaria,* quae ſupra induſium, ſupra primam veſtem, induitur. Eratque ex levi ſemper, tenuique, materia, goſſypina plerumque & interdum linea. Vnde etiam *Theophylactus* in *cap. XXI. Ioannis* dicit; ἐπενδύτην fuiſſe λινοῦν τι ὀθόνιον, *linteum quoddam.*

Iam de femineis veſtibus aliquid dicendum eſt. Femineam veſtem a virili aliquatenus diverſam fuiſſe non dubitandum; & earum tunica, ſtola; pallium, palla, dicebatur ut plurimum, quas veſtes antiquae feminae induebantur, ut apud *Octav. Ferrarium Analectis De re veſtiaria,* & *Baifium* eiusdem tituli opere, videre eſt. At ſimplicitas veſtium & vilitas, eadem in illis debuit eſſe, atque in viris, ut ex *Tertulliano De Habitu muliebri,* & *De Cultu feminarum,* intelligimus. Praeclariter *Clemens* Alexandrinus *Lib. II. Paedagogi cap. X.* Φημὶ τοίνυν οὐκ

ἀλλ

ἄλλου τινὸς ἕνεκα δεηθῆναι ὑφασμάτων τὸν ἄνθρωπον, ἢ σκέπης σώματος, πρὸς ἀπαλέξησιν κρυμῶντε ὑπερβολῆς καὶ καυμάτων ἐπιτάσεως, μή τι ἡμᾶς παραλυπῇ τοῦ περιέχοντος ἡ ἀμετρία. εἰ δὴ οὗτός ἐστι τῆς ἐσθῆτος ὁ σκοπὸς, ὅρα μὴ οὐκ ἄλλη μὲν ἀνδράσιν, ἄλλη δὲ ἐσθὴς ἀπονεμητέα γυναιξίν. κοινὸν γὰρ ἀμφοῖν τὸ σκέπεσθαι, κατὰ τὰ αὐτὰ τῷ ἐσθίειν, καὶ πίνειν. Κοινῆς οὖν οὔσης τῆς χρείας, τὴν ὁμοίαν κατασκευὴν δοκιμάζομεν. ὡς γὰρ τὸ δεῖσθαι τῶν σκεπόντων κοινὸν ἑκατέροις. οὕτως καὶ σκέποντα παραπλήσια εἶναι χρή. *Dico ergo hominem non alia de cauſa opus habere veſtimentis, quam ut tegatur corpus, ad maxima frigora & vehementes aeſtus propulſandos, ne nos laedat ambientis aeris immoderatio. Quod ſi hic eſt veſtis ſcopus, vide ne non alia quidem viris, alia vero feminis, veſtis tribuenda ſit: tegi enim utriſque commune eſt, quemadmodum comedere, & bibere. Quum uſus itaque ſit communis, conſtructionem ſimilem comprobamus. Quemadmodum enim utriſque commune eſt ut egeant iis, quae tegunt, ita a quibus tegendi ſunt eſſe oportet ſimilia.* Deinde ad ſummum veſtibus paulo mollioribus indui feminis concedit, at iis uſque ſimpliciſſimis. Ipſe quidem, de muliebris habitus cum virili ſimilitudine, quae heic *Clemens* diſſerit, de ſimili veſtium ſimplicitate intellexi: ſed ſi vera perſequi lubet, non ea erat inter muliebrem & virilem veſtem diverſitas, ut illae tunica & pallio indutae fuiſſe dici non poſſent, quod ex antiquis imaginibus apud *Aringhium*, & *Bonarotium* comprehendere datur. Immo & breviores tunicae, & clavatae, & diſcinctae, iis fuiſse videntur. Non tamen heic quaeſierim an Mariae Deiparae tunica cingeretur, quod quidem veroſimile; nec eius zonam alicubi, ut perhibent, adſervatam morabor: quum alicuius gentis credulitatem nec nocere mihi, nec iuvare, poſſe deprehendam. Vnum heic de Sanctimonialibus

 ob-

obſervandum ſupereſt, ſcilicet eas antiquitus virile pallium uſurpaſſe, quod *Canon XIII.* Synhodi Gangrenſis prohibuerat. Et neſcio an huc partim ſpectent illa *Hieronymi* ad Euſtochium, quae cuncta exſcribere lubet, quod rem veſtiariam religioſarum mulierum illuſtrent, atque ita habent: *Sunt quippe nonnullae exterminantes facies ſuas, ut adpareant hominibus ieiunantes: quae ſtatim ut aliquem viderint ingemiſcunt, demittunt ſupercilium: & operta facie vix unum oculum liberant ad videndum. Veſtis pulla, cingulum ſacceum, & ſordidis manibus, pedibuſque, venter ſolus, quia videri non poteſt, aeſtuat cibo . . . . . Aliae virili habitu, veſte mutata, erubeſcunt eſſe quod natae ſunt, crinem amputant, & impudenter erigunt facies eunuchinas: ſunt quae ciliciis veſtiuntur, & cucullis fabrefactis: ut ad infantiam redeant, imitantur noctuas & bubones.*

Actorum cap. XIX. Pauli ſudaria & ſimicinthia memorantur, ad quem locum ita commentatur *Theophylactus*: Σούδάρια καὶ σιμικίνθια, λινοῦ εἰσιν ἀμφότερα, πλὴν τὰ μὲν σουδάρια ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἐπιβάλλεται, τὰ δὲ σιμικίνθια ἐν ταῖς χερσὶ κατέχουσιν οἱ μὴ δυνάμενοι ὠράρια φορῆσαι. οἷοί εἰσιν οἱ φοροῦντες, ὑπατικὰς στόλας πρὸς τὸ ἀπομάττεσθαι τὰς ὑγρότητας τοῦ προσώπου. *Sudaria & ſimicinthia linea ſunt utraque, ſed ſudaria quidem capiti imponuntur, ſemicinthia vero in manibus tenent, qui non poſſunt oraria geſtare; quales ſunt qui ferunt conſulares veſtes, ut abſtergant humores faciei.* Eadem fere habet *Oecumenius*. Et quidem σιμικίνθιον eſſe τὸ ἐν χερσὶ κατεχόμενον confirmat etiam *Baſilius* Seleucienſis *Homil.* εἰς τὸν εὐαγγελισμὸν τῆς θεοτόκου, quando σιμικίνθιον, de quo in Actis, vocat ἐγχείριον, *quod manu geſtatur*. Sed *Ludovicus* ἀπόθετος Heſychii auctoritate fretus, qui σιμικίνθια ait

ait eſſe quoque *ζωνάρια cingula*, ſimicinthia cingula intelligit, quibus Paulus praecingeretur, ut expeditius incederet: & ſimicinthiis etiam praecingi oſtendit *Ferrarius Analect. De re Veſtiar. cap. XV. Ioannis* autem *cap. XIII. verſ.* 4. *&* 5. Chriſtus linteo quodam ſe praecinxiſſe legitur. Quando autem orariorum mentio incidit, ſciendum eſt orarium probabiliter nihil aliud eſſe, quam faſciam quamdam, laudato *Ferrario cap. XXIII.* memorati operis demonſtrante, & *Suicero* in *Ὀράριον*; & veſtes vulgares erant, omnibuſque communes, de quibus multa egregie diſputavit *Caſaubonus* ad illa Vopiſci: *Ipſumque primum donaſſe oraria populo Romano, quibus uteretur populus ad favorem*; fuiſſe ſcilicet veteribus, ut hodie quoque, linteamina quaedam parva ad munditiem corporis, uſus magni, & multiplicis, ſudaria, ſimicinthia, oraria, & quorum unus meminit *Arnobius*, muccinia. Orariis igitur antiqui etiam Chriſtiani utebantur, ut elucet ex *Prudentio*, qui Hymno Hemitherii & Chelidonii, qui milites ſtipendia meruerant, ait eos quum mortem violentam ſubituri eſſent, munera Deo quemlibet obtuliſſe, unum, annulum aureum; alterum, candidum orarium: quae quidem ſublime lata caelo recepta fuerunt.

Illa laus occulta non eſt, nec ſeneſcit tempore,
Miſſa quod ſurſum per auras evolarunt munera,
Quae viam patere coeli praemicando oſtenderent.
Illius fidem figurans, nube fertur annulus,
Hic ſui dat pignus oris (ut ferunt) orarium:
Quae ſuperno rapta flatu lucis intrant intimum.
Per poli liquentis axem fulgor auri abſconditur,
Ac diu viſum ſequacem textilis candor fugit:
Subvehuntur uſque in aſtra, nec videntur amplius.

Item ex *Ambroſii Oratione De obitu Satyri fratris: Di-*

vi-

vinum illud fidelium ſacramentum ligari fecit in orario, & orarium involvit collo, atque ita ſe deiecit in mare. Ex *Auguſtino lib. XXII. de Civit. Dei cap. VIII. Tunc ſicut potuit oculum lapſum atque pendentem, loco ſuo revocatum, ligavit orario.* Tandem orarium veſtis ſacerdotalis & Eccleſiaſtica factum eſt, & ita adpellarunt *pannum oblongum*, brachio ſacerdotis imponi ſolitum, quod Graeci etiam λῶρον adpellant. Orarium etiam vocata eſt faſcia illa, quae collo ſacerdotis imponitur, & ἐπιτραχήλιον a Graecis, *ſtola* a noſtris, nuncupatur; quamquam *Codinus Lib. De Officiis* ἐπιτραχήλιον ab *orario* ſeparat. Conſulendus de his inter alios *Suicerus* in Ὀράριον. λῶρον. ἐπιτραχήλιον. & *Ferrarius* ſupra laudatus. Hic autem ἐπιτραχήλια geſtandi mos ex ipſo Apoſtolorum inſtituto aut tempore defluxiſſe videatur. Nam Iudaei, quum orarent, ἐπώμιδος ſpeciem quamdam, ab ephod ſacerdotis ſummi diverſam, humeris circumieciſſe, ex *II. Regum Cap. VI. v.* 14. facile credantur: quare non mirum ſi Iudaei, qui Chriſtianos ritus amplexi fuerant, hunc morem retinuerunt, primis illis Eccleſiae temporibus, & Apoſtoli ipſi uſurpaverunt. Et quidem imagines Apoſtolorum Petri, & Pauli, huiuſmodi velaminibus contectae circa humeros, occurrunt apud *Bonarotium Tab. X. XI. XII.* quae quidem faſciae fibula, ut videtur, gemmis ornata ante pectus adſtringuntur. Conſulatur etiam *Tab. XVIII. Fig. III.*

Sed ex elegantibus *Prudentii* verſiculis Chriſtianos annulos geſtare conſueviſſe, & quidem aureos, etiam ediſcimus. Ipſe quidem Caſtri Franci, Etruriae in valle Arni inferiori oppido, Severi martyris λείψανα contemplatus, aureo annulo eius digitum inſigniri conſpexi. Et quidem aurei annuli meminit etiam

Iaco-

Iacobus cap. II. 2. Etenim ſi introierit, inquit, *in conventum veſtrum vir aureum annulum habens in veſte candida, introierit autem & pauper in ſordido habitu.* *Pſeudo-Craton* vero ſcribit Bartholomaeum Apoſtolum annulis ac gemmis ornatum proceſſiſſe; cuius rei fides penes Auctorem eſto. Annulum Mariae Deiparae nuptialem Peruſii exſtare perhibent; ſed mihi de eo liquido nihil conſtat; & forte eiuſdem generis eſt cum D. Zenobii Florentini Epiſcopi annulo, qui Florentiae a quibuſdam oſtenditur. Quales autem annulos, & quomodo, quibuſque figuris inſignitos, veteres Chriſtiani aut ferrent, aut ferre deberent, docet *Clemens lib. II. Paedagogi cap. XI.* Ἀλλὰ καὶ τὸν δακτύλιον οὐκ ἐπ᾽ ἄρθρῳ φορητέον τοῖς ἀνδράσι, γυναικῶον γὰρ τοῦτο· εἰς δὲ τὸν μικρὸν δάκτυλον καὶ τοῦτο εἰς τοὔσχατον καθιέναι. ἔσαι γὰρ οὕτως ἐνεργὴς ἡ χεὶρ ἐν οἷς αὐτῆς δεόμεθα. Καὶ οὐ ῥᾶςα ὁ σημαντὴς ἀποπεσεῖται, τῇ μάζονι τοῦ ἄρθρου συνδέσει φυλαττόμενος· αἱ δὲ σφραγῖδες, ἡμῖν ἔςων πελειὰς, ἢ ἰχθῦς, ἢ ναῦς οὐρανοδρομοῦσα· ἢ λύρα μουσικὴ, ᾗ κέχρηται Πολυκράτης· ἢ ἄγκυρα ναυτικὴ, ἣν Σέλευκος ἐνεχαράττετο τῇ γλυφῇ. Κἂν ἁλιεύων τις ᾖ Ἀποςόλου μεμνήσεται, καὶ τῶν ἐξ ὕδατος ἀνασπωμένων παιδίων. οὐ γὰρ εἰδώλων πρόσωπα ἐναποτυπωτέον· οἷς καὶ τὸ προσέχειν ἀπείρηται· οὐδὲ μὴν ξίφος, ἢ τόξον, τοῖς εἰρήνην διώκουσιν· ἢ κύπελλα, τοῖς σωφρονοῦσιν· πολλοὶ δὲ τῶν ἀκολάςων, γεγυμνωμένους ἔχουσι τοὺς ἐρωμένους, ἢ τὰς ἑταίρας κτλ. *Sed neque eſt a Viris annulus in articulo ferendus, hoc enim eſt muliebre: ſed in parvo digito, atque adeo in extrema eius parte eſt collocandus: ita enim erit manus maxime ad operandum expedita in iis, in quibus ea egemus, neque facile excidet ſigillum, quod maiore articuli ligamento cuſtoditur. Sint autem nobis ſignacula, columba, vel piſcis, vel navis, quae celeri curſu a vento fertur, vel lyra muſica, qua uſus eſt Polycrates, vel ancora nautica,*

tita, quam inſculpebat Seleucus; & ſiquis ſit qui piſcetur, meminerit Apoſtoli, & puerorum qui ex aqua extrahuntur. Neque enim Idolorum ſunt imprimendae facies, quibus vel ſolum attendere prohibitum eſt: ſed nec enſis vel arcus iis, qui pacem perſequuntur: nec pocula iis, qui ſunt moderati & temperantes. Multi autem libidinoſi nudatos habent eos, quos amant, vel amicas, &c. Et quidem Eques *Victorius* in ſuo commentario, quo veterem Chriſtianorum numum illuſtrat, gemmam annularem profert, in qua ancora & duo piſces, hinc & hinc, ſculpti ſunt; in ſuperna autem parte ΙΗΣΟΥΣ, in inferna ΧΡΕΙΣΤΟΣ, ſcriptum eſt. Idem tres quoque Chriſtianorum aereos annulos profert, in quibus Chriſti monogramma conſpicitur, & in uno Α & Ω, ad monogrammatis latera. Achatem quoque varium antiquum exhibet, in quo crux, & YESV, & YA VA, ad quatuor Crucis cornua diviſim inſculpta ſunt, quem annularem fuiſſe non videtur dubitandum. Item gemmam in cuius antica facie Χω, in poſtica vero columba cernitur; & aliam gemmam in cuius averſa parte ancora adſpicitur. Non ἀπροσδιόνυσον videatur adnotare Chriſtianos quidem illos vetuſtos, ſed haereticos, Baſilidis ſectatores, alioſque Gnoſticos, quaedam nominum, & figurarum, portenta in ſuis annulis incidere aut exſculpere ſolitos fuiſſe, qualia videre eſt in antiquis gemmis, quas Abraxas vulgo adpellant, & de quibus *Fr. Chifletius* commentarium pereruditum conſcripſit. Dignus etiam qui videatur *Io. Kirchmannus De Annulis cap. XIII.* Baculum ne ferrent Chriſtus Apoſtolis praecepit, ut *Matthaeus cap. X.* 10. *& Lucas cap. IX.* 3. memoriae prodiderunt. *Marcus* tamen *cap. VI.* 8. virgae uſum eis conceſſiſſe ſcribit: quae divinorum Scriptorum di-

diſcordia quomodo concilietur, vide apud *B. Lamium* in *Harmon. Evangel.*

Calceamenta quod attinet, Chriſtum ſoleis, ſandaliiſque, uſum ex eo conſtat, quod in Evangelio Iohannes Baptiſta ſe indignum, qui corrigiam Chriſti calceamentorum ſolveret, profeſſus eſt, ut apud *Matthaeum cap. III. Marcum cap. I. & Lucam cap. III.* legere eſt. Ebraeorum calcei plantarum calces tantum infime tegebant; cetera prope nuda & teretibus habenis iuncta erant; quales Romanorum ſoleae & gallicae, dictae a Graecis κρηπίδες. Non tamen perpetuo ſandalia illa Chriſtus uſurpaſſe videtur, quare *Hieronymus Epiſtola XXII.* ſcribit: *Milites veſtimentis Ieſu ſorte diviſis, caligas non habuere quas tollerent. Non enim habere dominus potuiſſet, quod ſervos ſuos habere prohibuerat.* Domi autem ſaltem ſaepe non habuit, unde apud *Lucam cap. VII.* 35. *Mulier ſtans retro ſecus pedes eius, lacrymis coepit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius, & unguento ungebat.* Et *Ioannis cap. XIII. v.* 4. 5. Chriſtus poſt coenam Apoſtolorum pedes lavat; qui certe non alio habitu ac illi erat. Non enim videntur antiqui, ſaltem in calidis regionibus, domi calceati manere conſueviſſe, ut *Calmetius* quoque *Diſſert. De re veſtiar. Ebraeorum* non difficulter concedit. Quare Angelus Petro in cuſtodia vincto ait: ὑποδῆσαι τὰ σανδάλιά σου, quod vulgatus Interpres vertit: *Calcea te caligas tuas*, & quod ſervat etiam *Pſeudo-Abdias lib.* 1., quum tamen vertendum ſit, *crepidas*, ſive *ſoleas*, ut patet, & oſtendunt *Salmaſius Adverſus Cercoetium*, & *Nigronus De Caliga*. Et hinc elucet Apoſtolos ſandaliis eſſe uſos; & ſandaliorum Apoſtolorum frequens mentio apud *Pſeudo-Abdiam*. Et quidem *Marcus* cap.

cap. VI. v. 9. ſcribit Chriſtum ſandaliorum tegmen Apoſtolis conceſſiſſe. Sed quid *Matthaeo* faciemus, qui *cap. X. v.* 10. ait Chriſtum praecepiſſe Apoſtolis ne calceamenta ſecum tollerent? Ad quem locum *Ioannes Chryſoſtomus* habet: *Apoſtoli cum una tunica, & diſcalceati circumibant totum mundum, &c.* Sunt qui inter ὑποδήματα, quae apud Matthaeum a Chriſto prohibentur, & σανδάλια, quae apud Marcum permittuntur, diſtinguant, & cenſeant illa, quae totum pedem tegunt, inhiberi; haec, quia plantam pedum dumtaxat ſubtegebant, concedi. Et quidem ſandaliorum, quibus Apoſtoli utebantur, mentio frequens, ut diximus, apud *Abdiam*; & in eburneo Diptycho Muſei Riccardiani Petrus & Andreas ſandaliis inſtructi conſpiciuntur; & hoc ſenſu Dominicum praeceptum accipiebant Aegyptii Monachi, qui calceos recuſabant, ſandalia vero induebant, ut apud *Caſſianum De Habitu Monachorum lib. I. cap. X.* videre eſt. Quidquid autem ſit, in antiqua aerea lucerna Gazae Mediceae, quam alibi laudavimus, Eccleſiam ſub navis ſymbolo referente, Petrus, qui gubernaclum regit, habet pedes calceis undique veſtitos, quod quidem in Anaglyphorum imaginibus quas *Aringhus* exhibet, nuſquam cernere eſt; licet in iisdem nudis omnino pedibus Chriſtus & Apoſtoli non frequenter occurrant, ſed omnes fere ſemper ſubligaculis & ſandaliis inſtructi, quemadmodum & apud *Lambecium lib. II. Comment. cap. VII.* Polycarpus autem Ioannis Apoſtoli diſcipulus calceatus exſtitiſſe traditur in inſigni Smyrnenſis Eccleſiae Epiſtola, in qua eius martyrium deſcribitur apud *Euſebium*. In hac diſcordi conſuetudine, & non una Evangelicorum verborum intelligentia, nil mirum, ſi Chriſtiani antiquiſſimi nu-

dis

dis pedibus ingrederentur. Hinc Chriſtianus apud crebro advocatum *Philopatridis* Scriptorem eſt ἀνυπόδητος, *Tertullianus* autem *Libro De Pallio*, *Calceos*, inquit, *nihil dicimus proprium togae tormentum, immundiſſimam pedum tutelam, verum & falſam. Quem enim non expediat in algore & ardore rigere nudipedem, quam in calceo unguipedem.* Et mox: *Si quis calceatus inducitur, mundiſſimum opus eſt* (ſcilicet cum pallio) *aut pedes nudi magis, certe virile magis, quam in calceis.* Sic *Libro De corona militis*, militem commendat calceos exſuentem, quia Chriſtianus; & terrae nudis pedibus inſiſtentem. *Idem graviſſimas penulas poſuit relevari auſpicatus, ſpeculatoriam moroſiſſimam pedibus abſolvit terrae ſanctae inſiſtere incipiens.* Sed perſpicue diſtincteque exponit *Clemens* Alexandrinus *Lib. II. Paedag. cap. XI.* quomodo pedibus ingredi Chriſtiani conſueſcerent, ſeu mares, ſeu feminae. Ἡ γὰρ χρῆσις, inquit, τῶν ὑποδημάτων, ἡ μὲν αὐτῶν εἰς σκέπην ποδῶν· ἡ δὲ εἰς προφυλακὴν τῶν προσπταισμάτων, καὶ τῶν ὀρειβατικῶν τραχυτήτων τὸ πέλμα ποδῶν σώζουσαν. Γυναιξὶ μὲν οὖν τὸ λευκὸν ὑπόδημα συγχωρητέον· πλὴν μὴ ὁδεύοιεν· τότε δὲ τῷ ἀλείπτῳ χρηστέον· ἡλωμένων δὲ δέονται τῶν καττυμάτων αἱ ὁδεύουσαι· πλὴν τὰ πολλὰ ὑποδήμασι χρηστέον αὐταῖς· οὐ γὰρ ἁρμόζει γυμνὸν ἐπιδείκνυσθαι τὸν πόδα· ἄλλως τε καὶ εὐέσθητον εἰς βλάβην ἡ γυνή. Ἀνδρὶ δὲ εὖ μάλα ἁρμόδιον ἀνυποδησία πλὴν εἰ μὴ στρατεύοιτο. Καὶ γὰρ πως ἐγγὺς τὸ ὑποδέδεσθαι τῷ δεδέσθαι. ἀσκητικώτατόν γέ τοι, γυμνοῖς χρῆσθαι τοῖς ποσίν, καὶ πρὸς ὑγείαν καὶ εὐκολίαν εὔθετον, ἔνθα μὴ ἀνάγκη τις διακωλύοι. εἰ δὲ μὴ ὁδεύοιμεν, ἀλλὰ μηδὲ φέροιμεν τὴν ἀνυποδησίαν, βλαύταις ἢ φαικασίοις χρηστέον. *Calceorum enim uſus hic quidem eſt ad tegendos pedes: alius autem ad propulſandas offenſiones, & a montanis aſperitatibus plantam pedis conſervans. Sunt itaque mulieribus albi concedendi calcei, niſi iter ineant: tunc autem eis unctis utendum*

dum eſt. Clavis autem perforatis opus habent ſoleis, quae viam conficiunt: quamvis illis ut plurimum calceis utendum eſt. Neque enim feminam decet pedem oſtendere: & alioqui mulieri tener eſt ſenſus, ut facile laedatur. Viro autem pulcre convenit nullos habere calceos, praeterquam ſi militet. Ὑποδέεσθαι *enim, non parvam habet adfinitatem cum* δεδέσθαι, *quod eſt, eſſe ligatum. Optimum quidem eſt exercitationis genus nudis uti pedibus, & ad ſanitatem, & ad expeditam facilitatem, ubi non prohibeat neceſſitas. Quod ſi iter non ingrediamur, nec nudis incedere pedibus pati poſſimus, ſoleis utendum eſt.* Illud autem quod a viduis ſpectatis Apoſtolus exigit, ut ſcilicet ſanctorum pedes laverint, tam ad eos qui nudis pedibus ingrederentur, quam ad eos qui ſandaliis & ſoleis uterentur, referri poteſt. Ceterum *Hieronymus* ad Euſtochium, *nudos patientia frigoris pedes* in Monachis quibusdam non probat, & adfectatae eos abiectionis inſimulat. Feminas autem nudis pedibus incedere vetitum idem *Clemens lib. II. cap. X.* quoque ait, quemadmodum velari praeceptum. Καὶ οὐδὲ ὅτι τε παραγυμνοῦν τὸ σφυρὸν κεκώλυται μόνον, ἐγκεκαλύφθαι δὲ καὶ τὴν κεφαλὴν καὶ τὸ πρόσωπον ἐπισκιάσθαι προστέτακται. *Nec vero ſolum calcaneum eſt proibitum ut nudent iis, verum etiam caput ut tegant atque obnubant, illis eſt impoſitum.* Et quidem in antiquis anaglyphis ab *Aringhio* productis feminae pedibus calceatis fere ſemper occurrunt. Ceterum id multum differt ab Ethnicarum feminarum moribus & inſtituto; ſiquidem hae, quum ſoleis tantum & crepidis uterentur, pedis ac cruris partem nudam oſtendebant, ut recte docet *Oct. Ferrarius Analect. De re Veſtiar.* vetuſtorum ſimulacrorum imaginibus in medium adductis. Harum ſolearum figuram habes etiam

in

in antiquo marmore ſepulcrali, quod in Muſeo Mediceo adſervatur, & quod V. Cl. *I. Gruterus*, & *B. Monsfalconius*, & *Ant. Fr. Gorius* edendum curaverunt. Sed ut exemplum Chriſtianorum, qui nudis tantum pedibus incedebant, opportune proferam; ita conſueviſſe Origenem Adamantium presbyterum tradit *Euſebius Lib. VI. Hiſtor. Eccleſ. cap. III.* quod ex Evangelii verbis calceorum uſum a Chriſto interdictum opinaretur.

Duo interim a nobis obſervanda ſunt, quae rem noſtram veſtiariam illuſtrabunt: Vnum, etſi tam multa de Chriſtianorum veſtibus peculiariter diſſeruerimus, tamen exploratae fidei eſſe, Chriſtianos veſtes cum Ethnicis, iuxta regionis & patriae ſuae mores, generaliter loquendo, habuiſſe communes; nec enim verum eſſe videtur, ut *Cl. Salmaſius* advertit, ſtatim ac quis Chriſtianus effectus eſſet, habitum veſtemque mutaviſſe, aut id ſemper perpetuumque ſervatum. Inſuper pro loco, pro aetate, pro dignitate, conditione, & officio, varios fuiſſe Chriſtianorum amictus perſpicue docet *Clemens Alexandrinus lib. III. Paedag. cap. XI.* & iis adplicanda ſunt, quae de habitu Monachorum *Caſſianus lib. I. cap. XI.* habet. *Haec dicta ſunt, nequid praetermiſiſſe de Aegyptiorum habitu videamur. Ceterum a nobis tenenda ſunt illa tantummodo, quae vel locorum ſitus, vel uſus provinciae, admittit. Nam neque caligis nos, neque colobiis, ſeu una tunica, eſſe contentos hiemis permittit aſperitas.* Hinc apud *Aringhium* Abdon & Sennen Martyres Perſae, more Perſarum induti, non aliarum gentium ritu, conſpiciuntur. Magi item, qui Ieſum adoratum ex Oriente venerunt, apud eumdem *Aringhium*, braccis, ſeu ſarabaris, ut cum *Tertulliano De Oratione* loquar, & bre-

vibus palliis, pileoque acuto & inflexo, veſtiti occurrunt, non ſecus ac Martyres laudati; de quorum habitu & veſtibus multa differunt, *Aringhius* laudatus, aut *Severanus*, & *Bonarotius*. Alterum eſt, etſi Chriſtianos primi ſaeculi multam in veſtibus ſimplicitatem praeſe tuliſſe ſatis demonſtraviſſe credamus, tamen inficiandum non eſſe, ſaeculo ſecundo iam, & tertio, luxum inter Chriſtianos ſenſim irrepſiſſe, id quod ex *Tertulliani Libris De Habitu muliebri*, & *De Cultu feminarum*, & *De Virginibus velandis*, atque ex *Clementis* Paedagogi *lib. II.* & *III.* & *Cypriano De Lapſis* colligere proclive eſt, & perſpicue intelligeretur ex figuris *Tab. XXI. XXII. XXIII. XXIV.* apud *Bonarotium Ad Vitra antiqua*, niſi aetate poſteriores eſſent.

Iam tempeſtive inquirendum videatur, an ulla eſſet primis illis Eccleſiae temporibus inter Clericos, & laicos, veſtium diſcretio, & adfirmat quidem *Cl. Salmaſius* in ſuo ad *Tertullianum De Pallio* Commentario. *Pallium igitur*, inquit, *Tertulliano* Sacerdos habitus *adpellatur, quod eo habitu tunc ſacerdotes uterentur Chriſtiani, eumque praeferendum adſerit, non ſolum omnibus veſtibus, & ornamentis, quibus paganae* θρησκείας *antiſtites uterentur, ſed etiam omnibus exuviis & peplis, quibus Deorum ſimulacra veſtiri & ornari ſolebant. Ex hoc vel unico Tertulliani loco ſatis liquide liquere arbitror, illa aetate non paſſivum & communem omnium, qui Chriſtianam fidem profiterentur, habitum fuiſſe pallium, ſed ſolorum presbyterorum.* Locus *Tertulliani*, quem laudat *Salmaſius*, eſt qui ſequitur: *Enimvero quum hanc primum ſapientiam veſtit, quae vaniſſimis ſuperſtitionibus renuit, tunc certiſſime pallium ſuper omnes exuvias & peplos auguſta veſtis, ſuperque omnes apices ac tutulos ſacerdos habitus;*

bitus; quorum poſtremorum verborum lectionem ſtrenue eruditeque contra *Gelenium* tuetur. Et Heraclas quidem presbyter pallium philoſophicum geſtaviſſe traditur ab *Euſebio Lib. VI. Hiſt. Eccleſ. cap. XX. Ceterum*, pergit ex intervallo *Salmaſius*, *ne illa quidem ipſa tempeſtate perpetuum hoc fuit, aut pro regula obſervatum, ut omnes Clerici pallium ſumerent, aut ſoli iſtum habitum uſurparent. Multos quippe ex laicis propter ἄσκησιν, hac eadem veſte philoſophica & aſcetica uſos eſſe ſcimus, & ex presbyteris eos ſolos, qui aſceticam profiterentur, hoc eſt, qui Apoſtolicae humilitati, & ſeveriori Chriſti diſciplinae, congruam & conſentaneam ſectam ſectarentur. Nondum enim Aſcetarum πολιτεία, qui Monachi poſtea dicti ſunt, certis legibus ac regulis conſtituta, in notitiam venerat, &c.* Sed quantas mutationes decurſus temporis invehit! Hoc pallium, quod prima Eccleſiae aetate ſacerdotum erat, & clericorum, praecipue indumentum, ſub Conſtantino principe ita exoleverat, quum Epiſcopi & Clerici communi cum aliis veſte uterentur, ut indecens & incongruum Clericis veſtimentum haberetur, id quod ex *Synbodi Gangrenſis Epiſtola*, & *Socrate lib. II. Hiſtor. Eccleſ. cap. XXXIII.* late *Salmaſius* laudatus oſtendit.

At haec pauca de hominis Chriſtiani primitivi habitu & re veſtiaria delibaſſe ſuffecerit, quum ex divortiis hiſce in regiam viam & ad propoſitum revertendi tempus iam ſit; quamquam & πάρεργον hoc intentioni meae conducere deprehenditur. Nam & heinc antiquorum Chriſtianorum humilitas, ſimplicitas, paupertas, exſiſtere forte aliquatenus, atque eminere, videatur; id, quod ipſe demonſtrandum ſuſceperam, quodque vere dici poteſt, eſſe veras divitias, veras delicias, de quibus ſoli Chriſtiani parti-

ticipant, quia boni & honeſti, ut late exſequitur *Clemens* eruditiſſimus *Lib. III. Paedag. cap. VI. & VII.*

Nonnulli primitivorum Chriſtianorum nobiles, & locupletes.

CAPVT V.

At, quum ſuperius de primigeniorum Chriſtianorum humilitate, & obſcuro genere, diſſeruimus, non ita iſthuc ipſum demonſtrare conati ſumus, ut neminem prorſus inter eos nobilem & illuſtrem & locupletem fuiſſe pertenderimus; ſed id tantum de pleriſque adfirmavimus, ipſo *Paulo* Apoſtolo praeeunte, qui *Epiſt. I. ad Corinth. Cap. I.* ait, ὅτι οὐ πολλοὶ σοφοὶ κατὰ σάρκα, οὐ πολλοὶ δύνατοι, οὐ πολλοὶ εὐγενεῖς, ἀλλὰ τὰ μωρὰ τοῦ κόσμου ἐξελέξατο ὁ Θεός. *Quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, ſed quae ſtulta ſunt mundi elegit Deus.* Ad quem locum *Ioannes Chryſoſtomus Homil. V.* ἵνα μὴ δόξῃ ἑαυτῷ περιπίπτειν, καὶ γὰρ τὸν ἀνθύπατον ἔπεισε, καὶ τὸν Ἀρεοπαγίτην, καὶ τὸν Ἀπολλῶν καὶ ἑτέρους δὲ εἴδομεν σοφοὺς τῷ κηρύγματι προσελθόντας, οὐκ εἶπεν ὅτι οὐδεὶς σοφὸς, ἀλλὰ οὐ πολλοὶ σοφοί. *Ne videretur ſibi ipſi adverſari, perſuaſit enim Proconſuli, & Areopagitae, & Apollo, & alios quoque vidimus acceſſiſſe ad praedicationem, non dixit, nullus ſapiens, ſed, non multi ſapientes. Nicetas* Heracleenſis ad eadem verba: καὶ πανταχοῦ τὸ πολλοὶ διὰ τοῦτο πρόσκειται· ὅτι ἦσάν τινες δύνατοι καὶ εὐγενεῖς πιστεύσαντες, κατὰ τὸ φαινόμενον, κατὰ τὸν πάροντα βίον,

καὶ

Vi erano de' ricchi. Vedi il libro 3. del Quatore simil. primo in prin.

ϗ τὴν ἔξωθεν παίδευσιν. *Et ubique propterea illud* multi *adponitur, quia erant quidam potentes & nobiles, qui crediderant, ſecundum id quod adparet, ſecundum praeſentem vitam, & externam eruditionem.* † Et quidem huiuſmodi quoſdam ex Corinthiis fuiſſe colligit ex laudata Pauli Epiſtola memoratus *Nicetas*: atque Aethiopem Eunuchum, potentem Candacis Reginae Gazophylacem, Philippus undis luſtralibus tinxit, & Chriſtianum effecit, *Luca Actorum cap. VIII.* auctore. Cornelius Italicae cohortis Centurio, Petro inſtruente, Chriſtianis myſteriis initiatus eſt, ut apud laudatum *Lucam Act. cap. X.* legitur. Sed Chriſti ſacra iam & doctrinam amplexi fuerant, viri duo nobiles, ut videtur, & locupletes, Nicodemus Iudaeorum princeps & doctor, & Ioſephus ab Arimathia, ut *Ioannes cap. III.* & *XIX.* memoriae prodidit. Gamaliel quoque Chriſtianam ſapientiam inter Iudaeos profitebatur, & Phariſaeus erat, & legisperitus, populoque omni venerabilis. Quin multa quoque turba ſacerdotum Iudaeorum poſtmodum Chriſtianae religionis conſultis inhaeſit, ut in *Actis Apoſtolorum cap. V. & VI.* litteris a *Luca* mandatum eſt. Apollos quoque Alexandrinus, vir doctus & diſertus, Iudaeus genere, Chriſtianus effectus eſt, & novam perſuaſionem mirabiliter ſua praedicatione propagavit, ut *Actorum cap. XVIII.* pariter traditur. Sed alium ne Alexandrinum Iudaeum, Philonem ſcilicet, commemorem, illuſtrem virum, atque philoſophum, qui an umquam cum Petro Apoſtolo Romae colloquia habuerit, dubitant Critici recentiores quidam, licet *Euſebius Caeſarienſis*, & *Hieronymus*, & *Photius*, & *Suidas*, id adfirmate memoriae prodiderint? Nam certe ille numquam Chriſtianus fuit, etſi quibusdam adcreditus, ut *Photio Cod. CV.* Et

† inter quos Sosthenes Synagogae princeps, cujus hic Apostolus meminit ut Actorum Cap. XVIII. vers. 17. videre est:

haec de Iudaeis nobilioribus ac potentioribus, qui Chriſtianos ritus ſuſcepere, dicta ſunto; quibus merito Aethiopem Eunuchum, & Cornelium Centurionem, utpote proſelytos, adcenſuimus, quod quidem apud *Tillemontium* & *Calmetium* videre eſt.

Sed & inter illos, qui ex Gentibus ad Chriſti ritus convertebantur, paucos quosdam nobiles ac potentes prima illa aetate fuiſſe, ſatis conſtat; & *Paulus* Apoſtolus *Epiſtol. ad Philippenſes cap. IV. v. 22.* nonnullos, qui de familia Caeſaris erant, Romae Evangelio crediſiſſe, luculenter indicat illis verbis: Ἀσπάζονται ὑμᾶς πάντες οἱ ἅγιοι, μάλιςα δὲ οἱ ἐκ τῆς καίσαρος οἰκίας. *Salutant vos omnes ſancti; maxime autem qui de Caeſaris domo ſunt.* At incertum eſt an hi inter primores eſſent, & muneris dignitate conſpicui; quod forte non videatur, quum exempla exoleti, & concubinae Neronis, quae ex Chryſoſtomo ſuperius attulimus, aliud perſuadeant. Niſi forte verum eſt, quod *Car. Daubuzo* in erudita *Diſſertatione De teſtimonio Ioſephi de Chriſto*, opinatur, Epaphroditum videlicet, libertum Neroni cariſſimum, & qui adeo ſub Nerone & Domitiano principibus potentia & auctoritate valuit, eſſe Epaphram illum, cuius *Paulus Epiſt. ad Coloſſenſes cap. IV. verſ. 12. & Epiſt. ad Philemonem verſ.* 23. mentionem facit; quod etiam *Abr. Berkelius* ſibi perſuaſerat. Sed nec Senecam, virum doctum, & illuſtrem, & ditiſſimum, praeceptoremque Neronis, Chriſtianae ſapientiae myſteriis initiatum fuiſſe crediderim, quamquam inter Eccleſiaſticos ſcriptores locum ei tribuit *Hieronymus*, & quidam eo temeritatis devenerunt, ut LXX. Chriſti diſcipulis accenſuerint. Nec refert, quod eius Epiſtolae ad Paulum, Paulique ad Senecam, olim circumferrentur, quum ſuppoſi-

poſititiae probabiliter fuerint, aeque ac adulterinae ſunt, quae ſub iis nominibus, in omnium, & imperitorum praecipue, manibus hodie verſantur; de quibus conſulendus *Io. Alber. Fabricius* in *Apocryphis N. T. C. Baronius* ad annum XLIV. Pudentem quemdam Senatorem Romanum a Petro Apoſtolo Chriſtianis dogmatis inſtructum fuiſſe cenſet; ſed licet per ea tempora Pudens quidam Chriſtianus Romae eſſet, ut ex *Epiſtola II. ad Timoth. cap. IV.* elucet, eum tamen ſenatoria dignitate fulſiſſe, nulla certa ſunt monumenta quae doceant, ut *Tillemontius* in *Petro Art. XXIX.* animadvertit. Sed licet haec ita ſe habeant, tamen exploratae fidei eſt, Sergium Paulum Cypri Proconſulem, a Paulo Apoſtolo perſuaſum, Chriſtianam ſapientiam eſſe profeſſum, *Luca Actor. cap. XIII.* narrante. Dionyſius quoque Areopagites, quin nobilis & eximius fuerit, non eſt dubitandum, quum nonniſi huiuſmodi in ſenatum illum adlegerentur, quod *Io. Meurſius* praecipue in ſuo *Areopago* demonſtrat, & obſervat in hoc *Dionyſio Tillemontius*. Quod ſi veteribus quibusdam, ut *Chryſoſtomo* & *Aſterio*, fides habenda eſt, Damaris eius uxor erat, & ea quoque eamdem religionem amplexa eſt, ut *Actor. cap. citato* traditur. Siquid vero de Thecla virgine credendum eſt, ut quidem videtur, nobili orta eſt proſapia, atque domo illuſtri ac locuplete fuit, ut ſcriptor *Methodius* memoriae tradidit; & Chriſtianos ritus a Paulo Apoſtolo edocta eſt, quod *Chryſoſtomus*, aliique, litteris mandaverunt. Fortaſſis autem & Pomponia Graecina Auli Plautii, qui ovans ſe de Britanniis retulerat, uxor, quum a *Tacito lib. XIII. Annalium*, ſuperſtitionis externae rea dicatur, Chriſtiana cenſenda videatur, primariae nobilitatis femina, de qua

conſulendus *Tillemontius* in *Perſequutione Neronis*, & in *Nerone Art. V.* Flavius vero Clemens Domitiani Imperatoris patruelis, ut *Suetonius* auctor eſt, cuius filii duo, quos ei Flavia Domitilla ex Domitiani ſorore orta pepererat, Imperii ſucceſſioni a Domitiano deſtinati fuerant, & Chriſtianus erat, & hac de cauſa martyr occubuit, ſtatim poſt conſulatum, anno XCV. Cuius rei memoria non tantum apud *Dionem Caſſium lib. LXVII.* exſtat, verum etiam certum & indubitatum monumentum Romae noſtra aetate repertum eſt; ſepulcrum videlicet & epitaphium, in quo Martyr diſerte declaratur. Vxor quoque eius Flavia Domitilla in inſulam Pandatariam in ſinu Puteolano, eadem de cauſa relegata, longum ibidem martyrium fecit, auctore inter ceteros *Euſebio Hieronymo Epiſt. XXVII.* Sed & ſororis Clementis filia, alia Domitilla virgo memoratur, quae in Pontiam inſulam, ob Chriſti fidem deportata fuit, ut *Euſebius* teſtatus eſt, & antiqua martyrologia confirmant. Nazarius quoque, qui in Neronis perſequutione pro Chriſto paſſus eſt, illuſtri ac divite progenie ortus fuerat, ut Mediolanenſis *Ambroſius* auctor eſt. In dignitate etiam nonnulla Gordianus Martyr conſtitutus erat, cuius Epitaphium apud *Mabillonium Itinere Italico* ita habet:

TEMPORE ADRIANI IMPERATORIS
MARIVS ADOLESCENS DVX MILITVM QVI
SATIS VIXIT DVM VITAM PRO CHRISTO
CVM SANGVINE CONSVMSIT IN PACE TANDEM
QVIEVIT BENEMERENTES CVM LACRYMIS
ET METV POSVERVNT ID. VI.

Et in Hadriano quidem gradum ſiſtam, quum ab eius aetate viri dignitate & ortu clari Chriſtianos

nos ritus amplexi crebrius inveniantur, ut ex *Libris Tertulliani Ad Scapulam*, & *De cultu feminarum*, & *Lib. III. Origenis contra Celſum*, aliiſque antiquis monumentis, intelligimus. Quod quidem non mirum, quum ipſe Hadrianus aliquando erga Chriſtianos æquior fuerit, & Chriſto ipſi templa paſſim excitare meditaretur. Audiamus *Lampridium*, quum de Alexandro Severo agat, ita loquentem: *Chriſto templum facere voluit, eumque inter Deos recipere, quod & Hadrianus cogitaſſe fertur, qui templa in omnibus civitatibus ſine ſimulacris iuſſerat fieri: quae hodie idcirco, quia non habent numina, dicuntur Hadriani, quae ille ad hoc paraſſe dicebatur: ſed prohibitus eſt ab iis, qui conſulentes ſacra, repererant omnes Chriſtianos futuros, ſi id optato eveniſſet, & templa reliqua deſerenda*. At perinſigne exemplum a me omiſſum in hoc capite nonnullis videatur, Abgari ſcilicet Edeſsae regis ad Chriſtum Thadaeo exhortante converſio; quod quidem in primis, fateor, adferendum fuiſſet, ſi minus hanc hiſtoriam vehementer a Criticis agitatam & controverſam vidiſſem. Quare in tanta opinionum diſcordia, ἐπέχειν cum dubitantibus malui, & lectores amandare ad eos, qui rem tractant & examinant, ut *Caveum*, *Serrium*, *Tillemontium*, *Baronium*, *Dupinium*, *Nat. Alexandrum*, *Fabricium*, alioſque doctiſſimos & eruditiſſimos viros.

Chri-

Chriſtianos primitivos imperitos, ut plurimum, & rudes litterarum, fuiſſe.

CAPVT VI.

CHriſtianos primo ſaeculo humiles ac pauperes deſpectoſque ut plurimum fuiſſe iam vidimus; ex quo veluti ſponte conſequitur, eos etiam litterarum rudes, & imperitos, liberaliumque artium & diſciplinarum expertes, fuiſſe. Iure igitur *Paulus* Corinthiis ſcribens, dicebat: Οὐ πολλοὶ ΣΟΦΟΙ κατὰ σάρκα, οὐ πολλοὶ δύνατοι, οὐ πολλοὶ εὐγενεῖς· ἀλλὰ τὰ ΜΩΡΑ τοῦ κόσμου ἐξελέξατο ὁ Θεὸς, ἵνα τοὺς σοφοὺς καταισχύνῃ. *Non multi SAPIENTES ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: ſed QVAE STVLTA ſunt mundi elegit Deus, ut confundat SAPIENTES.* Etſi vero id minus teſtatum & perſpicuum foret his verbis, tamen facile perſuadere eſſet, & ex ignavia Chriſtianis licet per ſummam calumniam ab Ethnicis obiecta; & ex ignorantia eisdem exprobrata; & ex paſſiva doctrinae eorum contemtione; & ex ingenua ac ſimplici ipſorum Chriſtianorum confeſſione; & tandem ex numero, indole, & ſtilo, eorum Scriptorum, qui poſt Apoſtolos, & Evangeliſtas, aliquid elucubrantes commentati ſunt.

Et quidem, quum Ethnici paſſim Chriſtianos inertiae, & vitae inutilis, inſimularent, id contigiſſe quoque videtur ex eo, quod non ſolum remp. non capeſſerent, & honoribus abſtinerent, & communibus negotiis minime implicarentur; ſed etiam quod lit-

litteras, & bonas artes, Graecanicaſque, ut ita dicam, doctrinas, aut negligerent, aut averſarentur. Hinc *Suetonius* in *Domitiano* Flavium Clementem Conſulem, *contemtiſſimae inertiae* hominem adpellare non dubitat. Et *Tertullianus Apologetici cap. XLII.* hanc Chriſtianis impactam calumniam memorat: *Sed alio quoque iniuriarum titulo poſtulamur, & infructuoſi in negotiis dicimur.* Quam quidem calumniam diluens ita *Libro De Pallio* infit: *Ego nihil foro, nihil campo, nihil curiae debeo: nihil officio advigilo, nulla roſtra praeoccupo, nulla praetoria obſervo. Cancellos non adoro, ſubſellia non contundo, iura non conturbo, cauſas non elatro, non iudico, non milito, non regno, ſeceſſi de populo: imo unicum negocium mihi eſt, & aliud non curo, quam ne curem. Vita meliore magis in ſeceſſu fruare, quam in promtu. Sed ignava infamique. Scilicet patriae, & imperio, reique publicae, vivendum eſt. Erat olim iſta ſententia. Nemo alii naſcitur, moriturus ſibi. Certe quum ad Epicuros & Zenonas ventum eſt, ſapientes vocas, totum quietis magiſterium, qui eam ſummae atque unicae voluptatis nomine conſervavere. Tamen propemodum mihi quoque licebit in publicum prodeſſe. Soleo de qualibet margine vel ara medicinas moribus dicere, quae felicius publicis rebus & civitatibus & imperiis bonas valetudines conferent, quam tuae operae.* Et quidem Ethnici etiam inertiae Chriſtianis vertere poterant quod a docendis litteris abſtinerent. Laudatus *Tertullianus De Idololatria*: *Quaerendum autem eſt etiam de ludimagiſtris, ſed & ceteris profeſſoribus litterarum. Immo non dubitandum adfines illos eſſe multimodae Idololatriae. Primum quibus neceſſe eſt Deos nationum praedicare, nomina, genealogias, fabulas, &c. . . . . Quis haec competere*

Chriſtiano exiſtimabit, niſi qui putabit convenire etiam non magiſtro? Scimus dici poſſe, ſi docere litteras Dei ſervis non licet, etiam nec diſcere licebit . . . . . . Fideles magis diſcere quam docere litteras capit. Diverſa eſt enim ratio diſcendi & docendi. Sed & alias liberales artes, ut picturam, & ſculpturam; & mathematica quaedam, ut Aſtrologiam, mirifice negligebant, immo exhorreſcebant, utpote quae magnam cum ſuperſtitione & Idololatria adfinitatem habere exiſtimarent, quod late docet eodem libro *Tertullianus*; & quod in cauſsa eſt, cur antiquas Chriſtianorum picturas & ſculpturas, adeo rudes, & informes, videamus, quod recte vir eruditiſſimus *Ph. Bonarotius* in ſuis ad Vitra antiqua Commentariis obſervabat.

Hinc Chriſtiani paſſim indocti, & imperiti, & literarum rudes, habebantur ab Ethnicis, & dicebantur. *Caecilius* quidem apud *Minutium Felicem* eos, *de ultima faece collectis IMPERITIORIBVS, & mulieribus credulis ſexus ſui facilitate labentibus, plebem profanae coniurationis inſtituere* calumniatur. Et antea eoſdem reſpiciens dixerat: *Itaque indignandum omnibus, ingemiſcendumque eſt, audere quoſdam, & hos STVDIORVM RVDES, LITTERARVM PROFANOS, EXPERTES, artium etiam ſordidarum, certum aliquid de ſumma rerum, ac maieſtate decernere, &c.* *Lucianus. De morte Peregrini* Chriſtianos ἰδιώτας ἀνθρώπους, *ruſticos indoctoſque homines*, adpellat, & quorum quis ſimplicitate facile abuti poſſet. Praeſidi in *Agone Romani* apud *Prudentium* Chriſtiani *imperita turba* dicuntur:

Tu ventilator urbis, & vulgi levis
Procella, mentes inquietas mobiles,
Ne ſe IMPERITA TVRBA dedat legibus.

Iulia-

ut Sapiens Divina. pag. 12.

Iulianus Auguſtus apud *Gregorium Nazianzenum* ςηλιτευτικῷ α΄. ita Chriſtianos irridet: Ἡμέτεροι, φησιν, οἱ λόγοι, ϗ τὸ Ἑλληνίζειν, ὧν ϗ τὸ σέβειν θεȣ́ς· ὑμῶν δὲ ἡ ἀλογία, καὶ ἡ ἀγροικία, ϗ ȣ̓δὲν ὑπὲρ τὸ πιςεύω, τῆς ὑμετέρας ἐςὶ σοφίας. *Noſtrae, inquit, ſunt orationes, & Graece ſcire, quorum etiam Deos colere; veſtrum vero infantia, & ruſticitas, & nihil ſupra illud Credo, veſtrae ſapientiae eſt.* At criminator *Celſus* apud *Origenem Lib. III.* ulterius progreditur, & Chriſtianos non rudes tantum, ſtolidos, & indoctos eſſe ait, verum doctos etiam ſapienteſque homines averſari, & a ſe longe repellere. Εἶθ᾽ ἑξῆς τȣ́τοις ὁ Κέλσος τὰ ὑπ᾽ ὀλίγων πάνυ παρὰ τὴν Ἰησȣ̃ διδασκαλίαν λεγόμενα νομιζομένων Χριςιανῶν, οὐ φρονιμοτέρων ὡς οἴεται, ἀλλ᾽ ἀμαθεςάτων φέρων, φησὶ τοιαῦτα ὑπ᾽ αὐτῶν προστάττεσθαι. Μηδεὶς προσίτω πεπαιδευμένος, μηδεὶς σοφὸς, μηδεὶς φρόνιμος. κακὰ γὰρ ταῦτα νομίζεται παρ᾽ ἡμῖν. ἀλλ᾽ εἴ τις ἀμαθὴς, εἴτις ἀνόητος, εἴτις ἀπαίδευτος, εἴτις νήπιος θαῤῥῶν ἡκέτω. τȣ́τȣς γὰρ ἀξίȣς εἶναι τȣ̃ σφετέρȣ θεοῦ αὐτόθεν ὁμολογȣ̃ντες, δῆλοί εἰσιν, ὅτι μόνȣς τȣ̀ς ἠλιθίȣς, ϗ ἀγεννεῖς, καὶ ἀναισθήτȣς, καὶ ἀνδράποδα, ϗ γύναια, καὶ παιδάρια πείθειν ἐθέλȣσί τε καὶ δύνανται. *Pergit Celſus, & quae de Ieſu doctrina dicuntur a paucis e Chriſtianorum numero non prudentioribus, ut ipſe putat, ſed rudioribus, ait praecepta eſſe noſtrorum hominum: nemo accedat eruditus, nemo ſapiens, nemo prudens: arcemus enim tales, ſed ſi quis eſt indoctus, inſipiens, infans, fidenter veniat. Hoc pacto, inquit, ſatis adparet, quod ſolos fatuos, ignavos, ſtolidos, mancipia, mulierculas, pueros, captent & pelliciant.* Immo Chriſtiani Barbari paſſim audiebant, dum ludibrio habebantur, ut apud *Iuſtinum* Martyrem, *Tatianum* Aſſyrium, & *Clementem* Alexandrinum, videre eſt.

Quare iam non mirum ſi Chriſtianorum doctrina, & placita, & inſtituta, nugae & gerrae merae, ſtultitia,

titia, amentia, ab Ethnicis ſolas diſciplinas & litteras ſubſpicientibus paſſim haberentur, ut vulgo apud *Origenem* contra Celſum ſcribentem videre eſt. Perantiquus autem ille Auctor Dialogi, qui *Philopatris* inſcribitur, & cum Luciani operibus circumfertur, de Chriſtianorum opinionibus loquens ait: γυναικῶν γὰρ εὑρήματα ταῦτα γραϊδίων, καὶ παίγνια. *Nam haec mulierum atque anicularum inventa ſunt & ludicra.* *Theophylus* vero Antiochenus *Lib. III. ad Autolycum* ſcribit: λῆρον ἡγῇ τυγχάνειν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας. *Nugas eſſe exiſtimas veritatis ſermonem.* Et alibi de Gentilibus loquens: ἀλλὰ καὶ ὡς προσφάτως ὁδεύοντες τοῦ καθ' ἡμᾶς λόγου καὶ μηδὲν ἔχειν ἡμᾶς λέγειν ὡς ἀπόδειξιν ἀληθείας τῆς καθ' ἡμᾶς, καὶ διδασκαλίας· μωρίαν δὲ εἶναι τὸν λόγον ἡμῶν φασιν. *Nec ceſſant noſtram religionem ſeu doctrinam maledictis inceſſere, ut nuperam & omni veritate vacuam, quam nec nos, ſi controverſia oriatur, ſatis luculentis demonſtrationibus tueri poſſimus. Ad haec noſtram doctrinam nihil aliud quam ſtultitiam eſſe, & meras nugas, cavillantur.* Ethnicis inſuper *inſania* fides noſtra dicitur apud *Cyprianum* ſub finem *Libri ad Demetrianum*; *amentia* apud *Plinium Iuniorem Lib. X. Epiſt. XCVII.* *dementia* apud *Tertullianum Apolog. cap. I. XXVII.* & *Minucium Felium* in *Octavio*, ubi inſuper *furioſa* adpellatur *opinio*; quemadmodum in *Actis Martyrum Scillitanorum* apud *Baronium* ad annum CCII. *furoris, inſipientia.* Sed & *ſtultitia* eadem audit Idololatris apud laudatum *Minucium*, *Lactantium lib. VII. cap. XXVII.* & *Rutilium lib. I. Itinerarii.* Quod querens dolenſque *Tertullianus* in *Apologetico Cap. ultimo*, *Haec ſunt*, inquit, *quae in nobis ſolis praeſumtiones vocantur, in philoſophis & poëtis ſummae ſcientiae, & inſignia ingenia. Illi prudentes, nos inepti; illi honorandi,*

nos

nos irridendi; imo vero amplius & puniendi. Et merito quidem: nam eo proceſſit Ethnicorum malignitas & iniquitas, ut quod virtutis opus, & magni animi indicium in ſuis admirarentur & praedicarent, in Chriſtianis pervicaciam, deſperationem, perditionemque nuncuparent atque contemnerent. *Tertullianus* loco laudato: *Licet nunc ſarmenticios & ſemiſſios adpelletis, quia ad ſtipitem dimidii aſſis revincti ſarmentorum ambitu exurimur. Hic eſt habitus victoriae noſtrae. Haec palmata veſtis: tali curru triumphamus: merito itaque victis non placemus. Propterea enim deſperati & perditi exiſtimamur. Sed haec deſperatio & perditio, penes vos in cauſſa gloriae & famae, vexillum virtutis extollunt. Mutius dextram ſuam libens in ara reliquit. O ſublimitas animi. Empedocles totum ſeſe Catinenſium Aetneis incendiis donavit. O vigor mentis! &c.* Sed & teſtis omni exceptione maior ipſe *M. Aurelius* Auguſtus, qui & Chriſtianos perſequutus eſt, & *Lib. XI.* εἰς ἑαυτὸν ita ſcribit, ut ſit, Chriſtianae virtutis aeſtimator iniquiſſimus. Quum enim docuiſſet animam mori paratam, ita paratam eſſe debere, ut id ἀπ' ἰδικῆς κρίσεως ἔρχηται, *a peculiari iudicio veniat*, ſubdit: μὴ κατὰ ψιλὴν παράταξιν ὡς οἱ Χριστιανοί, ἀλλὰ λελογισμένως, καὶ σεμνῶς. *Non ut ſimpliciter mortem aliquis ſubeat, id quod Chriſtiani faciunt, ſed bene ſubductis rationibus, & cum gravitate.*

Chriſtiani tamen divina ſapientia, & coeleſtibus doctrinis, inſtructi, ſe profanae eruditionis exſortes, & litteraturae imperitos, ac ſimplices, ingenue profiteri non verebantur. Iam ſuperius mature *Pauli* Corinthiis ſcribentis verba protulimus, quibus id pronunciatur; qui etiam Coloſſenſes monet ut caveant ab inanis philoſophiae fallaciis, & ne ab humanis

manis traditionibus & documentis ſeducantur. Imo primos Chriſtianos a profanis diſciplinis abhorruiſſe luculenter indicare videtur, quod *Lucas* in *Actis cap. XIX.* narrat, Epheſi ſcilicet eos, qui fuerant curioſa ſectati, contuliſſe libros, & coram omnibus concremaſſe. Hinc quum Caecilius apud *Minutium Felicem* rudes, imperitoſque homines, Chriſtianos fuiſse obieciſſet; id non inficiatur Octavius, ſed ita Caecilio reſpondet: *Et quoniam meus frater erupit aegre ſe ferre, ſtomachari, indignari, dolere, illitteratos, pauperes, imperitos, de rebus caeleſtibus diſputare: ſciat omnes homines ſine delectu aetatis, ſexus, dignitatis, rationis, & ſenſus capaces, & habiles procreatos: nec fortuna nactos, ſed natura inſitos eſſe ſapientiam; quin ipſos etiam philoſophos, vel ſi qui alii artium repertores in memorias exierunt, priuſquam ſolertia mentis parerent nominis claritatem, habitos eſſe plebeios, indoctos, ſeminudos.* Propterea etiam *Tertullianus*, quum artes quaſdam, & diſciplinas *Libro De Idololatria*, ut ſuperius vidimus, damnet, *Libro* etiam *De Praeſcriptionibus*, philoſophiam, & Graecanicas doctrinas, elevare videtur, & minus Chriſtiano homini congruentes adſerere. *Quid ergo Athenis*, inquit, *& Ieroſolymis? Quid Academiae & Eccleſiae? Quid haereticis & Chriſtianis? Noſtra inſtitutio de porticu Salomonis eſt; qui & ipſe tradiderat Dominum in ſimplicitate cordis eſſe quaerendum. Viderint qui Stoicum, & Platonicum, & Dialecticum, Chriſtianis praetulerunt. Nobis curioſitate opus non eſt poſt Chriſtum Ieſum, nec inquiſitione poſt Evangelium.* Atque haec quidem ille. Quae, ut videtur, reſpiciens *Hieronymus* Epiſtola ad Oceanum, Chriſtianos omnes RVSTICORVM nomine denotat. *Ignorat*, inquit, *momentaneus ſacer-*

cerdos humilitatem & manſuetudinem RVSTICORVM ignorat blanditias Chriſtianas, neſcit ſe ipſum contemnere. Immo *Arnobius lib. II. Adverſus Gentes* cenſere videtur profanae eruditionis ignorationem, prope a Chriſto Ieſu, ut inutilem & ſupervacaneam, proſcriptam fuiſſe. *Et ideo*, inquit, *Chriſtus licet vobis invitis Deus, Deus inquam Chriſtus, hoc enim ſaepe dicendum eſt, ut infidelium diſſiliat, & dirumpatur auditus, Dei principis iuſſione loquens ſub hominis forma, quum mortalium ſciret caecam eſſe naturam, neque ullam poſſe comprehendere veritatem poſitarum nec ante oculos rerum, pro comperto habere & cognito quidquid ſibi eſſe ſuaſiſſet, & prorſus ſubſpicionibus haeſitare, litigioſas ſerere atque intendere quaeſtiones; omnia iſta nos linquere & poſthabere praecepit; neque in res eas, quae ſint a noſtra procul cognitione dimotae, infructuoſas immittere cogitationes: ſed quantum fieri poteſt, ad Dominum rerum tota mente atque animo proficiſci, ſubſtolli ab his locis, atque in eum traducere ſuſpenſas pectoris converſiones, memoriam eius habere perpetuam; & licet nulla poſſit imaginatione formari, alas tamen neſcio quas eius ſibi contemplationis adfingere.*

At horum omnium argumentum indubitatum, & evidens demonſtratio eſt, indoles & eruditio & ſtilus primitivorum Chriſtianorum, qui aliquid poſt Apoſtolos & Evangeliſtas commentati litterarum monumentis conſignaverunt. Etenim praeterquamquod haud multi ſunt, eorum ſtilus ſimplex admodum eſt, & incomtus, quique exiguum, aut nullum, profanae eruditionis adparatum praeſefert, & ab divinorum novi foederis Scriptorum genio minime recedit. Horum primus memoriae occurrit Clemens Romanus Epiſcopus, qui utilem ad Corinthios nomine

H mine

mine Romanae Eccleſiae ſcripſit Epiſtolam, & in qua Graecanicae doctrinae non omnino ineruditum ſe prodit; de cuius dictione audiamus *Photium Cod. CXXVI.* ita iudicantem: ἁπλοῦς δὲ κατὰ τὴν φράσιν, καὶ σαφής ἐστιν, καὶ ἐγγὺς τοῦ ἐκκλησιαστικοῦ, καὶ ἀπερίεργου χαρακτῆρος. *Simplex eius oratio eſt ac perſpicua, & ad Eccleſiaſticam & inelaboratam dicendi formam accedens.* Sed & Hermas quidam Librum *Paſtoris* ſub primi ſaeculi exitum ſcripſit, in quo ſimpliciter revelationes quaedam referuntur. Ignatius quoque Antiochenus Epiſcopus ſub ſecundi ſaeculi initium Epiſtolas ſeptem conſcripſit, de quibus *Polycarpus* Smyrnenſis Epiſcopus, eius σύγχρονος, ita in ſua Epiſtola ſcribit: ἐξ ὧν μεγάλα ὠφεληθῆναι δυνήσεσθε, περιέχουσι γὰρ πίστιν, καὶ ὑπομόνην, καὶ πᾶσαν οἰκοδομὴν τὴν εἰς τὸν κύριον ἡμῶν ἀνήκουσαν. *Ex iis magnam vobis percipere utilitatem licebit; continent enim fidem, patientiam, & cetera, quae ad augendum Domini noſtri cultum pertinent.* Et eodem tempore Epiſtolae Polycarpi meminimus, quae tamen controverſa eſt, & an genuina ſit dubitatur; & quam *Photius Cod. CXXVI.* dicit plenam πολλῆς νουθεσίας μετὰ σαφανείας καὶ ἁπλότητος, *multis admonitionibus, cum perſpicuitate & ſimplicitate.* Papias quoque, Hierapolitanus Epiſcopus, cum Apoſtolorum diſcipulis conſuetudinem habuerat, & Polycarpi σύγχρονος erat, & quinque *De explanatione Oraculorum Dominicorum* libros reliquit. *Euſebius Lib. III. cap. XXXIX.* eum σφόδρα μίκρον εἶναι τὸν νοῦν, *fuiſſe mediocri admodum ingenio* ait; & *H. Valeſius* eruditiſſimus iudicium illud *Euſebii* de eodem Papia *Lib. III. cap. XXXVI.* ἀνὴρ τὰ πάντα ὅτι μάλιστα λογιώτατος, καὶ τῆς γραφῆς εἰδήμων. *Vir in primis diſertus, & eruditus, & ſcripturarum peritus*, ab imperito quodam Scholiaſte adiectum eſſe ſubſpicatur, non

tan-

tantum quod alii Euſebii iudicio adverſetur, ſed etiam quod in quibusdam MSS. Codicibus deſit. Barnabae etiam Apoſtoli mentio facienda, & quidem ante alios, fuiſſet, niſi & Epiſtola, quae ſub eius nomine circumfertur, νοθείας argueretur, & antiquitus etiam, teſte *Hieronymo*, reiiceretur inter ἀπόκρυφα. Epiſtola quoque ſecunda Clementis Romani ſuppoſititia videtur, adeoque eius ſuperius nullam mentionem fecimus, quamquam, *H. Grotio* auctore, ante excidium Ieroſolymitanum ſcripta fuerit. Evidentiſſima autem eſt νοθεία & falſitas operum Dionyſio Areopagitae paulo ſerius tributorum, quare immerito illius, tamquam primi ſaeculi Scriptoris, meminiſſem. Idem de *Evodii*, *Marcelli*, *Achivorum Presbyterorum*, *Abdiae*, *Martialis*, *Prochori*, & id genus aliorum, ſuppoſititiis voluminibus & epiſtolis, iudicium eſto. Sed quoniam de apocryphis ſermo eſt, heic lubenter addiderim *Pſeudo-Ignatium* in Epiſtola ad Hieronem Diaconum Antiochenum, Mariam quamdam venerabilem & eruditiſſimam feminam commemorare: πρόσαπε δὲ καὶ τὴν σεμνοτάτην Μαρίαν τὴν θυγατέρα μου τὴν πολυμαθεςάτην. *Saluta autem & maxime venerandam Mariam filiam meam, & eruditiſſimam*. Cuius rei penes falſarium Scriptorem fides eſto. Si quis autem Nicodemum, & Gamalielem, & Apollon, & Zenam, Iuriſperitos mihi obiecerit; eos nihil litteris mandaviſſe exploratae fidei eſt, & eorum ſcientiam atque doctrinam ultra Ebraicae legis, & litteraturae fines, progreſſam non fuiſſe, probabile omnino ac veriſimile videatur; id quod amplius conſtabit, ubi de cuiuſque divini Scriptoris eruditione, & doctrina, peculiariter diſſeremus. Haereticos etiam primi ſaeculi Scriptores contemno, ut *Simonem*, *Cleobium*, *Cerinthum*, aliaſque

id genus peſtes, de quibus pluria inferius dicemus; quum eorum ſcripta non ſapientia, & eruditione, ſed ſtultitia & deliramentis referta ad miraculum fuerint; nec eos veros Chriſtianos adgnoſcam.

Apoſtolos, litterarum rudes, & imperitos, homines fuiſſe.

CAPVT VII.

QVae tot obliquis diſputationum anfractibus, longiſque vagantis orationis ambagibus hactenus diſſeruimus, illo tendebant omnia ac collimabant, ut latum veluti limitem agerem, & planam viam regiamque mihi ſternerem, qua recta & facile ad evidentem meae verae & indubitabilis adſertionis demonſtrationem progrederer. Illa Apoſtolorum humilitas ignobilitaſque in anteceſſum & tempeſtive in propatulo collocata; Illa non abſimilis primitivorum Chriſtianorum conditio, quae eos praeceptoribus & inſtitutoribus ſuis convenienter aequabat, & theſin propoſitam confirmabat; Illa eorumdem primigeniorum Chriſtianorum ſimplicitas & imperitia, tamquam in luce meridiana omnium oculis expoſita & explicata, ſimiles & in hoc eis Apoſtolos arguit; quum paſſim Diſcipuli expreſsae ſint Magiſtrorum imagines, & ab eorum moribus, exemplis, atque indole, minime ut plurimum recedere conſueverint. Itaque, quomodo in obſcuris, deſpectis, piſcatoribus, opificibus, publicanis, pauperrimis hominibus, ingenuam liberalemque inſtitutionem, litteras, eloquen-

quentiam, ſcientiam, bonas artes, diſciplinaſque, requiremus? Nonne iam de illis omnibus intelligendum, quod congruenter & adpoſite *Ioannes Chryſoſtomus* de Evangeliſta Ioanne *Homil. I. in Ioann.* pronunciat? 'Αλιέων δὲ οὐδὲν πενέστερον, οὐδὲ εὐτελέστερον· ἀλλ' οὐδ' ἀμαθέστερον γένοιτ' ἄν. πλὴν ἀλλὰ καὶ ἐν αὐτοῖς τούτοις οἱ μὲν μείζους, οἱ δὲ ἐλάττους εἰσίν. ὁ δὲ ἀπόστολος ἡμῶν οὗτος κἀνταῦθα τὴν ἐλάσσω τάξιν ἐπῆχεν· οὐ γὰρ ἀπὸ τῆς θαλάσσης ἐθήρευεν· ἀλλὰ ἐν μικρᾷ τινι λίμνῃ διέτριβε, καὶ περὶ ταύτην αὐτὸν στρεφόμενον μετὰ τοῦ πατρὸς καὶ Ἰακώβου τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ, καὶ διεῤῥηγότα ῥάπτοντα δίκτυα. ὁ καὶ αὐτὸς τῆς ἐσχάτης πενίας ἦν· οὕτως ἐκάλεσεν ὁ χριστός. παιδείας δὲ ἕνεκεν τῆς ἔξωθεν, ἔστι μὲν καὶ ἐκ τούτων μαθεῖν, ὅτι οὐδὲ ὁτιοῦν αὐτῆς μετῆν. ἄλλως δὲ καὶ ὁ Λουκᾶς μαρτυρεῖ γράφων, ὅτι οὐ μόνον ἰδιώτης, ἀλλὰ καὶ ἀγράμματος ἦν. εἰκότως. ὁ γὰρ οὕτω πένης, καὶ μήτε εἰς ἀγορὰς ἐμβάλλων, μήτε ἀξιοπίστοις ἐντυγχάνων ἀνδράσιν, ἀλλὰ τῇ ἁλιείᾳ προστηλώμενος. εἴποτε δέ τινι καὶ συνεγένετο, καπήλοις ἰχθύων καὶ μαγείροις ὁμιλῶν. τί τῶν θηρίων καὶ ἀλόγων ἔμελλεν ἀμείνων διακεῖσθαι; πῶς δὲ οὐχὶ αὐτῶν μιμεῖσθαι τῶν ἰχθύων ἀφωνίαν; οὗτος δὴ ὁ ἁλιεὺς ὁ περὶ λίμνας στρεφόμενος καὶ δίκτυα καὶ ἰχθῦς, ὁ ἀπὸ βηθσαΐδα τῆς γαλιλαίας, ὁ πατρὸς ἁλιέως πένητος, καὶ πένητος πενίαν τὴν ἐσχάτην, ὁ ἰδιώτης, ἰδιωτείαν καὶ ταύτην τὴν ἐσχάτην, ὁ γράμματα μήτε πρότερον μαθών, μήτε ὕστερον μετὰ τὸ συγγενέσθαι τῷ χριστῷ, ἴδωμεν τί φθέγγεται, καὶ περὶ τίνων ἡμῖν διαλέγεται. *Piſcatoribus vero nil pauperius, nil abiectius, addo etiam indoctius: in eorum autem numero alii aliis praeſtant; hunc autem Apoſtolum ex vilioribus fuiſſe, id argumentum eſt quod non in mari, ſed parvo quodam in ſtagno, cum patre & Iacobo fratre piſcabatur, ſciſſaque reſarcitbat retia: quod non modicae erat paupertatis indicium. Sic enim vocavit Chriſtus.* EX HIS SANE INTELLIGI POTEST QVAM EXPERS FVERIT EXTERNAE DOCTRINAE, ET OMNIVM PENITVS STVDIORVM. *Lucas etiam non ſolum indoctum,*

ſed ignarum omnino litterarum, fuiſſe teſtatur, & recte quidem. NAM QVI QVVM ADEO INOPIA LABORARET, VT NEC IN FORO VERSARETVR, NEQVE VIRORVM PRAESTANTIVM VLLAM HABERET CONSVETVDINEM, SED PISCATIONI TOTO ANIMO INTENDERET: VEL SI CVI ALIQVANDO CONGREDERETVR, CVM PISCIVM CAVPONIBVS ET COQVIS VERSANS, QVIDNAM FERIS ET BRVTIS PRAESTARE DEBVISSET? QVID NON PISCIVM POTIVS MORE OBMVTVISSET? *Hic tamen piſcator circum ſtagna, retia, piſces, ſemper verſatus, a Bethſaida Galilaeae, patre piſcatore paupere, & extrema quidem paupertate paupere, imperitus, & hac quoque extrema imperitia, qui litteras neque ante, neque poſtquam Chriſtus ſequutus eſt, uſquam didicit, videamus quid loquitur, quam adgreditur diſputationem*. Res igitur iam confecta eſſet, nec aliud quidquam addere oporteret; ſed ut obtrectatorum meorum ignorantiam & hebetudinem amplius revincam, ulterius procedendum eſt, & aperte certis argumentis, & rationibus, & teſtimoniis, comprobandum & oſtendendum, Apoſtolos, quos Ieſus Chriſtus elegit, ruſticanos homines, imperitos, indoctoſque fuiſſe; quod primum ſatis indicant illa toties repetita *Pauli* Corinthiis ἐπιςέλλοντος verba: *Videte enim vocationem veſtram, Fratres, quia NON MVLTI SAPIENTES ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: ſed quae STVLTA ſunt mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes; & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, &c.* Et Apoſtolos quidem, aliosque divinos Novi Teſtamenti Scriptores, humanarum litterarum, & mundanae ſcientiae prorſus ignaros fuiſſe, tria ſunt quae evidentiſſime oſtendant

dant & comprobent; eorum natales, conditio, & profeſſio; eorum ſcripta ipſa, ac ſtilus, dicendique forma; veterum Scriptorum, & Sanctorum Patrum, teſtimonia luculentiſſima; denique ipſa divinae providentiae ratio mirabilis, & Chriſti incarnationis oeconomia. Sed priuſquam ad haec ſingula diſcutienda progrediamur, animadvertendum eſt, non producta tantum Pauli verba ignorantiam & ruditatem in profanis Apoſtolorum diſciplinis diſerte ac perſpicue indicare; verum etiam aliis caeleſtium litterarum locis inſignibus id manifeſte demonſtrari. Quid enim aliud ſignificant illa Apoſtoli pariter verba ad eosdem Corinthios primum ſcribentis: Ἡμεῖς δὲ ȣ̓ τὸ πνεῦμα τȣ͂ κόσμȣ ἐλάβομεν, ἀλλὰ τὸ πνεῦμα ἐκ τȣ͂ Θεȣ͂, ἵνα εἴδωμεν τὰ ὑπὸ τȣ͂ Θεȣ͂ χαρισθέντα ἡμῖν ἃ καὶ λαλȣ͂μεν, ȣ̓κ ἐν διδάκτοις ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, ἀλλ' ἐν διδάκτοις ἁγίου πνεύματος, πνευματικοῖς πνευματικὰ συγκρίνοντες. *Nos autem NON SPIRITVM HVIVS MVNDI ACCEPIMVS, ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt, ut ſciamus ea, quae a Deo donata ſunt nobis, quae & loquimur, non in verbis, quae humana ſapientia docet, ſed in iis, quae docet Spiritus Sanctus, ſpiritalibus ſpiritalia comparantes.* *Petrus* vero Apoſtolorum Princeps *Epiſt. II. cap. I.* ita diſerte infit: Οὐ γὰρ σεσοφισμένοις μύθοις ἐξακολȣθήσαντες ἐγνωρίσαμεν ὑμῖν τὴν τȣ͂ κυρίȣ ἡμῶν Ἰησȣ͂ Χριςȣ͂ δύναμιν καὶ παρȣσίαν, ἀλλ' ἐπόπται γενηθέντες τῆς ἐκείνου μεγαλειότητος. *Non enim DOCTAS FABVLAS ſequuti notam fecimus vobis Domini noſtri Ieſu Chriſti virtutem, & praeſentiam; ſed ſpeculatores facti maieſtatis illius.* Hoc enim eſt quod Chriſtus ipſe declaravit *Matthaei cap. XI.* dicens: Ἐξομολογȣ͂μαί σοι πάτερ, Κύριε τȣ͂ ȣ̓ρανȣ͂ καὶ τῆς γῆς, ὅτι ἀπέκρυψας ταῦτα ἀπὸ ΣΟΦΩΝ καὶ ΣΥΝΕΤΩΝ καὶ ἀπεκάλυψας αὐτὰ ΝΗΠΙΟΙΣ. *Confiteor tibi, Pater,*

Domine coeli & terrae, quia abſcondiſti haec a SAPIENTIBVS & PRVDENTIBVS, & revelaſti ea PARVVLIS. hoc eſt, *indoctis* & *inſipientibus*, quod vox νηπίοις deſignat hoc loci, quo de Apoſtolis agitur, ut obſervat ad eumdem locum *Hieronymus*. Alia divinorum eloquiorum loca proferre poſſem quae idipſum perſpicue comprobarent confirmarentque, ſed quoniam vel alibi adducenda opportunius ſunt, vel a Patribus modo advocandis adlegantur, ea in praeſens omitto, ut quid ſuper hoc illi ſcriptum reliquerint, inſpiciamus; contentus interim adducere verba *Origenis Tom. IV. in Ioannem*, qui, quum de ſoloeciſmo, & tenui ſacrae Scripturae dictione loqueretur, animadvertebat, id mirum videri non debere, μαλιςα ἐπὰν ὁμολογῶσιν οἱ ἅγιοι ἄνδρες τὸν λόγον αὐτῶν καὶ τὸ κήρυγμα, οὐκ ἐν πιθοῖ σοφίας τῶν λόγων, ἀλλ' ἐν ἀποδείξει πνεύματος, καὶ δυνάμεως. *Maxime vero quum profiteantur viri ſancti ſermonem ſuum & praeconium non in perſuaſione ſapientiae verborum, ſed in demonſtratione ſpiritus & poteſtatis eſſe.*

Patrum, & Scriptorum Eccleſiaſticorum, de Apoſtolorum imperitia, & ruſticitate, teſtimonia.

CAPVT VIII.

Ipſa quidem Apoſtolorum conditio, profeſsioque, & genus ipſum, luculenter demonſtrare poſſunt, eos litterarum rudes, & imperitos fuiſſe, & nullo fere animi cultu, & ingenii exercitatione, claruiſſe; ars enim piſcatoria, & pauper-

pertas, & vectigalium exactio, & vilia huiuſmodi, & abiecta, negotia, nequaquam permittunt, ut emergant homines, & liberalibus diſciplinis, boniſque artibus, vacent. Sed quum illud iam tempeſtive a nobis luculentiſſime demonſtratum fuerit, capite ſingulari ſuper hoc ipſum in anteceſſum praemiſſo, ad iſtud Lectorem amandamus, ne actum agere videamur. Itaque ad aliud modo gradum faciemus, & teſtimoniis Virorum doctiſſimorum, qui Chriſtianam antiquitatem veluti ſtellae fulgentiſſimae illuſtraverunt, & ſuis ſcriptis ac laborioſis doctiſque voluminibus cum adgreſſorum omnium impetus retuderunt, tum rem Chriſtianam magnis tumultibus turbantibus ſtiterunt, & coeleſtem Chriſti doctrinam docte ac perſpicue expoſuerunt, unde merito Eccleſiae Patres adpellantur, atque ſubſpiciuntur: horum, inquam, teſtimoniis in medium adductis, & auctoritate venerabili, noſtram adſertionem confirmabimus, & veriſſimam eſſe evincemus. Primus autem omnium in medium prodeat *Iuſtinus* Martyr, qui Apologia ſecunda, quae tamen prima dicenda eſſet, ita ſcriptum reliquit: ἀπὸ γὰρ Ἰηρουσαλὲμ ἄνδρες δεκαδύο τὸν ἀριθμὸν, ἐξῆλθον εἰς τὸν κόσμον, καὶ οὗτοι ἰδιῶται, λαλεῖν μὴ δυνάμενοι. *Nam Ieroſolymis duodecim viri profecti ſunt in mundum, atque ii quidem indocti, & minime eloquentes.* Iuſtinum autem conſequatur *Adamantius Origenes*, Pater omnium Graecorum longe doctiſſimus, cuius rerum Chriſtianarum peritiam proclivius eſt admirari, quam imitari; cuius ſtudium indefeſſum vere *Adamantium* fuiſſe, & non ψευδώνυμον, arguit. Hic igitur *Tom. IV. in Evangelium ſecundum Ioannem* ita ſcribit: Ἄτε δὲ οὐκ ἀσυναίσθητοι οἱ Ἀπόστολοι τυγχάνοντες τῶν ἐν οἷς προσκόπτουσι, καὶ περὶ ἃ οὐκ ἠχόληνται, φασιν ἰδιῶται εἶ-

ναι

ναι τῷ λόγῳ, ἀλλ' οὐ τῇ γνώσει· νομιστέον γὰρ αὐτὸ οὐχ ὑπὸ Παύλου μόνον, ἀλλὰ καὶ ὑπὸ τῶν λοιπῶν Ἀποστόλων λέγεσθαι· ἡμεῖς δὲ καὶ τὸ, ἔχομεν δὲ τὸν θησαυρὸν τοῦτον ἐν ὀστρακίνοις σκεύεσιν, ἵνα ἡ ὑπερβολὴ τῆς δυνάμεως ᾖ τοῦ θεοῦ, καὶ μὴ ἐξ ἡμῶν, ἐξειλήφαμεν, ὡς θησαυροῦ μὲν λεγομένου τοῦ ἀλλαχότε θησαυροῦ τῆς γνώσεως καὶ σοφίας τῆς ἀποκρύφου. ὀστρακίνων δὲ σκευῶν τῆς εὐτελοῦς καὶ εὐκαταφρονήτου παρ' Ἕλλησι λέξεως τῶν γραφῶν ἀληθῶς ὑπερβολῆς δυνάμεως τοῦ θεοῦ ἐμφαινομένης. *Sed Apoſtoli, qui non ignorarent ad quae impingunt, & in quibus ſtudiis non eſſent verſati, profitentur loquutione ſe eſſe idiotas, non intelligentia: exiſtimandum enim eſt id non a Paulo ſolum, ſed etiam a reliquis Apoſtolis dici. Nos autem item illud:* Et theſaurum hunc habemus in teſtaceis vaſis, ut ſit exſuperatio poteſtatis Dei, & non a nobis, *accepimus, quaſi theſaurus dicatur, qui aliunde deſumtus eſt, theſaurus cognitionis, & ſapientiae reconditae: fictilis vero vaſis, quum & apud Ethnicos deſpecta Scripturarum dictione vere declarata exſuperantia divinae poteſtatis.* Et *Libro I. contra Celſum* de Apoſtolis pariter loquens: Οὐ γὰρ ἡ εἰς τὸ λέγειν δύναμις καὶ τάξις ἀπαγγελίας κατὰ τὰς Ἑλλήνων διαλεκτικὰς καὶ ῥητορικὰς τέχνας ἦν ἐν αὐτοῖς ὑπαγομένη τοὺς ἀκούοντας. *Non enim facultas dicendi, & orationis compoſitio, ad Dialecticam aut Rhetoricam Graecorum artem exacta in ipſis erat, quae audientes quo vellet perduceret.* Et ex intervallo: Νυνὶ δέ τις βλέπων ἁλιεῖς καὶ τελώνας μηδὲ τὰ πρῶτα γράμματα μεμαθηκότας, ὡς τὸ Εὐαγγέλιον ἀναγράφει περὶ αὐτῶν, καὶ ὁ Κέλσος κατὰ ταῦτα πεπίστευκεν αὐτοῖς ἀληθεύουσι περὶ τῆς ἰδιωτείας αὐτῶν κλτ. *Nunc vero quis quum videat piſcatores & publicanos, qui nec elementa didiciſſent, ut de ipſis teſtatur Evangelium, & Celſus ob eam rem eis credidit, de ſua inſcitia vere profitentibus, &c.* Et *Philocaliae cap. XV.* ita ait: διόπερ οἱ ἰδιῶται, ὡς πρὸς φιλοσοφίαν Ἑλληνικήν, μαθηταὶ

τοῦ

τῦ Ἰησῦ ἐκπεριῆλθον πολλὰ Ἔθνη τ̃ οἰκυμένης διατιθέντες ὡς ὁ λόγος ἐβύλετο κατ᾽ ἀξίαν ἕκαςον τῶ ἀκυόντων, &c. *Quamobrem, quantum ad Graecorum philoſophiam, ignari & rudes diſcipuli Ieſu plurimas gentes orbis terrarum peragrarunt, quemlibet audientium pro dignitate ad verbi Dei voluntatem adficientes, &c.* Haec quae *Adamantius* ſapientiſſime ſcribit ab *Arnobio lib. I. Adverſus gentes* diſertis his verbis confirmantur, ubi de Chriſto ita loquitur: *Ex immenſa illa populi multitudine, quae ſuam gratiam ſectabatur admirans, piſcatores, opifices, RVSTICANOS, atque id genus elegit IMPERITORVM, qui per varias gentes miſſi, cuncta illa miracula ſine ullis fucis atque adminiculis perpetrarent.* Et poſt quaedam: *Neque quidquam eſt ab illo geſtum per admirationem ſtupentibus cunctis, quod non omne donaverit faciendum PARVVLIS illis & RVSTICIS, & eorum ſubiecerit poteſtati.* In quibus verbis obſervandum, vocem illam *parvulis*, pro *ſtultis* & *inſipientibus* eſſe uſurpatam, Graece νηπίοις; νήπιος enim tam *parvulum* & *infantem* ſignificat, quam *ſtultum* denotat, & *inſipientem*. Quare *Vulgatus Interpres* in *Pſalmo XVIII.* vertit: *Teſtimonium Domini fidele, ſapientiam praeſtans* PARVVLIS; quum in Graeco habeat: Μαρτυρία κυρίυ πιςὴ σοφίζυσα νήπια. Ipſa autem ſententia aperte monſtrat, hic de ſtultis, & inſipientibus agi, qui divinis documentis ſapientes evadunt, atque eodem ſenſu vox νήπιος uſurpatur, *parvuluſque* convertitur, *Matthaei cap. XI.* Id quod olim me docebat Praeceptor meus clariſſimus *Ant. Mar. Salvinius*. Et profecto quidquid de huius vocis ſignificatione commentetur *Clemens Alexandrinus Lib. I. Paedag. cap. VI.* tamen certum eſt νήπιον inſipientem ſignificare, ut diximus, & conſtat etiam ex iis, quae addu-

adducit *Caſp. Suicerus Theſauro rerum Eccleſiaſtic.* in *νήπιος*. Heinc forte quis coniiciat, cum vulgari Interpretis aetate, tum Arnobii, obtinuiſſe, ut *parvulus* pro *ſtulto* inſipientique adhiberetur. At idem *Arnobius* alibi de Apoſtolis pariter loquens ait: *Experiri libet ac recognoſcere, an cum ſuis efficere Diis poſſint, quod ab RVSTICIS Chriſtianis, iuſſionibus factitatum eſt nudis.* Quam aperte vero, quam eleganter, & copioſe, de more ſuo *Euſeb. Hieronymus* Apoſtolos humanarum litterarum rudes, & liberalium diſciplinarum imperitos, ſed ſcientia tantum & doctrina divina coelitus inſtructos Paulino ſcribens oſtendit! Eius verba ſunt quae ſequuntur: *Phariſaei ſtupent ad doctrinam Domini; & mirantur in Petro & Ioanne, quomodo legem ſciant, quum litteras non didicerint. Quidquid enim aliis exercitatio, & quotidiana in lege meditatio, tribuere ſolet, illis Spiritus Sanctus ſuggerebat; & erant iuxta quod ſcriptum eſt θεοδίδακτοι. Duodecim annos Salvator impleverat, & in templo ſenes de quaeſtionibus legis interrogans magis docet, dum prudenter interrogat. Niſi forte ruſticum Petrum, ruſticum dicimus Ioannem, quorum uterque dicere poterat: Et ſi imperitus ſermone, non tamen ſcientia.* In *Prooemio* vero *Libri III.* ſuorum Commentariorum ad Galatas, de Apoſtolis agens ita ait: *RVSTICANOS vero & piſcatores noſtros totus orbis loquitur, univerſus mundus ſonat. Itaque ſermone ſimplici, ſimplicia eorum verba pandenda ſunt.* Sed omnium luculentiſſime de Apoſtolorum imperitia, & ruſticitate, teſtimonium perhibet *Auguſtinus* ille, cuius magis doctrinam an ſanctitatem admirer animi pendeo. Hic igitur *Lib. XXII. de Civit. Dei cap. V.* ita ſcribit: INERVDITOS LIBERALIBVS DISCIPLINIS, & OMNINO *quantum*

tum

tum ad iſtarum artium doctrinas IMPOLITOS, NON PERITOS GRAMMATICA, NON ARMATOS DIALECTICA, NON RHETORICA INFLATOS, *piſcatores Chriſtus cum retibus fidei ad mare huius ſaeculi pauciſſimos miſit*. Et mox de Apoſtolis pariter loquens: *Incredibile eſt homines ignobiles, infirmos, pauciſſimos*, IMPERITOS, *rem tam incredibilem tam efficaciter mundo, & in illo etiam doctis, perſuadere potuiſſe*. Et ex intervallo: *Paucis, obſcuris, minimis*, INDOCTIS, *eam ſe vidiſſe dicentibus & ſcribentibus credidit mundus*. *Libro* vero *XVIII.* eiusdem Operis *Cap. IL.* ita ſcripſerat: *Elegit diſcipulos, quos & Apoſtolos nominavit, humiliter natos, inhonoratos*, ILLITTERATOS, *&c.* In *Epiſtola* autem ad *Voluſianum*, quam & ſuperius laudavimus, ita infit de Apoſtolis agens: EX IMPERITISSIMIS, *ex abiectiſſimis, ex pauciſſimis, illuminantur, nobilitantur, multiplicantur, praeclariſſima ingenia, cultiſſima eloquia, mirabileſque peritias acutorum, facundorum, atque doctorum, ſubiugant Chriſto.* Sed omnium maxime de Apoſtolorum ruſticitate & imperitia teſtatur *Ioannes Chryſoſtomus Homil. III. in Epiſtol. I. ad Corinth. cap. I.* apud quem Apoſtoli ἀμαθεῖς, καὶ ἀγράμματοι, καὶ πένητες, καὶ εὐτελεῖς, καὶ ἀσύνετοι, καὶ ἀφανεῖς. *Indocti, & illitterati, & pauperes, & viles, & ſimplices, & obſcuri*, audiunt; id enim ipſis glorioſum eſſe cenſet, διαλεγόμενοι inquit πρὸς Ἕλληνας ἐπειδὰν ἡμῖν πρὸς αὐτοὺς ἀγὼν ἦν, κατηγορῶμεν ἀποστόλων ὡς ἀμαθῶν· ἡ γὰρ κατηγορία αὕτη, ἐγκώμιον. *Differentes adverſus Graecos, quum nobis cum illis certamen erit, accuſemus Apoſtolos, ut indoctos; haec enim accuſatio, encomium.* Et iterum: Οὐκ ἔστι βλασφημία τῶν Ἀποστόλων ταῦτα, ἀλλὰ καὶ δόξα, τὸ τοὺς τοιούτους τῆς οἰκουμένης πάσης λαμπροτέρους φανῆναι. *Non ſunt haec Apoſtolorum improperium, ſed gloria, huiuſmodi quum fuerint, omnibus*

Tractatu vero VII. in Ioann. ita ſcribit Nathanael non plus [illegible]

bus, qui orbem terrarum incolunt, clariores exſiſtere. Homilia vero IV. in Acta Apoſtolorum, de Apoſtolis loquens: Καὶ τὸ θαυμαςὸν ὅτι γύμνῳ τῷ σώματι παρετάξαντο πρὸς ὡπλισμένους πρὸς ἄρχοντας κατ' αὐτῶν ἔχοντας ἐξουσίαν, ἄπαροι, ἄγλωττοι, καὶ ἰδιωτικώτερον διακείμενοι, πρὸς γόητας, πρὸς πλάνους, πρὸς σοφιςῶν, πρὸς ῥητόρων, πρὸς φιλοσόφων πλῆθος κτλ. *Atque illud interim mirabilius, quod Apoſtoli nudo corpore conſiſtebant adverſus armatos, adverſus principes, qui publicum in ipſos ius habebant; imperiti, elingues, ac ſimplices idiotae, adverſus impoſtores, adverſus ſophiſtarum, rhetorum, ac philoſophorum, turbam &c. Iſidorus* Peluſiota *Lib. II. Epiſt. IV.* de Apoſtolis ſcribens: ἀσθενεῖς ὄντες, τῶν ἰσχυρῶν περιεγένοντο, καὶ πένητες ὄντες, τῶν πλουσίων ἐκράτουν, καὶ ἰδιῶται τυγχάνοντες, τῶν σοφῶν περιῆσαν. *Infirmi & imbecilli quum eſſent, robuſtos frangebant: & quum paupertate laborarent, divites & copioſos vincebant: & quum rudes & indocti eſſent, ſapientes & eruditos ſuperabant. Libro* autem *IV. Ep. CCV.* Apoſtolos vocat λόγων ῥητορικῶν ἢ συλλογιςικῶν ἀπείρους, *orationum rhetoricarum aut ſyllogiſticarum rudes atque imperitos.* Epiſtola vero XXX. eiusdem libri *ait*, ſermonem de divino praeconio promulgatum fuiſſe διὰ τῶν ἰδιωτῶν καὶ ἀμαθῶν, ἀνδρῶν, *per homines plebeios & rudes.* Similia quoque occurrunt *Libro* eodem *Epiſtola XXVII.* Sed hiſce omnibus praeivit *Euſebius* Caeſarienſis *Oratione De laudibus Conſtantini*, qui Apoſtolos ἄνδρας εὐτελεῖς καὶ ἀγροικοὺς, *viros abiectos & ruſticos* adpellavit. Quare *Theodoretus* apud Nicetam Heracleenſem in *Epiſt. I. ad Corinth.* hiſce omnibus adſtipulatus ſcriptum reliquit: Μωρίαν δὲ τοῦ κηρύγματος τὴν τῆς λέξεως ἁπλότητά φησι· ἰδιῶται μὲν γὰρ τῷ λόγῳ ἦσαν οἱ θεσπέσιοι μαθηταί· *Stultitiam autem praedicationis, dictionis dicit ſimplicitatem.*

tatem. Ruſtici enim ſermone, & imperiti, erant divini diſcipuli. Sermone vero *VIII. De Cur. Graecor. adfect.* ita ſcribit: *Eamque ob rem, piſcatorum, publicanorumque, ac ſutoris miniſterio uſus, protulit hominibus ſalutarem divinamque doctrinam, nequaquam linguis immutatis, quibus verbi ſui praecones ab initio uſi fuerant, &c.* Accederent etiam Viri longe doctiſſimi recentiores, ſed eos hic proferre ſuperſedeo, quum inferius *Cap. XI.* adlegandi ſint, eorumque verba interdum deſcribenda; quamquam lubet haud in praeſens tempus omittere, quod vir de Chriſtiana religione optime meritus *Abbadius Tract. De Veritat. Relig. Chriſt. Part. II. cap. III.* habet. Scribit enim: *Il eſt d' abord remarquable que les quatre Evangeliſtes, qui conviennent dans la ſimplicitè avec la quelle ils ecrivent, ſont pourtant d' un caractere different.* Et mox: *Il eſt abſurde de penſer que de pecheurs ſimples & groſſiers, abbatus &c.* At quoniam teſtimonia eorum, qui de religionis Chriſtianae veritate ſcribunt eo pluris facienda ſunt, quo magis illi omnia captare videntur, quae cauſsae inſervire poſſunt, & haud quaquam obſicere, *H. Grotii* etiam Viri multis nominibus ſubſpiciendi verba ex paris argumenti opere *Lib. II. §. XIIX.* proferemus; *Apud Graecos,* inquit, *qui morum praecepta tradiderunt, aliis ſimul artibus reddebant ſe commendabiles, ut Geometriae ſtudio Platonici, Peripatetici animantium ac plantarum hiſtoria, Stoici dialectica ſubtilitate, numerorum & concentuum cognitione Pythagorici; multis adfuit & admirabilis quaedam facundia, ut Platoni, Xenophonti, Theophraſto. At primis Chriſtianiſmi doctoribus ars talis nulla, ſermo ſimpliciſſimus, & ſine illecebris, &c.* Quum vero iſthuc ipſum argumentum *Io. Alf. Turretinus* nuper in ſuis *Cogitationibus*

&

& *Diſſertationibus Theologicis* non ſine laude tractaverit, eius quoque verba ex *Diſſertat. VI. Tom. II.* producenda ſunt, atque ita habent: *Primo igitur notabile eſt, doctrinam illam eximiam, quam ſupra deſcripſimus, a viris obſcuriſſimis, infimo loco natis, nulloque inſtitutionis ac humanarum diſciplinarum praeſidio ornatis, originem ducere*. Et ex intervallo: *Sed ſi unum Paulum excipias, qui ad pedes Gamalielis, doctoris Iudaei, inſtitutus, aliquid litterarum Iudaicarum, nec tamen magni pretii, didicerat, ceteri nullos magiſtros audiverant, nullas ſcholas frequentaverant, nullis diſciplinis exculti fuerant: neque alibi quam in teloniis, cymbis, aut textrinis, fuerant educati*. Licet vero haec omnia vera ſint, non tamen heinc velim quoſdam cum Manichaeis, & quibusdam Criticis intemperantibus facientes ſubſpicionem iniicere, nonnullos novi Teſtamenti libros, & Evangelia etiam, ab Apoſtolis auctoribusque, quos credimus, ſcripta non fuiſſe. Etſi enim *Fauſtus* Manichaeus apud *Auguſtinum Lib. XVII. contra Fauſtum*, ut illud adfirmet, Apoſtolorum imperitia minime nitatur; tamen aliis falſis rationibus oſtendere conatur ab aliis, quam ab ipſis Apoſtolis, Apoſtolorumque diſcipulis, ſcripta eſſe Evangelia, & Matthaei praecipue, unumque concedit Ioannis Evangelium, Apoſtoli foetum eſſe. Et miror profecto *Theodorum Bezam* eis veluti frigidam ſuffudiſſe, dum *Seb. Chaſtillionium* reprehendit, quod *κατὰ ματθαῖον auctore Matthaeo* Latine in Evangelio vertiſſet; quaſi *Fauſto* adſtipulatus adfirmanti *ſecundum Matthaeum*, auctorem Matthaeum non denotare, ſed ex Matthaei praedicatione fuiſſe exceptum ſignificare. Quare merito vapulat a *Simonio P. I. Hiſtor. Crit. N. T. Cap. II.* & *Beauſobrio P. II. Hiſt. Critic. Manichaeiſmi Cap. V. §. VI.*

De

De ſtilo Novi Teſtamenti.

CAP. IX.

Illud autem, quod hactenus a me certa hiſtoriae fide, monumentis indubitatis, multis doctiſſimorum & ſanctiſſimorum Patrum teſtimoniis, non tam diſputatum, quam adſtructum ac demonſtratum fuit, amplius confirmare lubet, rei ſeſe prodentis evidentia & emicantis veritatis fulgore, ſimplicem, & incomtum, rudemque, Novi Federis commentariorum ſtilum arguente: quod quidem luculentiſſimum argumentum eſt, divinos eorum Scriptores litteraturae politioris ignaros fuiſſe, neve Rhetoricis, & Philoſophicis, exercitationibus excultos & eruditos. Sed quia inventi ſunt quidam, qui de ſtilo, & dictione, memoratorum voluminum aliter iudicare potuerunt, primum eorum iudicia in medium adducenda ſunt, & revocanda ad examen. *Auguſtinus* quidem *Lib. IV. Doctrinae Chriſtianae* eloquentiam quamdam, ipſis decenter adcommodam, in Novi Teſtamenti Scriptoribus admiratur, atque ita ſcribit: *Hic aliquis forſitan quaerit, utrum auctores noſtri, quorum ſcripta divinitus inſpirata canonem nobis ſaluberrima auctoritate fecerunt, ſapientes tantummodo an eloquentes etiam nuncupandi ſint. Quae quidem quaeſtio apud meipſum, & apud eos, qui mecum, quod dico, ſentiunt, facillime ſolvitur. Nam ubi eos intelligo, non ſolum nihil eſſe eis ſapientius, verum etiam nihil eſſe eloquentius videri poteſt. Et audeo dicere & omnes, qui recte intelligunt quod illi loquuntur, ſimul intelligere non eos*

Digitized by Google

aliter loqui debuiſſe. Sicuti eſt enim quaedam eloquentia, quae magis aetatem iuvenilem decet, & eſt quae ſenilem; nec iam dicenda eſt eloquentia, ſi perſonae non congruat eloquentia: ita eſt quaedam, quae viros ſumma auctoritate digniſſimos, planeque divinos, decet. Hac illi loquuti ſunt: nec ipſos decet alia, nec alios ipſa. Ipſis enim congruit; alios autem quanto videtur humilior, tanto altius non ventoſitate ſed ſoliditate tranſcendit. Vbi vero non eos intelligo, minus quidem mihi adparet eorum eloquentia; ſed eam non dubito eſſe talem, qualis eſt ubi intelligo. Ipſa quoque obſcuritas divinorum ſalubriumque dictorum tali eloquentiae miſcenda fuerat; in qua proficere noſter intellectus, non ſolum inventione, verum etiam excitatione, deberet. Poſſem quidem ſi vacaret omnes virtutes & ornamenta eloquentiae, de quibus inflantur iſti, qui linguam ſuam noſtrorum auctorum linguae non magnitudine, ſed tumore, praeponunt, oſtendere in iſtorum litteris ſacris, quos nobis erudiendis, & ab hoc ſaeculo pravo in beatum ſaeculum transferendis, providentia divina providit. Sed non ipſa me plus quam dici poteſt in illa eloquentia delectant, quae ſunt his viris cum oratoribus Gentilium Poëtiſque communia. Illud magis admiror & ſtupeo, quod noſtra eloquentia ita uſi ſunt per alteram quamdam eloquentiam ſuam, ut nec eis deeſſet, nec emineret in eis; quia nec improbari ab illis, nec oſtentari oportebat, quorum alterum fieret, ſi vitaretur; alterum putari poſſet, ſi facile adgnoſceretur. Atque haec quidem ille, qui tamen ita de divinorum Scriptorum eloquentia agit ac loquitur, ut facile & aperte inſinuet, ſe non in eis facundiam & eloquentiam cultam, & induſtria elaboratam, atque arte perfectam, deprehendere; ſed talem, qualem homines fervido ingenio acres, &

Digitized by Google

qui ea, quae probe potenterque noverunt, ita vel narrationis, vel praeceptionis ordine, rebuſque ipſis, quae dicuntur, aut exigentibus aut ſuggerentibus, naturali quadam vi, & ſpontaneo orationis impetu, praeſtare conſueverunt. Nam, ut optimus iudex *Flaccus* aiebat,

. . . . cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deſeret hunc nec lucidus ordo.

Hinc eſt quod idem *Auguſtinus* ſtatim ſubdit: *Et in quibus forte locis adgnoſcitur a doctis, tales res dicuntur, ut verba, quibus dicuntur, non a dicente adhibita, ſed ipſis rebus velut ſponte ſubiecta, videantur: quaſi ſapientiam de domo ſua, ideſt, pectore ſapientis procedere intelligas, & tamquam inſeparabilem famulam etiam non vocatam ſequi eloquentiam.* Et de Apoſtolis praecipue intelligendum eſt, ſiquidem aliqualem in illis eloquentiam intellegit, quod paulo ante dixerat, videlicet: *Quapropter quum ex infantibus loquentes non fiant niſi loquutiones diſcendo loquentium: cur eloquentes fieri non poſſunt, nulla eloquendi arte tradita, ſed eloquutiones eloquentiae loquendo & audiendo, & quantum adſequi conceditur, imitando? Quid quod ita fieri ipſis quoque experimur exemplis? Nam ſine praeceptis rhetoricis novimus plures eloquentiores plurimis, qui illa didicerant, &c.* Et huc ratio illa facere poteſt aliquatenus, quam *Pelagius* (illum modo non ut Haereticum, ſed ut virum doctum & eruditum nomino) in *Commentariis ad Epiſtol. I. ad Corinth.* adducit; *Hoc habet*, inquit, *ſenſus humanus ut quocumque eum tetenderis conſequatur, & paulatim meditando proficiat. Inde eſt quod multi illiterati poëmata componunt tam exquiſita, quae viri erudītiſſimi admirentur.* Et quidem, quomodo cultam, exactam,

elaboratamque eloquentiam in Novi Teſtamenti Scriptoribus *Auguſtinus* ſubſpicere poterat, qui *Lib. XXII. De Civit. Dei cap. V.* tam diſerte, tam perſpicue de illis edixerat: *Ineruditos liberalibus diſciplinis, & omnino quantum ad iſtorum artium doctrinas impolitos, non peritos grammatica, non armatos dialectica, non rhetorica inflatos, piſcatores Chriſtus cum retibus fidei ad mare huius ſaeculi pauciſſimos miſit?* Quem quidem *Auguſtini* locum lubenter attuli, quod in eo de Apoſtolis ſpeciatim loquatur; nam ſi generale aliquid, quod divinas ſcripturas reſpiceret, adferre voluiſſem, poteram ex eius Confeſſionum *Lib. III. cap. V.* iſtam ingenuam de ſacrarum Scripturarum ſtilo confeſſionem adducere: *Itaque inſtitui animum intendere in ſcripturas ſanctas, ut viderem quales eſſent. Et ecce video rem non compertam ſuperbis, neque nudatam pueris: ſed inceſſu humilem, ſucceſſu excelſam, velatam myſteriis &c.* Id quod hactenus Auguſtinum explicans & ſibi concilians dixi, Criticus etiam emunctae naris, & ſubacto iudicio *R. Simonius* animadverterat, & aliquid aliud addiderat, quod nunc ex *Par. I. Hiſtor Critic. N. T. cap. XXVI.* in medium adducimus: *Je ſçay*, inquit, *que S. Auguſtin a composè un chapitre expres dans ſes livres de la Doctrine Chretienne, pour montrer qu' il y avoit une veritable eloquence dans l' Ecriture Sainte, principalement dans les ecrits de S. Paul, ou il trouve une parfaite ſageſſe accompagnee d' une grande eloquence. Mais comme ce Pere n' entendoit pas la langue Grecque, nous devons preferer la deſſus le ſentiment des Peres Grecs aux ſien. Il ſemble neammoins, qu' il ne parle en cet endroit que d' une certaine eloquence, qu' il appelle ſageſſe, & qu' il fait plûtoſt conſiſter dans les choſes, que dans les expreſſions.* Sed nullum prope

alium

alium ex antiquis praeter *Auguſtinum* invenire, eſt, qui eloquentiam Scriptorum novi Teſtamenti vel ſubſpexerit, vel obſervaverit, ſi quosdam paucos cum apud Graecos tum apud Latinos, ſed obſcuri nominis, ut videtur, exceperis, qui hanc ſtili in Apoſtolis elegantiam admirari fruſtra, & laudibus ferre, voluerunt; & eorum iudicium eo minoris faciendum eſt, quo certius conſtat eos, a doctiſſimo viro, & eloquentiſſimo homine, *Io. Chryſoſtomo* & irriſos, & confutatos, fuiſſe. *Homilia* enim *III. in cap. I. Epiſt. ad Corinthios* haec litteris mandavit: Ταῦτα δὲ εἶπον ἐπειδή τινος ἤκουσά ποτε χριστιανοῦ πρὸς Ἕλληνα καταγελάστως διαλεγομένου, καὶ ἀμφοτέρων ἐν τῇ πρὸς ἀλλήλους μάχῃ τὰ ἑαυτῶν καταλυόντων. ἃ γὰρ ἔδει τὸν χριστιανὸν εἰπεῖν, ταῦτα ὁ Ἕλλην ἔλεγε· καὶ ἃ τὸν Ἕλληνα εἰκὸς ἦν εἰπεῖν, ταῦτα ὁ χριστιανὸς προεβάλλετο. περὶ παύλου γὰρ καὶ πλάτωνος ζητήσεως οὔσης, ὁ μὲν Ἕλλην ἐπειρᾶτο δεικνύναι ὅτι ὁ παῦλος ἦν ἀμαθὴς καὶ ἰδιώτης· ὁ δὲ χριστιανὸς ὑπὸ ἀφελείας ἐσπούδαζε κατασκευάζειν ὅτι πλάτωνος λογιώτερος ἦν ὁ Παῦλος. *Haec autem dixi quoniam audivi quemdam Chriſtianum cum Graeco RIDICVLE diſſerentem; & utrumque in ea, quae inter ipſos exſtitit concertatione, ſua infirmantem ac convellentem. Quae enim oportebat dicere Chriſtianum, ea dicebat Graecus: quae Graecum erat dicere conſentaneum, ea adferebat Chriſtianus. Nam quum eſſet quaeſtio de Paulo & Platone, Graecus quidem conabatur oſtendere Paulum eſſe RVDEM & IMPERITVM: Chriſtianus autem ob SIMPLICITATEM ſtudebat probare Paulum eſſe Platone doctiorem, & diſertiorem.* Hanc eamdem ſimplicitatem, ſeu errorem, egregie redarguit in Fridegiſo Abbate Lugdunenſis Epiſcopus *Agobardus* eo libro, quem adverſus illum ob hoc ipſum exaravit. Nec modo meminiſſe lubet iudicii Dio-

nyſii Alexandrini de Ioannis Evangeliſtae eloquentia, quum de eo latius commentarii huius decurſu agendum ſit a nobis, quanti illud faciendum ſit prudenter iuſteque monituris.

Inter recentiores vero *Henricus Stephanus* vir quidem Graece doctiſſimus hanc tractavit quaeſtionem in Praefatione, quam ſuo novo Teſtamento Graeco praepoſuit, & in eam ſententiam ivit, quae vult, & ſtili elegantiam interdum, & optimorum auctorum imitationem, in divinis Novi Teſtamenti Scriptoribus deprehendi. Quin librum ſe editurum recepit, quo oſtenderet memoratos ſacros Scriptores, plus nitoris & elegantiae habere, quam quidam cenſuerint. Indignatur praecipue quod eos nonnulli in ſcribendo rudes ac barbaros dixerint, & omnem dictionis venuſtatem iis abiudicaverint. Sed libellum, quem *H. Stephanus*, ut videtur, non praeſtitit, parilis tamdem argumenti *Seb. Pfochenius* concinnavit, Diatribenque edidit, quae titulum praefert: *De linguae Graecae Novi Teſtamenti puritate:* in qua Auctor nihil omittit, ut illorum commentariorum contextum vere Graecum, nec a ſtilo profanorum Scriptorum procul abeſſe, evincat. *Textum novi Teſtamenti*, inquit ille, *vere Graecum, nec alienum plane a ſtilo Graeco profano eſſe adſerimus*. Ebraiſmos autem omnes, qui in Novo Teſtamento deprehenduntur, tales eſſe inficiatur, & ſelectis profanorum Scriptorum locis & exemplis in medium adductis, phraſes illas ac verba linguae Graecae purioris eſſe propria demonſtrare conatur. Sed ſtant e regione viri pariter doctiſſimi ac κριτικώτατοι, qui non ſolum ſtili nitorem & elegantiam minime Apoſtolis tribuunt, ſed etiam illos Scriptores barbaros iudicant, quorum libri Ebraiſmis, &

pere-

peregrinis, & exoticis, loquutionibus ſcateant. Non heic quidem *Martini Petri Cheitomaei* mentionem faciam qui eleganti libello Graeco-barbara Novi Teſtamenti, quae Orienti originem debent, recenſuit & explicavit; non *Rob. Stephani*, qui Henrico Stephano magis ingenuus, in Praefatione Novi Teſtamenti editi anno 1543. & 1545., fatetur a Viris doctis ſecum communicatam *partem nonnullam Ebraiſmorum, qui in novo Teſtamento ſunt plurimi*; non *Othonis Gualtperii*, qui anno 1508. Vittebergiae libellum edidit, cuius titulus *Sylloge vocum exoticarum . . . . quae habentur in textu Graeco Teſtamenti Novi cum interpretatione etymologica, & rerum utilium adhaerentium commonefactione*: ſed *Seb.* quidem *Caſtalio*, vir Ebraice Graeceque doctiſſimus, adeoque huiuſmodi controverſiae iudex idoneus, in *Translationis Bibliorum Defenſione* ita ſcribit. *Erant Apoſtoli natu Ebraei, & peregrina, hoc eſt Graeca, lingua ſcribentes Ebraizabant, non quia iuberet ſpiritus; neque enim pluris facit ſpiritus Ebraiſmos quam Graeciſmos . . . . . . res enim dictat ſpiritus, verba quidem & linguam ſcribenti liberam permittit;* quae quidem poſtrema verba ſententiae Lovanenſium Ieſuitarum, de qua inferius loquuturi ſumus, ad miraculum conſonant. At cur Apoſtoli, quis dicat, non pure potius & eleganter, quum fortaſſis poſſent, ſcripſere, ſed Ebraiſmorum obſcuritate perplexam & difficilem orationem reddiderunt? *Primum*, inquit *Caſtalio*, *quia erant ſacris litteris adſueti; deinde quia, quum eſſent Graecae linguae non uſque adeo periti, id quod eorum ſcripta oſtendunt, facile in patriam conſuetudinem deflectebant*. Hanc igitur ultimam opinionem Critici doctiores cum orthodoxi, tum heterodoxi, amplexati ſunt, & inter illos *Ioan.*

Hentenius praecipue, qui *Praefat. Tranſlat. Comm. Euthymii in Evangelia*, ita ſcribit: *Animadvertendum eſt Evangeliſtas & Apoſtolos, quum genere Ebraei eſſent, hac in re, ſicut & in aliis multis, Ebraicum ſequutos idioma, quo illi frequentiſſime pro praeſenti, quod proprium non habent, aut pro futuro, efferunt praeteritum. Vtque in univerſum dicam, tempus unum pro alio Ebraei ſaepenumero collocant. Quod etiam Evangeliſtae non raro fecerunt, nec ſolus Matthaeus, qui patria ſcripſit lingua, hoc eſt Ebraea, ſed & ceteri, qui Graece ſcripſerunt, &c.* Sed & *Dominicus Soto*, vir doctiſſimus, *Prologo* ſuorum *Commentariorum in Epiſtolam ad Romanos*, hoc de Apoſtolorum dictione iudicium tulit: *Scribebant Apoſtoli ſapientiſſime quidem, quia numine inflati; at non ita nitide*. Et ex intervallo: *Quemadmodum ſcientiarum naturalium non ampliorem ſortiti ſunt Apoſtoli revelationem, quam quae ad propagandam fidem ſatis erat: ita neque linguarum politiem edocti*. Non in aliam diſceſſit ſententiam vir iudicio & doctrina ſubſpiciendus *Io. Gagnaeus*, qui in *Scholiis* ad *Cap. VII. Apocalypſeos*, verba quaedam edisferens, ſcribit: *Graeca nullum ſenſum habent: complectuntur enim verum ſoloeciſmum, a quo non abhorruerunt Scriptores Evangelici, utpote non adeo curioſi proprietatis verborum & loquutionum*. Et *Origenes* quidem, de divinarum litterarum ſoloeciſmis egit, atque ea, quae dixit, in *Philocaliae Cap. IV.* habemus; cuius veſtigiis inhaeſiſſe videtur *Hieronymus*, huiuſmodi errores in divinis Scriptoribus arguens; quibuſcum mitius agendum fuiſſe opinatur *R. Simonius*, & probabili de cauſa quidem, ut *Par. I. Hiſtor. Critic. N. T. cap. XXVI.* ſub finem videre eſt. Quum vero idem *R. Simonius* ὁ κριτικώτατος lauda-

to

to *Capite XXVI.* illud omne luculenter oſtendat, lateque atque erudite pertractans mirifice confirmet, ſuperfluum videri poſſet, aliqua eius verba excerpere, & huc transferre; quum ſatius ſit ut lector cupidus totam illius diſſertationem litteris inſtructiſſimam conſulat: attamen non omittam exſcribere quaedam, quae *Cap. XXVIII.* habentur, & ex quibus *Cl. Salmaſii* etiam de Apoſtolorum ſtilo iudicium comprehendere erit. Igitur de opinione *Salmaſii* agens, qui Apoſtolos Syriace ſcripſiſſe voluit, alioſque habuiſſe Graecos ſuae ſcriptionis interpretes, ait: *Car s'ils s'etoient ſervis de perſonnes ſçavantes dans la langue Grecque, on n'y trouveroit pas tant d'Ebraiſmes. Le ſtile de l'Evangile de Saint Jean montre qu'il a ete plutot ecrit par un Galileen, que par un Grec. Quoiqu'il en ſoit, Saumaiſe eſt obligè d'auover que les Ecrits du Nouveau Teſtament ſon remplis de manieres de parler, qui ſont tout a fait Syriaques.* Et mox: *Pour ce qui eſt de S. Paul & de S. Luc, qui ont ſçu la langue Grecque, Saumaiſe reconnoit auſsi que leurs Ecrits ſont remplis de Caldaiſmes &c.* A *Salmaſio* aliiſque non diſſenſit vir pariter longe doctiſſimus, *Lud. Capellus*, qui ſimiliter haec litteris mandavit. *Quum enim novi Teſtamenti phraſis tota ſit Ebraica . . . . ſane penitior & accuratior eius intelligentia pendet a linguae Ebraicae, Syriacae, Chaldaícae, Rabbinicae, earumque propriae phraſeos cognitione.* Lubenter a referendis hominis maxime impii verbis abſtinerem, quum vel ipſum eius nomen exſecrer & exhorreſcam, *Michaëlis Serveti* ſcilicet, niſi id mei voluminis ratio expoſceret, in quo etiam heterodoxorum opiniones congerere mihi propoſui, utpote in mea cauſſa maximi faciendas; quum illi nullam aliam credendi normam

mam adgnoſcentes, dubitandum non ſit quin ſacras litteras ſumma veneratione proſequantur, & quoad fieri poteſt, praedicent atque ſuſpicient. Ille igitur ſacerrimus homo, *Lib. I. De error. Trinit.* ſuo iudicio, & doctrina, alicubi non abuſus ita loquitur: *Imitemur Apoſtolos, qui non arte humana compoſitis verbis Chriſtum praedicabant.*

Et eo probabilior ſententia haec videri debet, quo certius exploratiuſque eſt, antiquos Graecos Eccleſiae Patres, iudices profecto idoneiſſimos, talem Apoſtolorum ſtilum ſerio iudicatoque declaraviſſe. Et *Origenes* quidem, qui Patrum omnium doctiſſimus, & in caeleſtibus litteris exercitatiſſimus fuit, exactiori quam alii fecerint diligentia & critica uſus, horum praecipuus cenſendus. Sed antequam eius verba profero, *Tatiani* Aſſyrii, Iuſtini Philoſophi ac Martyris diſcipuli eruditiſſimi, iudicium producam, utpote Origene ipſo antiquioris. Hic igitur, quum in *Oratione contra Graecos* de ſua ad Chriſtum converſione ageret, eius occaſionem & initia ediſſerens ita infit: περινοοῦντι δέ μοι τὰ σπουδαῖα, συνέβη γραφαῖς τισι ἐντυχεῖν βαρβαρικαῖς, πρεσβυτέραις μὲν, ὡς πρὸς τὰ Ἑλλήνων δόγματα, θειοτέραις δὲ ὡς πρὸς τὴν ἐκείνων πλάνην. Καί μοι πεισθῆναι ταύταις συνέβη διά τε τῆς λέξεως τὸ ἄτυφον, καὶ τῶν εἰπόντων τὸ ἀνεπιτήδευτον, καὶ τὸ τοῦ παντὸς ποιήσεως τὸ εὐκατάληπτον, καὶ τῶν μελλόντων τὸ προγνωστικὸν καὶ τῶν παραγγελμάτων τὸ ἐξαίσιον, καὶ τῶν ὅλων τὸ μοναρχικόν *Et quum diligenter circumſpicerem, in libros quoſdam barbaros incidere mihi contigit, antiquiores multo quam Graecorum philoſophia, ſi ſpectes aetatem; & diviniores, ſi illorum errores. His ergo fidem adhibui, quod ſtilus non eſſet phaleratus, nec ulla Scriptorum adfectatio, & ſermo nuſquam obſcurus: futurorum item eventuum praenotione, & ma-*

gnitudine promiſſionum, & quod unam univerſorum monarchiam ſtatuerent, impulſus. Vt autem ad laudatum *Origenem* deveniamus, is *Tom. I. in Ioannem* ait veritatis myſteria, eorumque virtutem, quae ab Apoſtolis dicebantur, οὐκ ἐμποδιζομένην ὑπὸ τῆς εὐτελοῦς φράσεως, *nihil obſtante tenuitate dictionis*, ad fines terrae pervenire potuiſſe. Et *Lib. I. contra Celſum* de Apoſtolis agens ſcribit: Οὐ γὰρ ἡ εἰς τὸ λέγειν δύναμις καὶ τάξις ἀπαγγελίας κατὰ τὰς Ἑλλήνων διαλεκτικὰς ἢ ῥητορικὰς τέχνας ἦν αὐτοῖς ὑπαγομένη ἀκούοντας. *Non enim facultas dicendi & orationis compoſitio ad Dialecticam aut Rhetoricam Graecorum artem exacta in ipſis erat, quae audientes quo vellet perduceret.* *Capite* autem I. *Philocaliae* ſcribit Chriſtianorum eſſe κεκρυμμένην λαμπρότητα τῶν δογμάτων ἐν εὐτελεῖ καὶ εὐκαταφρονήτῳ λέξει ἀποκειμένην. ἔχομεν γὰρ θησαυρὸν ἐν ὀστρακίνοις σκεύεσιν. *arcanum ſplendorem dogmatum, qui in tenui & contemta loquutione deliteſcit. Habemus enim theſaurum in vaſis fictilibus.* *Cap.* vero *Philocaliae XV.* quum ſacrarum Scripturarum incultam & inelegantem dictionem adſtruat, huiuſmodi ſtili in divinis ſcriptoribus neceſſitatem & utilitatem oſtendit ac praedicat, ita inquiens: Φαμὲν οὖν ὅτι εἴπερ τὸ προκείμενόν ἐστι τοῖς πρεσβεύουσι τὰ τῆς ἀληθείας, πλείους, ὅση δύναμις ὠφελεῖν, καὶ προσάγειν ὡς οἷόν τε ἐστὶν αὐτῇ διὰ φιλανθρωπίαν πάνθ' ὁντινοῦν οὐ μόνον, ἐντρεχῆ, ἀλλὰ καὶ ἀνόητον· πάλιν τ' αὖ οὐχὶ Ἕλληνας μὲν οὐχὶ δὲ καὶ βαρβάρους, πολὺ δὲ τὸ ἡμέτερον ἐὰν τοὺς ἀγροικοτάτους καὶ ἰδιώτας οἷός τε τις γένηται ἐπιστρέφειν, δῆλόν ἐστι ὅτι καὶ χαρακτῆρος ἐν τῷ λέγειν φροντιστέον αὐτῷ κοινωφελοῦς καὶ δυναμένου πᾶσαν ἐπαγαγέσθαι ἀκοήν. ὅσα δὲ πολλὰ χαίρειν φράσαντες, ὡς ἀνδραπόδοις τοῖς ἰδιώταις καὶ μὴ οἵοις τε κατακούειν τῆς ἐν φράσει λόγων καὶ τάξει ἀπαγγελλομένων ἀκολουθίας, μόνον ἐφρόντισαν τῶν ἀνατραφέντων ἐν λόγοις καὶ μαθήμασιν, οὗτοι τὸ κοινωνικὸν εἰς κομιδῆ στενὸν καὶ βραχὺ

συνή-

vincunt.

συνήγαγον. ταῦτα δέ μοι λέλεκται ἀπολογουμένῳ περὶ τῆς κατηγορουμένης ὑπὸ Κέλσου καὶ ἑτέρων ἐν λέξεσι εὐτελείας τῶν γραφῶν ἀμαυροῦσθαι δοκούσης ὑπὸ τῆς ἐν συνθέσει λέξεων λαμπρότητος, ἐπεὶ οἱ καθ' ἡμᾶς προφῆται Ἰησοῦς τε καὶ οἱ Ἀπόστολοι αὐτοῦ ἐνὶ εἶδον τρόπῳ ἀπαγγελίας, οὐ τὰ ἀληθῆ μόνον περιεχούσης, ἀλλὰ καὶ δυναμένης, ἐπαγαγέσθαι τοὺς πολλοὺς, ἕως προτραπέντες καὶ εἰσαχθέντες ἕκαστος κατὰ δύναμιν ἀναβῶσιν ἐπὶ τὰ ἐν ταῖς δοκούσαις εὐτελέσιν εἶναι λέξεσιν ἀπορρήτως εἰρημένα. *Sic igitur ſtatuimus, quum omnibus veritatis interpretibus id propoſitum ſit, ut, quamplurimos poſſunt, pro communi iure humanitatis iuvent, & ad ipſam quantum facere poſſunt, adducant quemlibet non acutum modo & ſolertem, ſed ſtolidum. Nec Graecos aut Barbaros, quod vero noſtri eſt inſtituti, ſi agreſtiſſimos, & omnium rudes queat, ad veritatem convertat: eam dicendi formam teneat oportet, quae in commune proſit, & omnium auditu percipi poſſit, & omnium aures devinciat. Qui vero imperitis, veluti mancipiis, qui ad politae & elegantis orationis contextum & ſeriem aures non adiiciunt, longum valere iuſſis & repudiatis, eorum tantum, qui eloquentia, & diſciplinis inſtructi erant, rationem habuerunt, ii ſane communitatem rerum in maximas anguſtias coëgerunt. Haec a me idcirco dicta ſunt ut dictionis Scripturae tenuitatem, quae compoſitae orationis ſplendore praeſtringi videtur, a Celſi & aliorum reprehenſione vindicarem, quoniam Prophetae noſtri, Ieſus, & Apoſtoli eius, unam ſequuti ſunt praedicandi rationem, quae non modo vera continet, ſed & adducere plurimos poteſt, quoad perſuaſi & adducti ſinguli pro viribus mente aſcenderint ad arcana ſimplici, ut videtur, dictione contenta.* Et *Lib. VII.* eiusdem operis ita infit: Οὕτως ἡ προνοουμένη θεία φύσις, οὐ τῶν πεπαιδεῦσθαι νομιζομένων μόνον τὰ Ἑλλήνων, ἀλλὰ καὶ τῶν λοιπῶν Ἑλλήνων, συγκατέβη τῇ ἰδιωτείᾳ τοῦ πλήθους τῶν ἀκροω-

ἀχρεωμένων, ἵνα ταῖς συνήθεσιν χρησαμένη λέξεσι προκαλέσηται ἐπὶ ἀκρόασιν τὸ τῶν ἰδιώτων πλῆθος. Ita divina natura non iis tantum, qui Graecorum ſapientia inſtituti credebantur, ſed Graecis etiam reliquis conſulens, multitudinis audientium ſimplicitati & ignorantiae condeſcendit, ut conſuetis dictionibus uſa, idiotarum multitudinem ad audiendum provocaret. Ce' eſt ſur ce principe, inquit opportune *Simonius Par. I. Hiſtor. Critic. N. T. Cap. XXVI. qu' on doit former l' idee du ſtile des Apotres, & des Evangeliſtes, & non ſur les prejuges de quelques Proteſtans, qui croient relever l' autoritè de l' ecriture, en ne mettant rien de trop ſimple dans la bouche des Apotres.* Aliter quidem, quam zelotae huiuſmodi, nimis inepti & ſtulte anxii, ac recte & ſapienter *Ioannes Chryſoſtomus* cenſuit, & non tantum a nobis concedi debere ait Apoſtolos rudi incultoque ſermone eſſe uſos, ſed huius ſimplicitatis & tenuitatis dictionis atque ignorantiae, a nobis magis accuſandos eſſe, quam Ethnici Graecique facere conſueverint. *Homilia* enim *III. in Epiſtol. I. ad Corinth. cap. I.* ita ſcribit: *Ὅταν οὖν Ἕλληνες κατηγορήσωσι τῶν μαθητῶν ὡς ἰδιωτῶν, πλέον ἡμεῖς ἐκείνων κατηγορῶμεν αὐτῶν. Quum Graeci igitur Diſcipulos (* Ieſu *) tamquam idiotas accuſaverint; nos magis quam illi ipſos accuſamus. Gregorius* autem Nyſſenus *Oratione* in *Gregorium Thaumaturgum* vocat ſacras Scripturas *τὸν ἑστῶτα λόγον τῆς πίστεως, τὸν οὐδεμιᾷ λογικῇ τινι περιεργίᾳ καὶ τεχνικαῖς πλοκαῖς κρανυνόμενον, ἀλλὰ δι' ἁπλότητος ῥημάτων ὁμοτίμως πᾶσιν ἀπαγγελλόμενον ὡς ἐν αὐτῷ τὸ ὑπὲρ τὴν πίστιν εἶναι, τὸ πιστὸν ἔχει. Stabilem & firmum fidei ſermonem; qui non exquiſita quadam & redundante verborum curioſitate, & artificioſis nexibus argumentorum confirmatur, ſed per ſimplicitatem verborum omnibus ex aequo ad-*

adnunciatur; qui in hoc ipſo, quod ſupra fidem eſt, vim fidei faciendae habet. Hinc *Agobardus Lib. Adverſ. Fredegiſum*, qui eum calumniatus fuerat, quia exacte & caſtigate loqui Apoſtolos, quod Grammaticae canones attinet, prudenter negaverat, numquam adduci poteſt ut fateatur Apoſtolos, eorumque interpretes, eleganter ſcripſiſſe, & abſtinuiſſe ſoloeciſmis & barbariſmis; ſed tantum dicit, *neque imperitia, neque malitia* id feciſſe, *ſed ratione condeſcenſionis*, ut *maniſeſtiorem ſenſum legentibus praeberent;* & potuiſſe eos *ſi voluiſſent, omnia ſecundum diſciplinam Grammaticam proferre, ſed ut nobis condeſcenderent, & ſimplicitatem veritatis non desererent*, non eſſe veritos *aliqua contra eamdem diſciplinam loqui*. Qui tamen ita tergiverſari non debuit, quum melius facturus fuiſſet, ſi cum antiquioribus Patribus ſtili ſimplicitatem, & incultam dictionem, in Apoſtolis aperte ac ſimpliciter praedicaſſet. Nec mirum profecto, ſi adeo ſimplici ac rudi ſtilo uſi ſunt Apoſtoli; non enim ſolum ob tam multa, quae de iis huc facientia mature diſſeruimus, id contigiſſe credendum eſt; ſed etiam, quia Ieſum Chriſtum, divinum ſuum praeceptorem, in omnibus imitaturi erant. Ille enim συγκαταβάσει quadam uſus, ut omnium captui ſeſe adcommodet. *non ubique ſequitur genus dicendi accuratum & exactum ad normam philoſophorum & oratorum; ſed utitur ut plurimum & fere ſemper iis loquendi formulis, quae populo erant in ore;* quae verba ſunt *Io. Cameronis ad Caput VIII. Matth. v.* 17. Lubet vero tamdem ut iis, qui contraria ſentiunt, recte ſapienterque reſpondeatur, ipſa *R. Simonii* τοῦ κριτικωτάτου verba ex *Par. I. Hiſt. Critic. N. T. cap. XXVI.* heic exſcribere, quae quidem ita habent: *Ce n'eſt pas au reſte qu'on ne puiſſe monſtrer, que*

la

la plus part des mots dont S. Paul, & les autres Ecrivains du Nouveau Teſtament, ſe ſont ſervis ne ſoient veritablement Grecs: mais le tour de leurs phraſes & leurs manieres de parler ne ſont pas toujours Grecques. Ce qui n'eſt point extraordinaire. Car chaque nation a de certaines façons d'exprimer ſes penſees qui lui ſont propres: & quoiqu'elles les expriment en des termes purement Grecs ou Latins, on s'apperçoit bientoſt que le tour n'eſt pas tout-a fait Grec ni Latin. Haec autem de ſtilo tantum Novi Teſtamenti diſputare lubuit; ſi enim rerum, quae in Novo Teſtamento docentur, examen inſtituiſſemus, nihil tunc ſublimius, nihil ſecretius, nihil perfectius atque divinius, excogitari poſſe noſſemus, & cum *Hieronymo* Epiſtola ad Marcellam ἀγωνικῶς quoad aliquos diceremus: *Diligentiam, qua avium ſilvas, & concharum gurgites norunt, in Scripturis legendis abiiciant, ſintque in hac re tantum ſimplices, & Chriſti verba exiſtiment ruſticana, in quibus per tanta iam ſaecula, tantorum ingenia ſudaverunt, ut rationem verbi uniuſcuiuſque magis opinati ſint, quam expreſſerint*. Claudat autem hoc caput ſuis egregiis verbis S. *Agobardus* Lugdunenſis *Libro Adverſus Fredegiſum: Ex quibus patet nobilitatem ſacrae Scripturae non ſecundum Philoſophos in diſertitudine eſſe verborum, in quo nulla eſt ſapientia, ſed in potentia & aſtutia ſenſuum, atque virtute ſententiarum*. Et mox: *Ecce quia laus divinae ſapientiae in ſacris myſteriis & in doctrina ſpiritus invenitur, non in adinventionibus verborum*. Nunc illud tantum e re nata mihi dicendum ſupereſſe video, me eorum viam & rationem Graecas litteras adoleſcentibus tradendi non ſatis probare, qui horum Graecanicam inſtitutionem a librorum Novi Federis lectione auſpicantur.

tur.

tur. Quum enim Scriptores Graecos puerorum captui ſua facilitate & perſpicuitate maxime adcommodatos, ſimulque fontes eloquio puriſſimo fluentes habeamus, Iſocratem, Lucianum, Herodianum; cur rudes molleſque eorum animos barbarica potius lectione, cuius vitia iis impreſſa difficile deinde deleantur, inconſulte fingamus; quam nitidae puraeque eloquutionis adſuetudine ſtudioque formemus?

De cuiuslibet Scriptoris divini N. T. ſtilo & eruditione.

CAPVT X.

HActenus generatim, quid de Novi Teſtamenti ſtilo, ratione ipſa duce, Eccleſiae Patribus doctiſſimis, aliiſque Scriptoribus eminentiſſimis, praeeuntibus, diſceptatum eſt, & quid de eo ſentiendum ſit, ſatis probabiliter ſtabilitum; ſed quum diverſum inter ſe ac diſſimilem divinorum Scriptorum ſtilum & orationem eſſe non ſemel enunciaverimus, & legenti cuilibet pateat; ſingulorum ſermonem, & eloquentiam, & eruditionem, examinare fert animus, & quid de ea iudicandum ſit, eamdem viam ineuntes, inquirere.

MATTHAEVM Apoſtolum Evangelium ſuum Ebraica, ſeu Syriaca, quae tunc apud Iudaeos in uſu erat, lingua ſcripſiſſe, *Papias*, *Irenaeus*, *Origenes*, teſtes locupletiſſimi ſunt, & hanc ſententiam antiquitas tota ſuffulcit; quare fruſtra eam evertere conati ſunt *Eraſmus*, *Caietanus*, *Flacius Illyricus*, *Chamierus*, *Wolzogenius*, *Lignfootius*, aliique

que, ut Viri doctiſſimi demonſtraverunt, & inter alios *R. Simonius ὁ κριτικώτατος Part. I. Hiſt. Critic. Novi Teſtam. Cap. V: Calmetius Prolegom. in Matthaeum; Tillemontius Tom. I. Memorab. Eccleſ. in S. Matthaeo Not. IV.* licet illorum ſententiae probabilitatem adſtruat *Fabricius* in *Apocryphis* N. T. *Notit. Evangel. Apocryphorum, numer. XXXV.* Sed quum Matthaei Evangelium αὐθεντικὸν lingua ea, qua exaratum fuerat, aetatem non tulerit, ſatius fuerit inquirere quis Evangelium iſtud in Graecum ſermonem converterit. Verum & hoc in ſententiis eſt: nam *Auctor Synopſeos*, ſeu potius Additamentum quoddam illius *Synopſeos*, quae vulgo *Athanaſio* tribuitur, ut *Tillemontius* animadvertit, Iacobum, primum Ieroſolymorum Epiſcopum, Matthaei commentarios ad Graecas aures tranſtuliſſe videtur innuere, niſi vox ἡρμηνεύθη *de explicatione & enarratione* quadam potius intelligenda eſt, quod iure laudato *Tillemontio* probatur. *Papias* vero apud *Euſeb. lib. III. Hiſtor. Eccleſ. cap. XXXIX.* illud perhibet a quoque in proprium uſum, pro ſua eruditione, Graece converſum fuiſſe; ὡς ἠδύνατο ἕκαστος. Alii autem Ioanni Apoſtolo, alii Barnabae, Paulo alii, aut Lucae, aut Apoſtolo Matthaeo ipſi, huiuſmodi translationem adferuerunt, quod animadvertebat etiam *Iſ. Caſaubonus Exercit. XV. ad Annal. Baronii*, qui id ſaltem demonſtrare ait, *ipſis Apoſtolorum temporibus ab uno illorum, aut illorum auſpiciis, vel potius Spiritus Sancti, cuius ipſi erant organa, Graecum textum ex Ebraico eſſe confectum;* ſuper quo tamen ei litem movet, & iure quidem, *Simonius* laudatus *Par. I. citata cap. IX.* Quum igitur Evangelium Matthaei in Graecam linguam vel ab Apoſtolo aliquo, vel ab alio Chriſtiano primitivo, translatum fuerit, nil mi-

rum, ſi in illo eadem ſtili ſimplicitas, atque in aliis, deprehenditur, & ſi Ebraiſmis frequentibus ſcatet; quum de his omnibus interpretibus idem iudicium ferendum ſit, ac generatim ſuperius pronunciavimus. Quod ordinem, quo ſua Matthaeus digeſſit, attinet, ita de eo *Aug. Calmetius Prolegom. in Matthaeum* ſcribit: *Si Evangelium iſtud cum ceteris conferatur, rerum geſtarum ſeriem aliter ab illo, atque ab aliis, digeri ſtatim adparebit; quod mire torquet Chronologos & interpretes. Alii temporum ordinem ſequutum Scriptorem; alii vero neglectum ab illo autumant . . . . Sunt qui meditato conſilio id adfectaſſe ſanctum Scriptorem credant, ut plures veluti ſub uno conſpectu hiſtorias argumento ſervientes proponeret, quo Iudaeos incredulos magis atque magis revinceret. Malunt tamen alii, hanc ordinis inverſionem fortuito caſui, ex tumultuaria ſchedarum ſacri Scriptoris collectione, tribuere, &c.* Eſt hoc Matthaei Evangelium perpetua Eccleſiae traditione receptum, & tamquam genuinus divini Apoſtoli foetus, admiſſum; quod aliis ſuppoſititiis & adulterinis libris, eiusdem Apoſtoli nomine inſcriptis, minime contigit; & merito quidem. Nam eidem Scriptori falſo tributus eſt liber, cui titulus *Infantia Ieſu Chriſti*, ſeu *De Ortu S. Mariae*, qui inter Opera B. Hieronymi habetur, & quem *Gelaſius* Pontifex improbans, ἀπόκρυφον declaravit; *Baronius* autem ad annum XLIV. eo Valentinianos abuſos autumat in iis, quae de Chriſto referebant apud *Irenaeum Lib. I. cap. XVII.* De hoc autem fabuloſo opuſculo conſulendus in primis *Io. Albertus Fabricius in Apocryphis N. T.* qui aliorum omnium de eo cenſuras colligit, atque ipſum volumen quoque exhibet: & adeundus etiam *Beauſobrius P. II. Hiſt. Crit.*

Ma-

Manich. Lib. II. Cap. II. Sunt qui Liturgiam quamdam Aethiopicam Matthaeo vendicent, quae tamen apocrypha eſſe cognoſcitur, ut apud *Bonam lib. I. Rer. liturg. cap. VIII. Tillemontium* in *Matthaeo*, *Caveum De Scriptor. Ecclеſ.* & *Fabricium P. III. Apocryphorum N. T.* apud quem exſtat, videre eſt. Nihil dixerim de Ebionitis, qui Matthaei Evangelium interpolarant, atque corruperant, quaedamque ipſi ſuppoſuerant, *Epiphanio Haereſ. XXX: cap. XXIII.* teſte locupletiſſimo; ſuper quo conſulantur *Simonius Par. I. Hiſt. Crit. N. T. cap. VIII. & Calmetius Prolegomen. in Matthaeum*, & *Tillemontius in Matthaeo*, & *Caveus*, & *Fabricius in Apocryphis*, qui obſervat contra *Simonium*, alioſque, Evangelium, quo Nazaraei utebantur, & Matthaei eſſe adfirmabant, non fuiſſe Matthaei Ebraicum & genuinum Evangelium, ſed diverſum: illudque *Evangelium ſecundum Ebraeos* dictum fuiſſe, cuius fere tota antiquitas meminit. Hoc, etiam *Evangelium ſecundum Syros*, vocabatur.

Nunc ad MARCVM tranſeamus, quem poſt Matthaeum Evangelium primum ſcripſiſſe conſtans veterum traditio eſt, quam videas apud *Simonium Par. I. Hiſt. Critic. N. T. cap. X.* & ipſe Evangeliorum ordo declarat, qui fere in omnibus exemplaribus eſt, qualis vulgo habetur, ſi antiquiſſimum exemplar Cantabrigenſe Graecum & Latinum excipias, in quo Ioannes Matthaeum ſtatim ſubſequitur, omniumque poſtremus Marcus eſt, ut teſtatur *Simonius* loco laudato omnino conſulendus. Quamquam in Bibliotheca quoque Riccardiana Codex MS. ſaeculi X. ut videtur, exſtat, in quo Evangelia duo habentur, Matthaei ſcilicet, & Ioannis; hoc poſteriore ſtatim conſequente, nec ullo adparente veſti-

gio, ex quo alia Evangelia interpoſita fuiſſe facile ſubſpicemur. Quin Codex eſt in eadem Bibliotheca MS. alius, in quo Italicis rhythmis cum Veteris, tum Novi, Teſtamenti librorum canon ab *Antonio Guidonis* Florentino tali ordine exhibetur, ut Evangelium Ioannis primum, Marci ultimum, ponatur; quem quoad Novi Federis libros heic exſcribere lubet, nam non abs re noſtra eſſe profecto videatur. Titulus autem ita habet: *Queſte iſtanze di là iſcritte fe Meſſer Antonio, cioè Meſſer Antonio di Guido Cittadino Fiorentino, e contengon tutta la Scrittura del Vecchio e Nuovo Teſtamento, cioè la Scrittura Santa. Felle a preghiera d' un Servigiale di Santa Maria Nuova; eſſendo lui ammorbato guarì e ſoddisfece a preghi del detto Servigiale, ch' era ſtato a governarlo nella ſua malattia.* Pars canonis eſt quae ſequitur:

Ora ſeguita il nuovo Teſtamento:
Prim' è il Vangel dell' aquilin Giovanni,
Po' è Matteo del duodeno reggimento,
Po' Luca, e Marco ne' ſecondi ſcanni.
Po' Perſeguente Pagol tutto attento
A procurar di Stefano, e' ſu' affanni,
Il qual Iddio percoſſe, e in terra il miſſe,
E Pagol ſurſe, e le Piſtole ſcriſſe.
Piſtole di San Iacopo troviamo,
E di San Pier, che fu primo Paſtore,
Di San Giovanni Piſtole leggiamo
Di ſottil ſenſo, e di molto ſapore;
Iuda anche ſcriſſe, e quel Mattia chiamiamo,
Piſtola ardente in carità e amore,
E gli Atti degli Apoſtol Luca iſcriſſe,
E Giovanni in Pamòs l' Apocaliſſe.

Marcus igitur quum *interpres & ſectator Petri* eſſet, *Irenaeo lib. III. Adverſ. Haereſ. cap. XI.* au-

ſtore, *iuxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romae a fratribus, breve ſcripſit Evangelium*, quae ſunt verba *Hieronymi* de Viris illuſtribus ſcribentis. Id quidem ex *Clemente* Alexandrino apud *Euſebium Lib. VI. Hiſtor. Eccleſ. cap. XIV.* hauſit Hieronymus, & ex ipſo *Euſebio Lib. II.* eiusdem Hiſtoriae *cap. XV.* ex quo etiam *Auctor Synopſeos* Athanaſio adſcriptae deſumſiſſe videatur; quibus quidem omnibus praeiviſſe potuit Apoſtolorum diſcipulus *Papias*, ita apud laudatum *Euſebium Lib. III. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. XXXIX.* ſcribens: Μάρκος μὲν ἑρμηνευτὴς Πέτρου γενόμενος, ὅσα ἐμνημόνευσεν, ἀκριβῶς ἔγραψεν· οὐ μέντοι τάξει, τὰ ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ ἢ λεχθέντα ἢ πραχθέντα, οὔτε γὰρ ἤκουσε τοῦ κυρίου, οὔτε παρηκολούθησεν αὐτῷ. ὕστερον δὲ, ὡς ἔφην, Πέτρῳ, ὃς πρὸς τὰς χρείας ἐποιεῖτο διδασκαλίας· ἀλλ' οὐχ ὥσπερ σύνταξιν τῶν κυριακῶν ποιούμενος λόγων. ὥστε οὐδὲν ἥμαρτε Μάρκος, οὕτως ἔνια γράψας ὡς ἀπομνημόνευσεν. ἑνὸς γὰρ ἐποιήσατο πρόνοιαν τοῦ μηδὲν ὧν ἤκουσε παραλιπεῖν, ἢ ψεύσασθαί τι ἐν αὐτοῖς. *Marcus, quum Petri interpres eſſet, quaecumque memoriter retinuerat, diligenter litteris tradidit, ordinem tamen eorum, quae Chriſtus dixerat aut fecerat, minime ſervans. Ipſe enim Dominum non audiverat, neque eum ſequutus fuerat; ſed poſtea, ut dixi, Petrum ſectatus eſt, qui, prout opus erat, utiliter ſua praedicatione docebat, at non quaſi in ordinem dominica verba digereret. Itaque nihil peccavit Marcus, quum ita quaelibet ſcripſit, quemadmodum menti ac memoriae occurrerunt. Curam enim eius unice habuit, ut nihil eorum, quae audierat, praeteriret, vel in iis referendis aliquatenus mentiretur. Auguſtino* tamen *Lib. I. De Conſenſu Evangel. cap. II.* non tam Petri interpres Marcus, quam *Matthaeum ſubſequutus, tamquam pediſſequus & breviator eius videtur.* Hinc *H. Grotius Adnot. in Tit. Matth.* ita ſcriptum

reliquit: *Sicut autem Marcus uſus eſt Matthaei Ebraeo ni fallor codice, ita Marci libro Graeco uſus mihi videtur quiſquis is fuit Matthaei Graecus interpres. Nam quae Marcus ex Matthaeo deſumſerat, idem hic iisdem prope verbis poſuit, niſi quod quaedam a Marco, Ebraico aut Chaldaico loquendi genere, expreſſa, propius ad Graeci ſermonis normam emollivit.* Sed digna ſunt quae hic exſcribantur *Calmetii* verba in Prolegomenis: *Quantum ex collatione utriuſque Evangelii SS. Matthaei & Marci intelligimus, poſtremum hoc ſummam eſſe illius ſubſpicamur. Saepe enim eaſdem refert hiſtorias iisdem fere coloribus expreſſas; addit etiam nonnulla quibus lucis aliquid textui Sancti Matthaei adferatur. Refert tamdem S. Marcus duo vel tria prodigia a S. Matthaeo omiſſa*, ut *Cap. I. II. V. IX. XVI.* videre eſt. *Quod autem animadvertendum in eius opere maxime, illud eſt, nimirum in reliquis omnibus S. Matthaeum ſequutum, in ordine tamen narrationis a Cap. IV. 12. uſque ad XIV. 13. illum deſerere, ut S. Lucae & S. Ioanni adhaereat. Nec de generatione Ieſu Chriſti ſaeculari, neque de eius crepundiis quidquam attingit, opus ſuum exorſus a praedicatione S. Ioannis Baptiſtae. Parabolas etiam plures omittit relatas apud S. Matthaeum Cap. XX. XXI. & XXV. ſicut & ſermones nonnullos ad diſcipulos & Phariſaeos, legendos in Cap. V. VI. VII. XVI. XXIII. S. Matthaei.* Haec quidem de iis, quae *Marcus* ſcripſerit; ceterum quo tempore, aut ubi ſcripſerit, inquirere parum noſtro propoſito cohaeret; quare varias Patrum ſententias, ut *Euſebii* & *Hieronymi*, qui Romae eum ſcripſiſſe perhibent; & *Ioannis Chryſoſtomi*, qui in Aegypto adfirmat; & eius *Actorum* a *Bollandianis* vulgatorum, quae Aquileiae litteris Evangelium mandaviſſe tradunt, recen-

cenſere omittemus. Satius fuerit veſtigare qua lingua *Marcus* Evangelium ſuum exaraverit; & quidem Graece eum ſcripſiſſe conſtans & uniformis antiquorum fere omnium traditio eſt, & conſuli poſſunt *Simonius P. I. Hiſt. Crit. N. T. Cap. XI. Calmetius Prolegom. in Marcum, Lamius Adparat. ad Harmon. Evangel. Caveus De Scriptor. Eccleſ. Tillemontius* in *Marco*, *Bollandiani* ad *diem XXV. Aprilis*. Nihilo tamen minus non defuerunt, ut *Baronius*, & *Seldenus*, quibus Syriacus, & Arabicus, & Perſicus, textus ſuffragantur, qui Marcum Latine ſcripſiſſe contenderent; hi tamen egregie confutantur a laudatis *Simonio, Calmetio, Tillemontio*, aliiſque. Quum igitur Graece Marcus ſcripſerit, *ſubſpicatur Grotius*, (ſunt verba *Calmetii* in Prolegom. in Marcum) *S. Marcum Ebraeo S. Matthaei codice in verſione ſua adornanda uſum, ſicut viciſſim interpretem Graecum S. Matthaei prae oculis habuiſſe textum Graecum Sancti Marci; recurrunt enim in S. Matthaeo, & Marco, ſimiles loquendi phraſes; quaſi ſcilicet poſtremus hic Scriptor, qui omnium ſententia S. Matthaei ſummam dedit, non aeque potuiſſet phraſes Graeci interpretis S. Matthaei in ſuum opus transferre. Facile perſuaſum habuit Grotius, Evangelium Ebraeum Sancti Matthaei nondum Graecis, litteris traditum fuiſſe, quum S. Marcus ad ſcribendum ſe contulit. Addit in ſuis Prolegomenis ad Marcum, verſionem Latinam eiusdem Evangelii remotiſſimae eſſe antiquitatis, nec ſemel textum Graecum ad verſionem illam Latinam reformatum fuiſſe*. Sed de ſtilo Marci *Grotius* laudatus eodem loco ita loquitur, ut magis Ebraicam & Chaldaicam phraſin hic redolere intelligatur, quam Graeca Matthaei Evangelii interpretatio. *Io. Chryſoſtomus Homil. IV. in Matthaeum* non longe ab initio, de

Marci ſtilo obſervat, ipſum Petri magiſtri ſui veſtigiis inhaerentem, dicendi brevitatem, parcitatemque verborum, ubique ſectatum fuiſſe. Antiqua controverſia eſt, an duodecim poſtremi verſiculi ultimi Capitis Marci, ab eo ſcripta fuerint, vel ab alio ſuppleti, qua de egregie agunt *Grotius in Marcum*, *Simonius Hiſtor. Crit. Nov. Teſt. Par. I. cap. XI. Calmetius Proleg. in Marcum*, *Tillemontius in Marco*, ut *Sixtum* Senenſem, & *Baronium*, alioſque, ſilentio praetercam. Praeter Evangelium, etiam Liturgia quaedam circumfertur, quae vulgo *Marco* tribuitur; ſed ea ἀπόκρυφος & ſpuria eſt, quidquid *Nicetas Paphlago* in contrarium ſenſerit, ut recte *Balſamon*, & recentiores *Tillemontius*, & *Caveus*, arbitrantur; & tantummodo *Marci Liturgia* adpellata eſt, quod *Liturgia* Eccleſiae Alexandrinae a Marco inſtitutae eſſet; id quod oſtendit eruditiſſimus *Euſeb. Renaudotius Diſſert. De Liturg. Oriental. origine & auctoritate Cap. IV. & V.* apud quem ea exſtat, quemadmodum apud *Fabricium lib. III. Apocryph. N. T.* Fruſtra quoque Syri pertendunt ipſum Marcum Evangeliſtam Novi Federis libros in Syriacam linguam convertiſſe, quod *Corn. a Lapide in Matthaeum*, & *Tillemontius* in *Marco*, obſervarunt. Quamquam eoſdem libros primis ſtatim illis temporibus Syriace converſos fuiſſe haud temere opinari videtur *Beauſobrius* in ſua *Hiſtor. Critic. Manichaeiſmi Par.* .... *Cap.* .... Itaque ſiquid aliud canonicum authenticumque Marco Evangeliſtae competit, id ad ſummum prima Petri Epiſtola eſt, quam tamen uti interpres tantum, non uti auctor, exaraverit; de quo laudatus *Tillemontius* conſulendus omnino eſt.

LVCAM, ſeu LVCANVM, ut Codices quidam MSS. habent, & recte, ut videtur (nam Lucas ex

Lu-

Lucani contractione efformatum) Antiochenum, poſt Matthaeum, & Marcum, ſcripſiſſe veteres univerſi tradiderunt, ut apud *Simonium P. I. Hiſt. Crit. N. T. cap. XII.* & *Tillemontium* in *Luca*, videre eſt. Quemadmodum vero antiqui Patres Marcum ea, quae ex Petro audierat, litteris mandaſſe cenſuerunt; ita & Lucam, qui Pauli itinerum comes fuit, nonniſi Pauli praedicationem litterarum monumentis conſignaviſſe. Λουκᾶς ὁ ἀκόλουθος Παύλου, ait *Irenaeus* apud *Euſebium Lib. V. Hiſt. Eccleſ. cap. VIII.* τὸ ὑπ᾽ ἐκείνου κηρυσσόμενον εὐαγγέλιον ἐν βιβλίῳ κατέθετο. *Lucas Pauli comes Evangelium ab illo praedicatum in libro depoſuit.* Auctor vero *Synopſeos Sacrae Scripturae* ita ſcribit: Τὸ κατὰ Λουκᾶν εὐαγγέλιον ὑπηγορεύθη μὲν ὑπὸ Παύλου τοῦ Ἀποστόλου, συνεγράφη δὲ καὶ ἐξεδόθη ὑπὸ Λουκᾶ τοῦ μακαρίου ἀποστόλου καὶ ἰατροῦ. *Evangelium ſecundum Lucam ab Apoſtolo quidem Paulo praedicatum eſt, a Luca vero beato Apoſtolo & Medico conſcriptum atque praedicatum.* Ceterum ipſe *Lucas* de ſe ipſo ita teſtatur: *Quoniam quidem multi conati ſunt ordinare narrationem, quae in nobis completae ſunt, rerum: ſicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis: viſum eſt mihi adſequuto omnia a principio diligenter, ex ordine tibi ſcribere, optime Theophile, ut cognoſcas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.* Quare iam videatur non unum tantum, uniuſque fidem, ſed multorum, *Lucas* eſſe ſequutus; & ea propter *Hieronymus* in *Catalogo* generaliter tradidit, *Lucam non ſolum ab Apoſtolo Paulo didiciſſe Evangelium, qui cum Domino in carne non fuerat, ſed a ceteris Apoſtolis, quod ipſe quoque in principio ſui voluminis declarat: ſicut tradiderunt nobis, qui a principio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis. Igitur Evan-*

gelium ſicut audierat ſcripſit. Et *Irenaeus Lib. III. Adverſ. Haereſes cap. XIV.* ait: *Lucas nemini invidens ea, quae ab Apoſtolis didicerat, tradidit nobis*. Cur autem, quum iam Matthaeus, & Marcus, Evangelium conſcripſiſſent, *Lucas* etiam idem opus moliri adgreſſus ſit, varie diſputant Viri docti, & praeter ceteros adeundus *Simonius* loco paulo ante citato. Quo tempore, aut quo loco, ſcripſerit, valde incertum, ut apud laudatum *Simonium*, & *Calmetium* in *Prolegomenis* & *Tillemontium* in *Luca* videre eſt: ſed tamen Graece ſcripſiſſe extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt. Si vetuſtis Scriptoribus credimus, *Lucas* hic Medicus erat, & de eo intelligenda illa *Epiſtolae ad Coloſſenſes cap. IV. 12. Lucas medicus cariſſimus ſalutat vos*; & fruſtra ac temere quidem recentiorum aliqui contra omnium veterum fidem Lucam Evangeliſtam a Medico diſtinguere conantur, ut recte doctiſſimus *Tillemontius* obſervat. Et certe *Hieronymus* eum Medica facultate praeſtitiſſe *Comment. in Cap. VI. Eſaiae* prodit: *Evangeliſtam Lucam tradunt veteres Eccleſiae Tractatores Medicae artis fuiſſe ſcientiſſimum, & magis Graecas litteras ſciſſe, quam Ebraeas. Vnde ſermo eius tam in Evangelio, quam Actibus Apoſtolorum, comtior eſt, & ſaeculorum redolet eloquentiam*. In Catalogo autem eum *Graeci ſermonis non ignarum* dicit, idque eius ſcripta indicare adfirmat; & *Epiſtola ad Damaſum* ſcribit: *Lucas igitur, qui inter omnes Evangeliſtas Graeci ſermonis erudituſſimus fuit, quippe ut Medicus, & qui Evangelium Graecis ſcripſerit, &c.* *Lucas* praeter Evangelium, Acta etiam Apoſtolorum compoſuit, quorum quidem oculatus teſtis fuerat: *Acta Apoſtolorum*, ait *Hieronymus*, *ſicut viderat ipſe compoſuit*. In his Pauli praecipue praeceptoris ſui

res

res geſtas narrat, quod *Chryſoſtomus* in *Acta* obſervabat; & quod mira ſimplicitate exſequi deprehenditur. Hunc librum a Luca poſt Evangelium ſcriptum fuiſſe perhibent, ut apud *Calmetium* in *Prolegomenis in Acta* videre eſt. *Auctor Synopſeos ſacrae Scripturae* Acta haec a Petro dictata fuiſſe tradit, ſed nulla probabilitate, ut recte *Simonius*, & *Tillemontius*, *Calmetiuſque*, arbitrantur; & aperte quidem *Hieronymus*, ut vidimus, contradicit. Iam aliquid de *Lucae* ſtilo dicendum; & quale de eo Hieronymi iudicium fuerit, eius verba ſuperius prolata ſatis edocuerunt. *Io. Chryſoſtomus Homil. IV. in Matthaeum* dicendi copiam in Luca demiratur, cuius rationem reddit, Paulinae orationis ubertatem: Pauli enim ille diſcipulus & comes fuerat. *Ambroſius* in *Lucam* hunc Evangeliſtam ſtilum hiſtoriae conſuetum magis ſequi, quam alios, ait. Sed quid de eo recentiores cenſeant ex *Calmetio* videamus. *Ad ſtilum quod attinet*, inquit, *redundare Helleniſmis Grotius obſervat, quos forte ſimul cum Iudaicae religionis profeſſione, & librorum Ebraicorum lectione, adſciverat. Medicinae ſtudebat, unde ſtili puritas & correctio maior, quam in aliis N. T. Scriptoribus. Occurrunt etiam aliquando tales loquendi phraſes, quae Syriacam & vernaculam Scriptoris originem produnt. Addit etiam nonnulla ad genium & ſaporem linguae Latinae*. R. autem *Simonius P. I. Hiſt. Critic. N. T. cap. XXVI.* in eadem ſententia eſt, & Graecorum Scriptorum auctoritate innititur. *Je n'aurois*, inquit, *jamais fait, ſi je voulois raporter ici en detail tous les temoignages des Ecrivains Grecs touchant le ſtile ſimple & bas des Evangeliſtes, & des Apotres. Ils n'en ont pas meme exemptè Saint Luc, bien qu'on croie ordinairement qu'il a eu une connoiſſance plus*

exa-

-Haud aliud est Jan. Heinij iudicium in Exerci- at. Sacr. ad N. T. cap. XXI.

exacte de la langue Grecque, que les autres Ecrivains du Nouveau Teſtament. Praeter Evangelium & Acta Apoſtolorum, *Clemens* Alexandrinus apud *Euſebium Lib. VI. Hiſt. Eccleſ. cap. XIV.* & *Hieronymus de Viris illuſtribus*, & *Theophylactus* in *Epiſtol. ad Ebraeos*, ſcribunt, Lucam Epiſtolam Pauli ad Ebraeos in Graecam linguam convertiſſe. *Origenes* apud *Euſebium* eodem *lib. cap. XXV.* eiusdem Epiſtolae Lucam auctorem cenſet, ex verbis ſententiiqſue Pauli, quas memoriter retinuerat, coagmentatae: a qua opinione doctus *Eſtius* in *Epiſt. ad Ebraeos* non longe recedere videatur. Idem Alexandrinus Catechiſtes *Clemens* Iaſonis & Papiſci Altercationem, ut *Hieronymus* vocat, Lucae pariter tribuit: at nihilominus *S. Maximus* Abbas, qui ſaeculo VII. floruit, eam ab Ariſtone Pellaeo, qui anno circiter CXL. vivebat, ſcriptam fuiſſe perſeverat: & certe eam a Luca exaratam non fuiſſe, modus, quo *Origenes* & *Hieronymus* de ea loquuntur, luculenter indicare quis cenſeat. Περὶ τῶν Pauli & Theclae περιόδων nihil dicam, quum eorum *Hieronymus* in Luca quidem meminerit, ſed eos Lucae foetum eſse falſo creditum fuiſſe, haud quaquam indicet; quod & *Caveus* prudenter animadvertit. *Lucae* Epiſtola ad Claudium Galenum ipſis temporum numeris falſa revincitur, & obſervat *Phil. Labbeus Biblioth. Nov. MSS.* Verum *Lucas* ille ſive *Lucius*, Tarſenſis fuerit, praeceptor Galeni, qui eius vice plus ſimplici meminit. Ferunt quoque Liturgiam XII. Apoſtolorum a Luca Evangeliſta ordinatam fuiſſe, & eam ex Syriaco vertit eruditiſſimus *Euſeb. Renaudotius*, exſtatque etiam apud *Fabricium P. III. Apocryphor. N. T.* Non eadem tamen eſt, ac *Liturgia* quaedam *Apoſtolorum* dicta a Neſtorianis, qui ita vocant Adaeum ſeu Thadaeum,

daeum, & Marin, quos etiam *Doctores Orientis* adpellant, ut apud laudatum *Renaudotium Tom. II. Liturg. Orient. Diſſert. De Neſtorian. Liturgiis* reperias.

Iam de IOANNE agendum eſſet; ſed quum peculiarem ei locum in alia huius Commentationis parte adſignaverim, eumque tamquam primarium illius ſcopum propoſuerim, eius criticam hiſtoriam in praeſens tempus omitto.

PAVLVS, qui & SAVLVS, Tarſenſis, σκηνοποιὸς, ut tradit *Lucas* in *Actis*, ſeu σκυτοτόμος, ut vocat *Theodoretus*, quod ſupra *pag.* 30. videre eſt, Apoſtolus gentium plane admirandus, iuxta vulgatum ſacrorum librorum Novi Federis ordinem, Evangeliſtis ſuccedit, cuius Epiſtolae XIV. in Eccleſiae Canone nobis ſuſcipiendae ac venerandae proponuntur. De eorum ordine ac tempore, quo quaeque ſcriptae ſunt, conſulantur *Simonius Par. I. Hiſtor. Crit. N. T. Tillemontius* in *Paulo*, *Calmetius* in *Prolegomenis*, aliique viri doctiſſimi, qui haec copioſe ac luculente tractaverunt. Ceterum hic obſervandum de Epiſtola ad Ebraeos multum diſceptatum fuiſſe, & adhuc eſſe in ſententiis, Pauli ne ſit, an alicuius alterius Scriptoris, aeque tamen divini. Quamquam Ariani (*Beauſobrius Par. II. Lib. I. Hiſt. Crit. Manich. cap. V. §. I.* a Manichaeis eam iam ante reiectam putat) contra perpetuam Eccleſiae Orientalis, quae hanc Epiſtolam Pauli vere eſſe adgnoſcebat, conſuetudinem, eam, teſte *Theodoreto* in *Epiſtol.* ad *Ebraeos*, omnino reiiciebant: ſimiliter autem Occidentis Eccleſias reprobaſſe, auctor eſt *Euſebius*, quosdam Latinos Scriptores adlegans; quorum tamen auctoritas flocci facienda eſt, quum ipſe *Euſebius*, Epiſtola Clementis Romani Epiſcopi ad Corinthios adducta, eam Paulo Apoſtolo vendicet. Adeundus eſt Scriptor

ptor hic *Lib. III. Hiſt. Eccleſ. Cap. III.* & *Lib. VI. Cap. XX.* Sed *Hieronymus* quoque *Epiſt. ad Dardanum*, & *Lib. II. Comment. in Eſaiam Cap. VI.* tradit Latinorum conſuetudine Epiſtolam ad Ebraeos non recipi inter Scripturas canonicas, eo quod forte in Latinis Eccleſiis ea publice non legeretur; quamvis privati quidam Scriptores eam tamquam canonicam admitterent, ut *Hilarius*, *Optatus*, *Ambroſius*, *Auguſtinus*, quod omne explicat & illuſtrat *Simonius Part. I. Hiſtor. Criticae N. T. Cap. XVI.* Sed cuiuſnam auctoris eſſe ferebatur illa Epiſtola? Nos iam in *Luca* ſuperius vidimus *Origenem*, & prope νεωτερικὸν *Eſtium*, opinatos eſſe Lucam Pauli voces & ſenſa exprimentem fuiſſe huius Epiſtolae Scriptorem; & certe *Clemens* Alexandrinus, *H. Grotius*, *D. Eraſmus* inter huius Epiſtolae, & Actorum Apoſtolorum, Evangeliique Lucae, phraſes admirabilem ſimilitudinem deprehendunt; adeo ut *Grotius* vere eam a Luca proprio marte ſcriptam cenſeat; quo tamen progredi *Eraſmus* auſus non eſt, ſed Clementi potius vindicare non dubitavit. Mirum autem quod alii Critici, ut *Spanhemius*, & *Iac. Capellus* ſtili diverſitatem maximam adlegent, ideoque eam Lucae ob hoc ipſum abiudicent. *Tertullianus* vero eam nonniſi ſub Barnabae nomine laudat, quam opinionem *Camero* lubenter amplexus eſt. Quare mirabiliter ineptire videantur, qui eius Epiſtolae Tertullianum auctorem eſſe adfirmare minime verentur. Fuerunt etiam qui Clementis Romanae poſtea Eccleſiae Epiſcopi opus eſſe, ut iam innuimus, cenſerent, *quem aiunt ſententias Pauli proprio ordinaſſe & ornaſſe ſermone*, ut ſcribit *Hieronymus* ex Origene apud *Euſebium Lib. VI. Hiſtor. Eccleſ. cap. XXV.* & quidem ſtili ſimilitudinem inter Epiſtolam ad Ebraeos, & Epi-

Epiſtolam Clementis ad Corinthios, ſibi deprehendere videbantur. At ſequitur *Hieronymus*, *vel certe quia Paulus ſcribebat ad Ebraeos, & propter invidiam ſui apud eos nominis, titulum in principio ſalutationis amputaverat, ſcripſerat ut Ebraeus Ebraeis Ebraice, ideſt ſuo eloquio diſertiſſime, ut ea quae eloquenter ſcripta fuerant in Ebraeo, eloquentius verterentur in Graecum, & hanc cauſſam eſſe quod a ceteris Pauli Epiſtolis diſcrepare videatur*. Et profecto, ut ipſe paulo ante dixerat, alterius quam Pauli, haec epiſtola credebatur *propter ſtili ſermoniſque diſtantiam*. *Hippolytus* Martyr, & *S. Irenaeus* apud *Photium*, Paulum Epiſtolae ad Ebraeos auctorem, alium a Paulo Apoſtolo eſſe cenſuerunt, ſed nullo argumento & ratione, ut videtur. *Lutherus* & *Beza* Apollo eam tribuunt, ſed temere quidem; quemadmodum ii faciunt, qui illam Marco Evangeliſtae adſerere conati ſunt. Aut S. Lucae, aut Clementi, ambigens *I. Calvinus* adiudicat; Helleniſtae cuidam *Ioſephus Scaliger*; in incerto vero relinquunt incerti ipſi ac dubitantes *Ludovicus Vives*, *Cardinalis Caietanus*, *Eraſmus*, *Schmidius*, *Tanaquillus Faber*, *Cl. Salmaſius*, aliique. Sed de hiſce controverſiis omnibus conſulendi ſunt viri doctiſſimi, *R. Simonius P. I. Hiſt. Crit. N. T. Cap. XVI. Tillemontius in Paulo*, *Calmetius in Prolegomenis*. Vt autem aliquid de Pauli ſtilo & eruditione dicamus, advertemus iam eius Epiſtolas Graece omnes, praeter illam ad Ebraeos, ſi *Hieronymo*, aliiſque veteribus credendum, (nam de hoc multi recentiorum, & non ſine magna ratione aut dubitant, aut impugnant, ut apud *Calmetium* videre eſt) ſcriptas eſſe, ipſumque Paulum Helleniſten fuiſſe, utpote Tarſenſem ex Cilicia; quapropter Graece ab infantia eum aliquatenus ſciviſſe non

eſt

eſt dubitandum; quamquam *Chryſoſtomus in II. Timoth. Homil.* 4. eum Graece ignoraſſe adfirmat & unam linguam Ebraicam calluiſſe. Idem a parentibus *ob ſtudia legis miſſus Ieroſolymam*, ut *Hieronymus* ait, *a Gamaliele viro doctiſſimo, cuius Lucas meminit, eruditus eſt;* quod ipſe Paulus apud *Lucam* in *Actis* adſeruit, ſeque etiam ſecta Phariſaeum fuiſſe adſeveravit. Praeter ſacra volumina, Scriptores quoque Graecos lectitaviſſe, argumento ſunt verſus Poëtarum, Arati, Epimenidis, Menandri, ab ipſo laudati, ut *Act. cap. XVII. & Epiſt. ad Titum I. & Epiſt. I. ad Corinth. XV.* videre eſt; ſuper quo legatur *Hieronymus* Magno Oratori ἐπιςέλλων. Hic autem opportune proferantur loca, quae ex profanis, ſeu apocryphis, Scriptoribus a Paulo Apoſtolo repetita adnotantur in Codice Graeco membranaceo ſcripto ſaeculo XI. Bibliothecae Monaſterii S. Baſilii Romae, prout exhibentur a doctiſſimo *B. Montefalconio Diarii Ital. Cap. XV.* Sunt autem quae ſequuntur: *Locus qui ex Eliae apocrypho libro uſurpatus hic dicitur:* ἃ ὀφθαλμὸς ὐκ εἶδεν, καὶ ὂς ὐκ ἤκυσεν, καὶ ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπυ ὐκ ἀνέβη ἃ ἡτοίμασεν ὁ θεὸς τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτόν. *Quae oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quae praeparavit Deus diligentibus ſe.* I. Cor. II. 9. Λακωνικὴ καὶ ἀρχαία παροιμία· φάγωμεν καὶ πίωμεν, αὔριον γὰρ ἀποθνήσκομεν. *Laconicum & vetus Adagium:* Comedamus & bibamus; *cras enim moriemur.* I. Cor. XV. 32. Μενάνδρυ γνώμη, Ἐπιμενίδυ μάντεως χρησμός. φθείρυσιν ἤθη χρηςὰ ὁμιλίαι κακαί. *Menandri ſententia, & Epimenidis vatis oraculum: Corrumpunt mores bonos colloquia mala.* I. Cor. XV. 33. *Locus iſte dicitur ex apocrypho Moyſis uſurpatus:* οὔτε περιτομή τι ἰσχύει, ὄτε ἡ ἀκροβυςία. *Neque circumciſio aliquid valet, neque praeputium.*

Ga-

† Quam Origenes apud Eusebium Lib. VI. cap. XXV. de Epistola ad Ebraeos loquens ait: οὐκ ἔχει τὸ ἐν λόγῳ ἰδιωτικὸν τοῦ ἀποστόλου ὁμολογήσαντος ἑαυτὸν ἰδιώτην εἶναι τῷ λόγῳ, τουτέστι τῇ φράσει.

Galat. V. 6. Ex *apocrypho Hieremiae id deſumtum eſt*, ἔγειρε ὁ καθεύδων, καὶ ἀνάστα ἐκ τῶν νεκρῶν καὶ ἐπιφαύσει σοι ὁ χριστός. *Surge qui dormis, & exſurge a mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Epheſ. V. 14.* Ἐν τῇ πρὸς Τίτον μαρτυρία μία Ἐπιμενίδου Κρητὸς καὶ μάντεως χρησμὸς, καὶ Καλλιμάχου Κυρηναίου ποιητοῦ ἡ αὐτὴ μία · ά. *In Epiſtola ad Titum teſtimonium adeſt unum, Epimenidis ſcilicet Cretenſis, & vatis oraculum, quod ipſum eſt etiam Callimachi Cyrenaei Poëtae. Cap. I.* Haec quidem apud citatum *Montemfalconium*, de quibus nonnulla generatim *Cap. I. pag. 6. & 8.* mature praelibaveramus. Quamquam vero Feſtus eum propter multas litteras inſanire dixerit, auctore *Luca Act. cap. XXVI.* tamen, (ſi minus verum eſt nullis doctrinis eum inſtructum fuiſſe, quod vult *Chryſoſtomus Homil. IV. in II. Timoth.*) litteraturam perfecte noviſſe non eſt credendum, quod obſervat *Hieronymus* in *Galat. IV. v. 24.* Immo ipſe Apoſtolus *Epiſtol. ad Galatas cap. VI. verſ. 11.* profiteri videtur ſe recte ſcribere non noviſſe, deformeſque litteras exarare, ut locum intelligit & enarrat diſertiſſimus *Ioannes Chryſoſtomus*: Τὸ δὲ, τηλίκοις, ἐμοὶ δοκεῖ οὐ τὸ μέγεθος, ἀλλὰ τὴν ἀμορφίαν τῶν γραμμάτων ἐμφαίνων λέγειν, μονονουχὶ λέγων · ὅτι οὔτε ἄριστα γράφειν εἰδὼς, ὅμως ἠναγκάσθην δι' ἐμαυτοῦ γράψαι &c. *Quod autem dixit: qualibus: mihi videtur, non magnitudinem, ſed deformitatem, litterarum ſignificans hoc dicere. Nam propemodum illud dicit, quod, quum non noſſet optime ſcribere, tamen compulſus ſit perſe ipſum ſcribere, &c.* † Hinc *Hieronymus* in *Caput III. Epiſt. Ad Epheſ.* etiam ſoloeciſmos in eius ſcriptis deprehendit, atque ita infit: *Nos quotieſcumque ſoloeciſmos, aut tale quid adnotamus, non Apoſtolum pulſamus, ut malevoli criminantur; ſed magis Apoſtoli adſertores ſumus, quod Ebraeus ex Ebraeis abſque nitore ſer-*

monis, & verborum compoſitione, & eloquii venuſtate, numquam ad fidem Chriſti totum mundum traducere valuiſſet, niſi evangelizaſſet eum non in ſapientia verbi, ſed in virtute Dei. Iam quod de eo iudicium ferat *Hieronymus* vidimus; qui *Epiſtola ad Algaſiam Qu. X.* ita inſuper ſcribit: *Illud quod crebro diximus: etſi imperitus ſermone non tamen ſcientia, nequaquam Paulum de humilitate, ſed conſcientiae veritate, dixiſſe, etiam nunc adprobamus. Profundos enim & reconditos ſenſus lingua non explicat, & quum ipſe ſentiat quid loquatur, in alienas aures puro non poteſt transferre ſermone. Quem quum in vernacula lingua habeat diſertiſſimum, quippe Ebraeus ex Ebraeis, & eruditus ad pedes Gamalielis, viri in lege doctiſſimi, ſeipſum interpretari cupiens involvitur . . . . Conabimur itaque* παραφραςικῶς *ſenſus eius evolvere, & tricas implicati eloquii ſuo ordini reddere atque iuncturae; ut ſimplici ſtamine verborum fila decurrant; puroque ſubtemine, Apoſtolici ſermonis textura ſubcreſcat. . . . . Multaque ſunt verba, quibus iuxta morem urbis, & provinciae ſuae, familiarius Apoſtolus utitur: e quibus exempli gratia pauca ponenda ſunt. Mihi autem parum eſt iudicari ab humana die, hoc eſt,* ἀπ' ἀνθρωπίνης ἡμέρας. *Et, Humanum dico, hoc eſt,* ἀνθρώπινον λέγω. *Et,* οὐ κατενάρκησα ὑμᾶς, *hoc eſt, non gravavi vos: & quod mox dicitur,* μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω, *ideſt, nullus bravium accipiat adverſum vos: quibus & aliis multis verbis uſque hodie utuntur Cilices. Nec hoc miremur in Apoſtolo, ſi utatur eius linguae conſuetudine, in qua natus eſt, & nutritus; quum Virgilius, alter Homerus apud nos, patriae ſuae ſequens conſuetudinem, ſceleratum frigus adpellet.* Hactenus *Hieronymus*, qui nihil plus dicit, quam veteres Ecclе-

† apud Eusebium Lib. VI. Histor. Eccleſ. Cap. XXV. ſcribit .... et

cleſiaſtici Scriptores, qui eum praeceſſerant, de Pauli doctrina & oratione iudicaverint. Ecce *Irenaeus Lib. III. cap. VII. Hyperbatis*, inquit, *frequenter utitur, propter velocitatem ſermonum ſuorum, & propter impetum, qui in ipſo eſt, ſpiritus. Origenes* † *cap. IV. Philocal.* non aliter de eo loquitur, ex quo quaedam ſuperius *Cap. VIII. p.* 122. obſervavimus. Ἱκανῶτο γὰρ ὑπὸ Θεοῦ διάκονος εἶναι τῆς καινῆς διαθήκης χρώμενος ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως, ἵνα τῶν πιστευόντων συγκατάθεσις μὴ ᾖ ἐν σοφίᾳ ἀνθρώπων, ἀλλ' ἐν δυνάμει Θεοῦ. *Reddebatur enim idoneus a Deo miniſter novi federis, utens demonſtratione ſpiritus & virtutis, ut eorum, qui crediderunt, adſenſio, non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei.* Sed haec omnia fuſius explicat & confirmat doctiſſimus homo, & diſertiſſimus vir, *Ioannes Chryſoſtomus* in ſuis Homiliis, & in III. praecipue in *Epiſt. I. ad Corinth. cap. I.* ubi eos ridet & exſibilat, qui Pauli Apoſtoli doctrinam, eruditionem, eloquentiam, mirantur & extollunt, & Platoni ipſi praeferre non dubitant. Archiepiſcopi ſanctiſſimi verba, ſuperius retulimus *Cap. IX. pag.* 133. omnino iterum conſulenda. Quare *Guil. Cavei* temeritatem, qui Hieronymi in iudicando de Paulo audaciam ſugillat, ſatis mirari non poſſum; quum verum proferre, numquam audacis hominis ſit, ſed ſapientis ac moderati: quum inſuper idem *Caveus* ita ſcribat: *Stilus Paulinus rudis plane, ac ſimplex, a veteribus iudicatur; gravitatem tamen ſpirat, quandoque etiam eloquentiam.* Sed nec in aliam ſententiam abierunt Critici recentiores. Ecce *Dominicus Soto* in *Proleg. Comment. in Epiſt. ad Roman.* ſermonem Pauli *Ebraeograecum* adpellat. *Io. Gagnaeus Argum. Epiſtol. ad Ebraeos* ſcribit: *Paulus Graecae linguae non admodum peritus.* Et *Epiſtola de-*

ut Eusebius Lib. IV. Histor. Eccleſ. cap. XXIX. memoriae prodidit.

dicatoria Scholiorum in Epiſtolas Pauli univerſas ita infit: *Salebroſas illas Pauli Epiſtolas plerumque lectitanti mihi tam longis hyperbatis hiulcas, tot anapodotis inabſolutas, tanta ſenſuum profunditate inacceſſas & invias, viſum eſt non hic divinatore Apollinis pythone, ſed divino Pauli ſpiritu, opus eſſe.* Calmetius autem *Prolegom.* in Epiſtolam ad Romanos haec habet: *Stilus neque puritatem, neque elegantiam illam refert, quae in Graecis eiusdem aetatis delectat; horret enim aliquando Ebraiſmis, vix Ebraeo homini, & in lectionem ſacrorum librorum enutrito, evitandis. Inſpergitur etiam eius eloquium ſoloeciſmis, perverſo interdum ordine, & longioribus parentheſibus moroſus eſt; quandoque e via pariter divertens, contextum ſermonis & ſenſum abrumpit, quod difficultatem, & obſcuritatem lectoribus non modicam ingerit. Cornel. a Lapide Canon. XX.* ait: *In hiſce (Pauli) Epiſtolis voces parum Graecas . . . . quin & ſoloeciſmos, & plurimos Ebraiſmos, invenias.* Poſt horum orthodoxorum criticorum Scriptorum iudicia, heterodoxi etiam adducere fert animus, *Oecolampadii* videlicet; nam ita de Pauli ſtilo loquitur, ut ſuorum *ὁμοφύλων* planam & apertae ſacrae Scripturae facilitatem praedicantium opinionem parum curare, immo impugnare, videatur. Hic igitur Epiſtolam Pauli ad Romanos ediſſerens de ea ita ſcribit: *Sunt alia, quae difficultatem videntur invehere, nempe Ebraiſmi, hyperbata anantapodota, perſonarum mutationes: verum illa omnia ſunt ſuperabilia ſtudio & diligentia.* Nihilo tamen minus *Auguſtin. Lib. IV. De Doctrina Chriſtiana cap. VII.* quemadmodum in Apoſtolis reliquis, ita, & praecipue quidem, in Paulo Apoſtolo eloquentiae flores & ornamenta invenire ſe putat. Hinc per eius Epiſtolas late diſcurrit, &

quae-

† quam Eloquentiam Christianam appellavit Hieronymus Adv. errores Joannis Ierosolym. pag. 455

quaecumque diſerte dicta, & eleganter diſpoſita, & enunciata ſuaviter, in illis occurrunt, colligit, & ut ſententiam ſuam firmet, ante legentis oculos collocat. Sed hiſce omnibus in anteceſſum *Cap. IX.* fecimus ſatis, & ipſe *Auguſtinus* ſatis ſuperque ſe explicat, ubi ait: *Sicut ergo Apoſtolum praecepta eloquentiae ſequutum fuiſſe non dicimus; ita quod eius ſapientiam ſequuta ſit eloquentia non negamus.* † Iſthuc quidem animadvertiſſe videtur etiam *Philippus Melanchthon*, haereticus quidem, ſed eruditus, dum *Diſpoſ. Orat. in Epiſtol. ad Roman.* haec litteris mandavit. *Res loquitur ipſa non ſine certa ratione diſputaſſe Apoſtolum. Nam ut fuerit illitteratus, tamen omnes ſani, & ingenioſi homines, in dicendo rationem aliquam adhibent, ut auditorem ordine de re doceant, & ne quid temere admiſceant alienum a cauſa; concedant ſaltem communem ſenſum Paulo, ſi qui trivialem doctrinam adimunt. Nam ut maxime defuerit ei illa pars artis, quae continet eloquutionem, tamen inventionem & diſpoſitionem, quae non tam doctrinae, quam mediocris prudentiae, ſunt, concedi ei neceſſe eſt.* Quare ipſe Paulus adflatam ſapientiam doctis verbis haud loqui ad Corinthios primum ſcribens ingenue teſtatus eſt, & alibi ſe oratione minus pollere profeſſus illis verbis: *Etſi inferior ſermone, ſed non ſcientia.* Quod ſi Liſtri in Lycaonia Mercurius ipſe praeſens ob eloquentiam exiſtimatus fuit, ut ſcribit *Lucas Act. cap. XIV.* id eveniſſe videtur, quod, ut *Lucas* laudatus ait, ἀρχηγὸς λόγου, Barnaba alia curante, cognoſceretur. Et certe, quidquid ſit, Paulo ipſi magis credendum; cuius rei evidentia in ipſis eius Epiſtolis exſtat. Atque iſta quidem de eruditione & eloquio Apoſtoli Pauli dicenda fuerunt. Ceterum de ſenſibus & ſapientia eiusdem quiſnam recte

& pro merito pronunciare poteſt? Sed & ea, quaecumque eſt, copia, quam praefert, ceteros facile Apoſtolos antecelluit, ut ſentit *Euſebius lib. III. Hiſt. Eccleſ. cap. XXIV.* & in eius obſcura, & dedita opera occultata oratione, profundiſſimos ſenſus ſubſpicit *Epiphanius Haereſ. LXIV. n.* 29. ut nihil amplius de *Auguſtino* libro laudato dicam. Nimis ultra tantum proceſſiſſe aio haereticos quosdam, qui ſolum Paulum veritatem adgnoviſſe, & ei ſoli Evangelii myſteria revelata fuiſſe, adferere non erubuerunt, quos iure merito confutat *Irenaeus lib. III. adverſ. haereſ. cap. XIII.* Videamus iam ſiqua alia opera ſunt, praeter Epiſtolas memoratas, quae ei tribuantur. Et primum occurrit *Epiſtola ad Laodicenſes*, cuius fragmentum *Iacobus Faber*, *Sixtus* Senenſis, *Io. Albertus Fabricius*, aliique, typis excudendum curarunt, & quod νοθείας arguitur. Eam, ſed certe ſuppoſititiam, Eccleſiae quaedam antiquitus, *Hieronymo* in *Catalogo* teſte, ſub nomine Pauli legerunt, & in Cōdice Latino Bibliorum MS. Bibliothecae D. Marci Florentiae, eadem inter Epiſtolas Paulinas occurrit; ſed, ut ille ait, *ab omnibus exploditur;* fictamque adfirmant *Chryſoſtomus*, *Epiphanius*, & *Theodoretus;* quorum ſententiam *Baronius* amplectitur, contra Latinorum quosdam, qui vere genuinam Pauli ad Laodicenſes Epiſtolam exſtitiſſe, ſed iam temporis iniuria intercidiſſe, crediderunt. Qui eam Epiſtolam Paulo ſuppoſuerunt, ex *Epiſtola ad Coloſſenſes cap. IV. verſ.* 16. occaſionem adripuere; ſed *Ioannes Chryſoſtomus* recte obſervat, non ibi Epiſtolam quamdam ad Laodicenos ab Apoſtolo ſcriptam iudicari, at litteras potius ab ipſis Laodicenſibus datas. Marcionitas tamen Epiſtolam Pauli ad Epheſios ſub titulo Epiſtolae ad Laodicenos legiſſe, ex-

ſtat

ſtat ex *Epiphanio Haereſ. XLII.* & tradiderat *Tertullianus lib. V. adverſ. Marcionem cap. V.* Sed & *tertiam Epiſtolam ad Corinthios*, *tertiamque ad Theſſalonicenſes*, & *ſecundam ad Ephesios* quidam confinxerunt; ut apud *Simonium P. I. Hiſt. Critic. N. T. cap. XV.* & *Calmetium Proleg. in I. ad Corinthios* videre eſt; & latius apud *Fabricium* in *Apocryphis N. T.* qui opiniones omnes adducit, & loca indicat Epiſtolarum Pauli univerſa, ex quibus alias Apoſtoli Epiſtolas quidam commenti ſunt. *Vſcanus* Archiepiſcopus Armenus Io. Bapt. Cotelerio adfirmavit, apud ſuos Epiſtolam Corinthiorum ad S. Paulum circumferri, quam tamen apocrypham exiſtimant, quemadmodum & tertiam Pauli ad Corinthios, ut tradit idem *Cotelerius Not. ad Conſtitution. Apoſtolicas*. Epiſtola vero Epheſiorum ad Paulum exhibetur a laudato *Fabricio* in *Apocryphis* praedictis. Nam impoſtores Pauli *σύγχρονοι* falſas ſub eius nomine litteras circumferebant, quibus ſua prava dogmata confirmarent; id quod Apoſtolum compulit ad nomen ſuum in fine Epiſtolarum certa nota conſignandum, quod ipſe in fine Epiſtolae ad Theſſalonicenſes ſecundae teſtatur. *Apocalypſis* etiam quaedam ab Encratitis haereticis Paulo adficta eſt, quo de opere tamquam fabulis inferto, & nullam in Eccleſia auctoritatem obtinente, agit *Auguſtinus in Ioannem Tract. XCVIII. n. VIII. Acta* pariter quaedam *Pauli* circumferebantur, de quibus tamquam apocryphis agit *Euſebius lib. III. Hiſtor. Eccleſ. cap. III.* & meminerat *Origenes lib. I. περὶ ἀρχῶν Cap. II.* & *Tom. XXI. in Ioannem*; cuiuſmodi *Acta* etiam *Leucius Charinus* Manichaeus confinxit, ut apud *Photium Cod. CXIV.* videre eſt. Sed ea, quum Pauli opus minime dicerentur, parum ad nos pertinere intelligimus;

mus; quare neque *Actorum Pauli & Theclae* rationem habebimus, de quibus ſuperius in *Luca* egimus. Ἀναβατικὸν quoque, ſive *Aſcenſio*, occaſione eius ἐκστάσεως, procuſa eſt a Caïanis haereticis, & pluris habita fuit a Gnoſticis, de quo conſulatur *Epiphanius haereſi* XXXVIII. Haec etiam a *Michaële Glyca* laudatur ut in Catalogo Scriptorum ab eo citatorum *Par. I. eius Epiſtolarum* inter *Delicias Eruditorum* adnotavimus. *Evangelii* ſui plus vice ſimplici mentionem facit Apoſtolus, ut *Roman. II. 16. Galat. I. 8.* & *II. Timoth. II. 9.* ſed ex his locis a Paulo Evangelium ſcriptum fuiſſe colligere non eſt, quum nihil tale veteres tradant; & *Hieronymus* in Catalogo ex *Irenaei Lib. III. cap. I.* ſcribat: *Quotieſcumque in Epiſtolis ſuis dicit Paulus iuxta Evangelium meum, de Lucae ſignificat volumine.* Nam Lucas Pauli ſectator Evangelium a Paulo praedicatum litteris mandavit; ſeu Evangelium Paulus ſuam doctrinam adpellavit, quod obſervabat *Beauſobrius in ſua Hiſtor. Critic. Manichaeiſmi P. I. lib. I. cap. IV. §. V. Epiſtolae ſex* Pauli ad Senecam, una cum octo Senecae ad Paulum, circumferuntur, exſtantque apud *Sixtum* Senenſem *Lib. II. Bibliothecae Sanctae*, & apud *Fabricium* in *Apocryphis N. Teſt.* apud quem vide de his ea quae oportet; ubi reperies etiam memoratam ex *Lambecio*, manu exaratam, & in Caeſarea Bibliotheca exſtantem, εὐχὴν τῦ ἁγίυ Παύλυ εἰς τ̓ δάκνοντα ὄφιν. *Orationem Sancti Pauli in anguem mordentem.* Hic tamen opportune monuerim Epiſtolas Pauli ad Senecam, & Senecae ad Paulum, haberi MSS. in codice membranaceo Bibliothecae Riccardianae *Plut. K. ordine III. n. XXIII.* ibique hoc Senecae Epitaphium, aeque ſuppoſititium, legere quoque eſt.

Cura,

Cura, labor, meritum, ſumti pro munere honores,
Ite, alias poſthac ſolicitate animas.
Me procul a vobis Deus evocat ilicet, actis
Rebus terrenis, hoſpita terra, vale.
Corpus avara tenens ſollennibus accipe ſaxis,
Namque animam caelo reddimus, oſſa tibi.

Hae eaedem Epiſtolae Italice converſae exſtant in codice MS. Bibliothecae privatae *Gab. Riccardii*, de quo inferius mentionem opportune faciemus. In codice chartaceo eiusdem *Plutei numer. VII.* legitur huiuſmodi inſcriptio: *Vna Epiſtola di San Paolo, come per ragione moſtra, che in queſta vita non ſi truovi mai ripoſo*. Sed ex ipſa Epiſtolae lectione conſtat, id per librarii fortaſſe errorem ſcriptum fuiſſe, quum potius ſcribere debuiſſet, ex Epiſtola quadam D. Pauli id deduci: ex illis videlicet verbis: *Non habemus heic civitatem permanentem, ſed futuram inquirimus*. At nugae illae & quiſquiliae ſunt. Ceterum Pauli quaedam, quae in Epiſtolis eius non exſtant, citat *Clemens* Alexandrinus in *Stromatis*.

IACOBVS ille, cuius canonica ſeu catholica circumfertur Epiſtola, quis nam fuerit, diu a viris doctiſſimis diſceptatum eſt; alii enim Iacobum Maiorem Zebedaei filium, Ioannis fratrem; alii Iacobum Alphaei filium, cognomento Minorem, & fratrem Domini; alii denique Iacobum, cognomine Iuſtum, Ieroſolymorum Epiſcopum, de quo *Clemens* Alexandrinus, *Hegeſippus*, & *Euſebius* agunt, eius auctorem arbitrantur; quibus autem quilibet argumentis, apud *Calmetium*, *Simonium*, & *Tillemontium*, videri poteſt. Ceterum verius eſt Iacobi Minoris hanc Epiſtolam eſſe foetum: Graeceque eam ſcriptam fuiſſe non eſt dubitandum. *Eius ſtilus*, inquit

quit *Calmetius* laudatus, *brevis & ſententiis creber eſt, cui neque certos rei agendae praeſcribit fines, neque ſententias invicem innectit, quemadmodum in Proverbiis Salomon, & in praeſentia etiam Orientales, nempe per ſententias ſeiunctas, non ratiocinando, morum regulas docent; ſuam porro doctrinam Scripturis fulcit, & exemplis, ſacriſque adluſionibus ornat. Quaedam denique loca adlegat, quae iisdem verbis in Scriptura non referuntur. At Novi Teſtamenti Scriptores, praeſertim quum Ebraeos Scripturarum peritos, & adluſiones intelligentes, adloquerentur, verbis ſerviliter non inhaerebant, ſenſus & ſacrorum Scriptorum mentem referre contenti*. Fuere alias qui Iacobo quaedam tribuerint, quae numqnam Canonicam auctoritatem obtinuere. *Evangelium S. Iacobi Alphaei Filii*, *Gelaſius* reiicit, & vulgo Πρωτο-Ευαγγέλιον inſcribitur, deque eo praecipue conſulendus *Fabricius* in *Apocryphis N. T.* & *Beauſobrius P. II. lib. II. cap. II.* Sed & *Evangelium Infantiae Salvatoris* Iacobo interdum adſeritur, ut apud laudatos *Fabricium* & *Beauſobrium* videre eſt. Exſtat in Bibliotheca Caeſarea, auctore *Dan. Neſſelio* in *Epitome Lambeciana*, alia apocrypha narratio ſub Iacobi nomine (etſi Ioannes in ipſa ſic loquens inducitur, ut ille potius, quam Iacobus, auctor fingatur) *De obitu & adſumtione Mariae Deiparae:* Κοίμησις τῆς ὑπεραγίας δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου Μαρίας, συγγραφεῖσα ὑπὸ Ἰακώβου τοῦ Ἀδελφοθέου. *Origenes* in *Matthaeum* de quodam Iacobi opuſculo meminit, quem falſo Sancti Petri Evangelio iungit. Ebionitae, *Epiphanio* teſte *Haereſ. XXX. cap. XXIII.* eius nomine plura vulgarunt. Ebraicum S. Matthaei Evangelium Graece ab eo redditum fuiſſe apud *Pſeudo-Athanaſium* in *Synopſi* perhibetur. Quaedam ei adſcribitur *Liturgia*,

quae

quae in *Bibliotheca Patrum* & apud *Fabricium P. III. Apocryph.* exſtat, & cuius mentio fit in *Oratione* quadam *Proclo* Patriarchae CP. attributa, & in XXX. Canone Concilii Quiniſexti in Trullo. Sed de hac Liturgia idem ſentiendum ac de Liturgia D. Marci, de qua tempeſtive ſuperius egimus, & ſuper hoc conſulendi praecipue *Io. Bona De rebus Liturgicis*, & *Euſ. Renaudotius in Liturgiis Orientalibus*.

PETRVS, Apoſtolorum Princeps ex piſcatore Bethſaidae, quem Graece neſciſſe perperam opinatur *Salmaſius*, duas ſcripſit Epiſtolas, quarum prima, *Origene* & *Euſebio*, aliiſque veteribus, a quibus adlegatur, teſtibus, canonicam ſemper auctoritatem obtinuit. Hanc primam Epiſtolam Ebraice a Sancto Petro ſcriptam, Graece vero a S. Marco converſam, *Baronius* exiſtimat; ſed probabiliter fallitur, ut apud *Calmetium* videre eſt. Variae in ea Epiſtola ſimilitudines, & phraſes, occurrunt, quae ad eas, quas Paulus adfert, prorſus accedunt, quod laudatus *Calmetius* obſervat. Epiſtolae autem huius *ipſam compoſitionem* inquit *Ioach. Camerarius Comm. in Act. Apoſt. cap. III. verſ. 21. eiuſmodi eſſe, quae, ut in neglectione huius ſtudii praeclara videri poſſit, ut diligenter & accurate iſtam Epiſtolam perſcriptam eſſe adpareat*. Eam & gravitate, & eloquentia, & fidei ardore pollentem, & Apoſtolorum principe dignam, *H. Grotius* iudicat. *Eraſmus* vero & *Eſtius* plenam auctoritatis & maieſtatis Apoſtolicae, verborum parcam, ſententiis refertam, dicunt. Secunda vero Petri Epiſtola non ſemper in Eccleſia pro canonica habita eſt. Quidam falſam, *Didymus* vitiatam, *Origenes* incertam, adpellavere. *Euſebius* unicam tantummodo Epiſtolam a Petro, certo ſcriptam, & a veteribus adlegatam, teſtatur. *S. Amphilochius*, an Petri fuerit,

ſua

ſua aetate dubitatum fuiſſe refert, id quod etiam ab *Hieronymo* adſeritur. *Gregorius Magnus Homil. XVIII. in Ezechiel.* ſcribit, quosdam hanc Epiſtolam Cephae illius, a Paulo Antiochiae increpati, quem diverſum a Petro faciebant, foetum eſſe opinatos; & certe ſententiam, quae Petro eam abiudicat, *Grotius* amplectitur, & Simonem Ieroſolymorum Epiſcopum eius auctorem fuiſſe arbitratur. Syrae quoque Eccleſiae eam non recipiunt *Ioſepho Aſſemanno Tom. III. Bibl. Oriental. P. I.* auctore doctiſſimo & luculentiſſimo. At hiſce omnibus non obſtantibus & Petri Apoſtoli eſſe longe probabiliſſimum, & canonica auctoritate pollere minime dubitandum, ex innumerorum veterum Patrum conſenſu, quos *Calmetius* recenſet. Stili quidem varietatem, quam Critici quidam recentiores vix ſentiunt, in ea *Hieronymus* deprehendit; cuius tamen cauſſam idem in varios interpretes refert: modo enim Petrus Glauciam, modo Marcum, adhibuit. Alia quoque ſcripta ſed apocrypha Petro tributa fuere, & antiquitus profecto. Talia erant, κήρυγμα ſive *Praedicatio*, quae a veteribus multis, & *Clemente* Alexandrino in primis, citatur, adhucque exſtat in Oriente, & a Neſtorianis legitur, auctore *Aſſemanno Tom. III. Bibl. Orient. P. I. Evangelium* inter Petri apocrypha enumerat *Hieronymus* in *Catalogo*, eiuſque etiam *Origenes* meminit Leuciique opus fuiſſe cenſet *Io. Ern. Grabius Tom. I. Spicilegii;* nec refragari videtur *Beauſobrius P. II. lib. II. cap. III. Actus Petri*, quorum meminit *Origenes*, & *Euſebius*. Sed *Acta* ſub Petri nomine etiam Leucius Charinus confinxit, de quibus agit *Photius Cod. CXIV.* & de quibus conſulendus laudatus *Beauſobrius cap. V. §. II.* qui *Grabium* impugnat gemina Acta S. Petri inducentem, prima quidem legiti-

gitima, altera ſuppoſititia: oſtenditque inſuper *Recognitiones* quoque interdum, *Acta Petri* nuncupari. *Apocalypſis*, quam ſuo etiam tempore in quibusdam Palaeſtinae Eccleſiis legi ſolitam refert *Sozomenus lib. VII. cap. XIX. Iudicium Petri* memorat *Rufinus* in *Expoſitione Symboli;* eumdem tamen libellum cum Herma, ſive Paſtore, facit: horumque omnium meminit etiam *Hieronymus*. Circumfertur quoque *Petri Apoſtoli Epiſtola ad Iacobum*, quam apud *Fabricium* in *Apocryphis N. T.*, & *Cotelerium* videre eſt. Sed & *Evangelium Infantiae Salvatoris* ſub Petri pariter nomine editum eſt, ut *Fabricius* teſtatur. Et ſunt viri eruditi, ut *Colomeſius* & *Grotius*, qui cenſeant, ſed perperam, deperditae cuiusdam Epiſtolae ſuae Petrum mentionem facere *I. Epiſt. V.* 12. *Epiſtola Petri ad Clementem* lingua Aethiopica memoratur in conſpectu operum *Io. Mich. Vanslebii* Ordinis Praedicatorum Monachi. Exſtat etiam *Miſſa* D. Petri nomine inſcripta Graece ac Latine in *Bibliothecae Patrum Auctario*, verum aevi recentioris opus eſſe liquido conſtat. Conſulendi tamen de hiſce omnibus *Tillemontius*, *Simonius*, *Caveus & Fabricius* P. *III. Apocr. N. T.* apud quem quoque exſtat haec, quam memoravimus, Miſſa.

IVDAS cognomento THADAEVS, ſive LABBAEVS, & ZELOTES, brevem ſcripſit Epiſtolam, quae ad Apoſtolorum principis phraſin quammaxime accedit, & non ſemper inter canonicas Scripturas recepta fuit, *Euſebio*, *Hieronymo*, & *Amphilochio*, auctoribus. Idcirco autem a pluribus improbatam ſcimus, quod Iudas in ea libri Enochi, cui nunc, ut apocrypho, nulla fides, veluti cuiusdam Prophetiae meminerit; quodque etiam de cadavere Moſis quiddam referat, cuius in canonicis Veteris Teſtamenti libris nulla mentio fit;

qua-

quare ex Apocrypho quodam opere, quod *Moyſis adſumtio* inſcribebatur, petitum opinabantur. Sed facilis eſt huic obiectioni reſponſio, quam videas apud *Calmetium* in huius Epiſtolae *Prolegomenis*; ſicuti etiam rationes, cur illa in auctoritatem legitimam venerit. Ceterum fruſtra *H. Grotius* eam Iudae alteri, quintodecimo Ieroſolymorum Epiſcopo, adſerere conatus eſt. Attamen Syrae Eccleſiae ne hodie quidem hanc Epiſtolam tamquam canonicam admittunt, ut videre eſt apud *Aſſemannum Biblioth. Oriental. Tom. III. P. I.* id quod a *Coſma Indicopleuſte* ſaeculi VI. ſcriptore *Topographiae Chriſtianae* confirmatur, quamquam de ſua aetate agit; idemque habet de ſecunda Petri, & ſecunda & tertia Ioannis. Verum de hiſce omnibus praeter *Calmetium* conſulantur *Simonius*, & *Tillemontius*.

At quum de Apoſtolorum ſcriptis eorumque eruditione agamus, & ea, quae notatu digna ſunt, in iis ſedulo & diligenter obſervemus, & illud a nobis indictum relinqui haud conſentaneum videatur, quod in hiſce divinis Scriptoribus verſus quidam, non adfectati profecto, legentibus interdum occurrunt, ac diverſi generis quidem; quum difficillimum ſit in ſcribendo ita aliquando voces & loquutiones fortuita diſpoſitione & concurſu minime aptari & coaleſcere, ut modulati verſus inde non conſtent; quod & profanis Scriptoribus, licet elegantibus, & induſtriis, ſaepe contigiſſe ſcimus, & inter Graecos Iſocrati, quem ideo *Hieronymus* Peripateticus iniuria reprehendit, & ad triginta in eo verſus adſcendere notavit *Iac. Gaddius De Scriptor. non Eccleſiaſt. Tom. I.* Inter Latinos autem Cornelio Tacito, cuius omnes fortuitos verſus animadvertit, collegit, atque edidit, *Io. Bambanius* in ſuis variis *e*

Ta-

Tacito Centonibus, e quibus deſumſit *Io. Alb. Fabricius Biblioth. Latinae lib. II. cap. XXI.* In ſacris vero noſtris Scriptoribus notati ſunt, Hexametri, *Matth. XIV.* 14. *Luc. X.* 24. 25. *XI.* 18. *Ioann. VI.* 63. *XIII.* 5. *XVI.* 28. *XVIII.* 36. *XIX.* 39. *Tit. III.* 2. & 3. *Iacob. I.* 17. *IV.* 4. *Ebr. XII.* 13. Pentametri, *Luc. XIV.* 30. *Rom. IV.* 13. *I. Timoth. VI.* 16. Iambici bini quaternarii, *Matth. VII.* 7. Scazon ſenarius, *Matth. XIII.* 13. Anacreonticus, *Luc. XVIII.* 41. Sane quum metra verſuum infinita excogitari poſſint, & quae excogitata ſunt, ab libero ingenio & electione hominum unice dependeant, non hoc opus fuit ſacris Scriptoribus, nec haec cura ſolicitare illos debuit, ut omnes verſus ubique effugerent, neque divinus qui ſcribentes moderatus eſt Spiritus, dignum hoc exiſtimavit, a quo eos, velut a re vitioſa, revocaret, quae ſunt verba *Fabricii* loco citato; quum inſuper nec eidem Spiritui curae fuerit quo ſtilo & phraſi illi ſcriberent, ſed naturalem illis ſcribendi genium ſimplicitatemque reliquerit; id quod tam multis hactenus adſtruximus, & demonſtravimus. Ceterum conſulenda ſunt ea quae hanc in rem pluria differit *Frider. Sim. Loeflerus Epiſtola ad Georgium Serpilium De Verſibus qui in ſoluta Novi Federis oratione habentur.*

Alia vero quaedam, profecto non contemnenda, quae ad criticae Novi Teſtamenti hiſtoriae abſolutionem & ornatum conferre poſſunt, proxime ſequentibus capitibus obſervabuntur, & *Capite XIII.* in primis.

De

De Libris, ceteris Apoſtolis, Viriſque Apoſtolicis, falſo tributis, & apocryphis.

CAPVT XI.

HActenus de Apoſtolis, Viriſque Apoſtolicis, diſſeruimus, quorum opera quaedam genuina ad nos pervenere; iam non omittendum etiam alia ſcripta aliis attributa commemorare, quae certe ſuppoſititia & apocrypha ſunt, & quorum quaedam iam opportune recenſuimus. Porro fere omnia huc ex Collectione Librorum apocryphorum N. T. a Clariſ. V. *Io. Alb. Fabricio* adornata transferemus, & eo lubentius, quo rarius in urbe & Etruria noſtra hoc opuſculum eſt; quum Auctor eruditiſſimus omnia in eo congeſſerit, quaecumque ex ſexcentis aliis auctoribus repetere neceſſe erat, & vix ſpicilegium aliquod mihi faciendum reliquerit: quod quidem ſemel dictum, ſit ne toties Auctorem hunc laudare opus habeamus. Itaque eumdem etiam ordinem ſervantes invenimus primum (omiſſis tamen iis, de quibus iam ſuperius egimus)

EVANGELIVM THOMAE, ſeu LIBRVM DE INFANTIA SALVATORIS, ſub *Thomae* nomine editum, qui varius fertur etiam ſub aliis, ut diximus, nominibus *SS. Matthaei*, vel *Petri*, vel *Iacobi*. Illud Marcoſiis haereticis auctoribus tribuere videtur *Irenaeus lib. I. Adverſus Haereſes cap. XVII. Cyrillus* Ieroſolymitanus *Catecheſ. VI. Evangelium* quoddam *ſecundum Thomam* memorat, quod non ab Apo-

Apoſtolo, ſed a Manetis diſcipulo ſcriptum adfirmat; & Manichaeos eo uti ſolitos fuiſſe teſtatur etiam *Gelaſius*, & *Timotheus* Presbyter CP. in *Libello De iis, qui ad Eccleſiam accedunt*, edito ab *Io. Meurſio*, & qui MS. in Bibliotheca Laurentiana adſervatur; item *Petrus Siculus* in *Hiſtoria Manichaeorum*, & *Leontius De Sectis*. Sed hiſce omnibus fidem abrogare conatur *Beauſobrius P. II. Hiſt. Critic. Manichaeiſm. Lib. II. Cap. I. §. VII. & Cap. III. §. I.* ubi late de hoc libro Apocrypho agit.

EVANGELIVM S. ANDREAE a *Gelaſio* inter apocrypha reiicitur: & apocrypha quaedam ſub Andreae nomine reprobat etiam *Innocentius I. Epiſtola III. ad Exſuperium*, & a Nexocharide & Leone Philoſophis confiсta ait (quae tamen nomina ex *Leucio Charino* corrupta cenſent *Beauſobrius & Fabricius*) reprobatque *Auguſtinus lib. I. contra Adverſ. Legis & Prophet. cap. XX.* ſub generali Apocryphorum nomine etiam *Actus Sancti Andreae* intelligi poſſunt.

EVANGELIVM S. BARTHOLOMAEI memoratur *Hieronymo Prooemio* in *Commentarios ſuper Matthaeum*; item *Gelaſio* in ſuo *Decreto*, & *Bedae* initio ſui *in Lucam Commentarii*.

EVANGELIVM S. IACOBI MAIORIS, & eius liber inſcriptus *De Miſſa Apoſtolorum*, anno MDXCV. in monte Ilipulatano Granatenſi reperta perhibentur a *Fr. Bivario* in *Notis* ad *Commentitium Lucii Dextri Chronicon*. Aereis ſeu plumbeis tabulis ea exarata tradit (cuiuſmodi plumbeis tabulis libellum Chemiae ſcriptum vidi apud *Americum Martium Medicem* V. C. Florentiae) ſed anno MDCCXXXII. omnia illa ab Innocentio XI. Pont. Max. reiecta & damnata fuere. Conſule *Tom. VII. Actor. Sanct. Maii pag.* 285. & 393.

EVANGELIVM IVDAE THADDAEI in quibusdam Gelaſiani Decreti editionibus memoratur, ſed pro *Thaddaei*, legendum eſſe *Matthiae*, *Fabricius* ſubſpicatur; niſi potius Thaddaeo uni ex LXX. diſcipulis, quem Thomas Edeſſam ad Abgarum regem miſiſſe fertur, tribuendum eſt; ſicut huic tribuitur Liturgia quaedam Neſtorianorum, quae in antiqua Collectione Canonum, diverſarumque Conſtitutionum Syriaca MS. Bibliothecae Palatinae Mediceae inſcribitur: *Doctrina Adaei Apoſtoli, qui docuit & catechiſavit Edeſſenos, & omnes Meſapotemenos*, ut apud *Euſ. Renaudotium Tom. II. Liturg. Oriental. Diſſert. De Neſtorianorum Liturgiis* videre eſt.

EVANGELIVM IVDAE ISCHARIOTAE commemorat *Irenaeus lib. I. cap. XXXV.* a Cainianis haereticis confictum, quod *Theodoretus lib. I. Haeretic. Fabul. cap. XV.* tradit. De eo loquitur etiam *Epiphanius haereſ. XXVIII. n. I.*

EVANGELII S. MATTHIAE meminerunt *Origenes Homil. I. in Lucam*, *Euſebius lib. III. Hiſtor. Eccleſ. cap. XXV. Hieronymus Prooemio in Comment. ſuper Matthaeum; Ambroſius Prooemio Comment. in S. Lucam, Gelaſius in Decreto, Beda Initio Commentarii in Lucam. Traditionum S. Matthiae* meminit *Clemens* Alexandrinus, de quibus Conſule *Tillemontium in Matthia*, & *Fabricium* in *Apocryphis*, & de his quoque verba faciemus inferius.

EVANGELIVM S. PHILIPPI, Gnoſtici circumtulerunt, quo de agit *Epiphanius Haereſ. XXVI. n.* 13. *Timotheus* Presbyter, & *Leontius*, Manichaeos τὸ κατὰ φίλιππον Εὐαγγέλιον ſibi finxiſse auctores ſunt. Sed eos huius culpae abſolvere conatur *Beauſobrius P. II. Hiſt. Crit. Manich. lib. II. cap. I. §. VIII.*

EVAN-

molti di questi Atti apocrifi sono ne Papi-nari ... e S. Gioan... e dell'Ap...

EVANGELIVM DVODECIM APOSTOLORVM citatur ab *Ambroſio Prooem. Comment. in Lucam*, & a *Theophylacto ad idem S. Lucae Prooemium*. *Hieronymus* quoque *Lib. III. adv. Pelagianos* illud memorat, & idem cum Evangelio Nazaraeorum Ebraico facit.

Et haec quidem de Evangeliis, quae ſub Apoſtolorum nomine circumferebantur, commentati ſumus; iam progredi lubet, & quos alios libros vel ſub eorum pariter nominibus, vel ἀνωνύμως, ſed ad eos, Chriſtumque, pertinentes, impoſtores ediderint, recenſere.

ACTA S. ANDREAE commemorat *Euſebius lib. III. Hiſt. Eccleſ. cap. XXV. Epiphanius De Haereſibus LXI. LXII. LXIII. Philaſtrius Haereſ. LXXXVII. Innocentius I. Epiſt. III. ad Exſuperium*, *Turibius Epiſcopus Aſturicenſis Epiſtola ad Idacium*, *& Ceponium*; & de his etiam ſuperius in *Andreae Evangelio* loquuti ſumus. Huiuſmodi Acta confinxit etiam *Leucius Manichaeus*, quem tamen Manichaeum fuiſſe, probabilibus rationibus inficiatur *Beauſobrius Part. II. Hiſtor. Crit. Manichaeiſ. lib. II. cap. II.*, qui *cap. V. Chriſtoph. Sandii* veſtigiis inſiſtens, haec *Acta* idem opus cum *Paſſione S. Andreae* a presbyteris Achaiae deſcripta eſſe cenſet.

ACTA THOMAE confinxit *Leucius Charinus*, ut apud *Fabricium* in *Apocryphis N. T.* & *Beauſobrium* laudatum *cap. V.* videre eſt, traditque etiam praeter alios antiquos, *Photius Codice CXIV.* Sed & *Periodi*, ſeu *Itinerarium Thomae Apoſtoli*, MS. in Regia Bibliotheca Pariſiis exſtat, cuius quaedam protulit *R. Simonius*, & ex eo *Fabricius*.

ACTA S. PHILIPPI APOSTOLI improbat Decretum Gelaſianum, & ex iis fragmentum adducit

Digitized by Google

Anaſtaſius Sinaita De tribus Quadrageſimis, editus a *Cotelerio Tom. III. Monument. Eccleſ. Graecae*. & de eo conſulendus etiam *Beauſobrius P. II. lib. II. cap. I. Hiſtor. Manichaeiſ.*

Quamquam vero, etſi ita Acta haec recenſita inſcriberentur, non ſtatim manifeſtum eſſe dicemus, ea Apoſtolis illis, tamquam auctoribus, tributa fuiſſe, ſed tantum res geſtas inſcriptorum Apoſtolorum fuiſſe complexa; tamen e re noſtra eſſe illa commemorare cenſuimus, quod forte aetate Apoſtolorum ſcripta dicerentur; id quod aliam Commentationis noſtrae partem illuſtrat, qua ſcilicet de primitivorum Chriſtianorum eruditione diſputamus: licet ex huiuſmodi apocryphis voluminibus nihil inferre valeamus. Id quidem in cauſſa eſt, cur poſtquam alia quaedam, quae Apoſtolis ſcriptoribus falſo adſeruntur, recenſuerim, & de univerſis Evangeliis, Actis, aliiſque id genus commentariis, agere velim, & eorum breviter aliquam notitiam adferre. Sed prioris illius generis alia, de quibus in praeſens agendum ſit, non occurrunt niſi,

APOCALYPSIS S. THOMAE, quae in Decreto Gelaſiano reiicitur. Scribit tamen *Epiphanius Haereſ. XXX.* Ebionitas libros quoſdam ſub Iacobi, Matthaei, aliorumque Apoſtolornm, nomine confinxiſſe, quos quidem inter tot apocrypha diſcernere difficillimum eſt.

TRADITIONES S. MATTHIAE, quorum meminerunt *Clemens* Alexandrinus *lib. II. Stromat. Euſebius lib. III. Hiſt. Eccleſ. cap. XXIX. Niceph. lib. III. Hiſt. Eccleſ. cap. XV.*

EVANGELIVM NICODEMI, quod idem habetur, ac

ACTA

ACTA PILATI, ut apud *Fabricium in Apocryphis N. T.* & *Beauſobrium Par. II. Hiſtor. Crit. Manich. lib. II. cap. III. §. II.* videre eſt. Evangelii huius Italice verſi Codex MS. exſtat in Bibliotheca Riccardiana, quamquam paraphraſis potius videtur, quam fida interpretatio. Dicitur etiam *Evangelium Nicodemi*, & *Ioſephi ab Arimathia*, quod apud *Tillemontium Tom. II. Memor.* occurrit.

EVANGELIVM SECVNDVM AEGYPTIOS, cuius aliquid apud *Clementem* Romanum *Ep. II.* & *Clementem* Alexandrinum *lib. III. Stromat.* memorant etiam *Origenes Homil. I. in Lucam*, *Titus Boſtrenſis*, & *Theophylactus* initio ſuorum in *Lucam Commentariorum; Hieronymus Prooemio in Comment. ſuper Matthaeum*, & *Epiphanius Haereſ. LXII.*

EVANGELIVM AETERNVM, & quidem duplex, utpote opus recentius, indicaſſe ſuffecerit; de quo qui pluria deſiderat, *Fabricium* eruditiſſimum adeat.

EVANGELIVM APELLIS, ſive ipſe totum & ſingularem conſcripſerit, ſeu genuina Evangelia corrumpendo & interpolando compoſuerit, memoratur a *Beda* in limine *Commentarii in Lucam*, & ante Bedam ab *Hieronymo Prooem. Commentar. in Matthaeum*.

EVANGELIVM S. BARNABAE, a *Gelaſio*, & in veteri *Stichometria* indicatum, memoratur *Origeni Prooemio in Lucam*, & ex eo *Ambroſio* & *Hieronymo*. Meminit etiam ex Irenaeo *Euſebius lib. IV. Hiſt. Eccleſ. cap. VII.*

EVANGELII CERINTHI meminit *Epiphanius Haereſ. LI. num. VII.* Conſule inferius *Evangelium Muhammedanorum*.

EVANGELIVM SIMONITARVM commemoratur in *Praefatione* Arabica *ad Concilium Nicaenum*, quod

in quatuor tomos ſecantes, librum quatuor angulorum, & cardinum mundi, adpellarunt.

EVANGELIVM quoddam apud Muhammedanos exſtare & circumferri, *Io. Tolandus* in ſuo *Nazaraeno* auctor eſt, quod ex Nazaraeorum Evangelio, aliiſque apocryphorum laciniis, coagmentatum exiſtimat. Sed de hoc conſulendus *Fabricius* quoque *Part. III. Apocryph. N. T.* ubi *Evangelium Barnabae* etiam adpellari dicitur.

DESPOSYNORVM DE GENERE CHRISTI NARRATIONEM indicat *Iulius Africanus* apud *Euſebium lib. I. Hiſt. Eccleſ. cap. VII.* Sed huic narrationi parum tribuunt *Caſaubonus Exercit. I. ad Baron & Valeſius ad hunc locum Euſebii, & Henr. Dodwellus Diſſert. I. ad Irenaeum*. Deſpoſyni autem adpellati ſunt ob propinquitatem generis, qua Servatori noſtro iuncti erant, ut laudatus *Africanus* memoriae prodidit.

LIBER ORIGINIS CHRISTI a Matthaeo in limine Evangelii ſui adlegatus videtur *Io. Clerico*, ex quo primos verſus ſexdecim primi capitis expreſſerit. Sed verba Βίβλος γενέσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ non magis ſunt adlegantis ſcriptum alienum, quam apud *Marcum*, Ἀρχὴ τοῦ Εὐαγγελίου, & in libro Tobiae, Βίβλος λόγων Τωβίτ.

EVANGELIVM EBIONITARVM, eſt ſecundum quosdam Matthaei Evangelium Ebraeum, ſed mutilum & interpolatum, de quo *Epiphanius Haereſ. XXX.* & inter recentiores praeter *Fabricium*, *Rich. Simonius P. I. Hiſtor. Critic. N. Teſtam. cap. VIII.* Conſulatur ſuperius *cap. X. pag.* 147.

EVANGELIVM ENCRATITARVM, SEV TATIANI, quod *Epiphanius Haereſ. XLVI.* ex quatuor Evangeliis contextum fuiſſe tradit.

EVAN-

EVANGELIVM EVAE, ſicuti & *Evangelia* alia, Gnoſticos ſuppoſuiſſe auctor eſt laudatus *Epiphanius Haereſi XXVI.*

EVANGELIA QVAE FALSAVIT HESYCHIVS memorantur in Decreto Gelaſiano, ſed contra hiſtoricam fidem, ut videtur; nam *Lucianus*, & *Heſychius* Aegyptius, non falſarunt, ſed emendarunt, ſacros libros, ut ſcribit *Hieronymus Praefat. in Evangel. ad Damaſum* & late oſtendit *Vſſerius Syntagmate De LXX. Interpret. cap. VII.* Idem dicendum de

EVANGELIIS, QVAE FALSAVIT LVCIANVS, & quae in Gelaſiano Decreto pariter memorantur.

EVANGELIVM TEREBINTHI, ſeu SCYTHIANI, ſeu MANICHAEI, (nam huic poſtremo libros, quos veteres Terebintho vel Scythiano tribuerunt, vendicat *Beauſobrius P. I. lib. I. Hiſt. Crit. Manich. cap. IV. §. III.*) tertius erat librorum iſtorum, quem ita Manes adpellaverat, quod ſuam doctrinam & placita contineret, ut cenſet laudatus *Beauſobrius §. V.* Photii auctoritatem reiiciens, falſam Ieſu Chriſti hiſtoriam illud arbitrantis; quare hoc opus non multum ad rem facere fortaſſe videatur. Nec aliud continuiſſe crediderim illud opus, quod *Manes*

EVANGELIVM VIVENS, τὸ ζῶν Εὐαγγέλιον, inſcripſit; nam falſas illius revelationes comprehendebat; de quo & inferius loquemur.

EVANGELIVM LEVCII, quod MS. Oxoniae in Bibliotheca Corporis Chriſti adſervari teſtatur *I. E. Grabius ad Irenaeum lib. I. cap. XVII.* ex fragmento, quod hic profert, intelligitur haud fortaſſe diverſum eſſe ab Infantiae Evangelio, de quo in *Matthaeo* loquuti ſumus capite antecedente *pag. 146.*

EVANGELIVM MARCIONIS, non aliud erat, quam Lucae Evangelium, quod ſolum ille recipie-

 bat,

bat, ſed interpolatum, & decurtatum, teſtibus *Irenaeo lib. III. cap. XII. Tertulliano lib. IV. contra Marcion. cap. III. Epiphanio Haereſ. XLII.* Sed Marcionis interpolationes, prout eas narrat *Epiphanius*, expendit & ad examen revocat *R. Simonius P. I. Hiſt. Crit. N. T. cap. XII.* & eas potius lectiones varias ut plurimum, quam interpolationes, eſſe oſtendit.

LIBER DE SANCTA MARIA ET OBSTETRICE memoratur in Decreto Gelaſiano, & ad illum reſpicere videtur *Hieronymus* contra Helvidium ſcribens.

MARIAE INTERROGATIONES MAIORES ET MINORES, liber duplex apocryphus a Gnoſticis iactatus, teſte *Epiphanio Haereſ. XXVI.* qui ex illis nonnulla adfert, ſed tam turpia, obſcena, & plena blaſphemiae, ut illa deſcribere merito quis abhorreat.

NARRATIO SVB IVSTINIANO IMPERATORE REPERTA DE GENERE CHRISTI, quae apud *Suidam* in Ἰησοῦς exſtat, & ex officinis haereticorum Manichaeorum vel Gnoſticorum prodiiſſe videtur *Montacutio Adpar. ad Origines Eccleſ.*

EVANGELIVM PERFECTIONIS, a Gnoſticis conditum, de quo *Epiphanius Haereſ. XXVI.*

EVANGELIVM SIMONIANORVM, cuius mentio in *Praefatione Arabica ad Concilium Nicaenum Tom. II. Edit. Labbeanae.*

EVANGELIVM SECVNDVM SYROS, cuius meminit *Euſebius lib. IV. Hiſtor. Eccleſ. cap. XXII.* & *Hieronymus lib. III. Adverſ. Pelag. cap. I.* Sed idem fuiſſe cum Evangelio Ebraicis litteris ſcripto, quo uſi ſunt Nazaraei, videtur *Fabricio* eruditiſſimo, & iure quidem. Adi ſuperius *Caput X. pag.* 147.

EVAN-

EVANGELIVM TATIANI, quod διατεσσάρων dicitur, & cuius mentio luculenta apud *Theodoretum lib. I. Haeretic. Fabul. cap. XX.* Conſule ſuperius *Evangelium Encratitarum.*

EVANGELIVM VALENTINI quoddam videatur fuiſſe ex *Tertulliano De Praeſcriptionibus*, ſive illius Appendicis auctore alio: eius enim ſunt verba: *Evangelium habet etiam ſuum praeter haec noſtra.* Sed quum ex *Tertulliani cap. XXXVIII.* recte colligatur nullum Evangelium a Valentino ſcriptum fuiſſe, ut obſervant *I. E. Grabius Tom. II. Spicileg. Patrum*, & *Io. Franciſcus Buddeus De Haereſi Valentiniana*, Auctor appendicis ſine dubio reſpexerit ad

EVANGELIVM VERITATIS, quo Valentiniani uſi ſunt, & de quo *Irenaeus lib. III. Adverſ. haereſes cap. XI.*

EVANGELIVM VIVVM, Manichaeorum erat, & eius meminit *Timotheus* Presbyter CP., *Photius* MS. *lib. I. contra Manichaeos* & in *Bibliotb. Cod. LXXXV.* Immo ab ipſo Manichaeo compoſitum fuit, & de eo non ſemel agit *Beauſobrius* & praecipue *P. II. Hiſt. Crit. Manich. lib. II. cap. VII.* Conſule ſuperius *Evangelium Vivens pag.* 183.

ACTA APOSTOLORVM APOCRYPHA, SIVE HISTORIA CERTAMINIS APOSTOLORVM ADSCRIPTA ABDIAE, PRIMO, VT FERVNT, BABYLONIS EPISCOPO, quae etiamnum exſtat in decem libros diſtributa, de qua iudicia & cenſuras vide apud *Fabricium in Apocryphis N. T.* & *Beauſobrium in P. II. Hiſt. Crit. Manich. lib. II. cap. VI.*

EPISTOLA ACHAIAE PRESBYTERORVM ET DIACONORVM DE PASSIONE S. ANDREAE, de cuius γνησιότητι a multis ambigitur, & inter alios ab *Elia Dupinio*, & *Tillemontio* ad *S. Andreae vitam.*

tam. Ea a Simeone Metaphraſte deſcripta ab *Allatio De Simeonibus* profertur.

ACTA APOSTOLORVM, quibus uſi ſunt *Apoſtolici* ſive *Apotactici*, hoc eſt *Andreae* & *Thomae Acta*, de quibus alibi diximus.

CLEMENTIS ROMANI ACTA PETRI, quae Latine adhuc exſtant, & ſub *Recognitionum* titulo circumferuntur. De his videndi *I. B. Cotelerius* in praeſtantiſſimo *Patrum Apoſtolicorum* opere, *Nic. Nourrius Adpar. ad Biblioth. Patrum Diſſ. XI. I. E. Grabe Tom. I. Spicilegii*, *Thom. Ittigius Diſſert. De Patribus Apoſtolicis*.

CRATONIS LIBRI X. DE GESTIS ET PASSIONIBVS APOSTOLORVM, qui eorum diſcipulus dicitur a *Pſeudo-Abdia* Babylonio *lib. VI.* & eos libros compoſuiſſe traditur.

ACTA APOSTOLORVM, QVIBVS VSI SVNT EBIONITAE, & de quibus agit *Epiphanius Haereſ. XXX.*

ACTA APOSTOLORVM, QVIBVS VSI SVNT ENCRATITAE, quorum meminit laudatus *Epiphanius*; quum horum ſocii *Apoſtolici*, ſeu *Apotactici* fuerint.

LINVS DE PASSIONE PETRI ET PAVLI, exſtat adhuc Latine.

MARCELLVS DE CONFLICTV PETRI ET SIMONIS MAGI, exſtat apud *Florentinium*, ad *Martyrolog. Hieronymianum*. Haec eadem hiſtoria *Pſeudo-Marcelli* exſtat Italice converſa in Bibliotheca Riccardiana, qua de agemus inferius *Cap. XIII.* huius noſtri commentarii.

ANONYMI HISTORIA S. MARCI EVANGELISTAE, Graece & Latine edita a *Gotfrido Hoenſchenio ad XXV. Aprilis*, quarto vel quinto potius,

Digitized by Google

tius, quam primo ſaeculo, ſcripta *Tillemontio* videtur.

IOANNES MARCVS DE PASSIONE S. BARNABAE vulgo circumfertur.

ACTA BARNABAE ſub Alexandri Cyprii nomine edita a *Surio ad XI. Iunii*, quae ex Ebraeo verſa dicuntur.

ACTA S. MATTHIAE ex Ebraeo converſa, de quibus *Fabricius* & *Tillemontius* pluribus agunt, ac merito reprobant.

MELLITVS LAODICENSIS EPISCOPVS DE PASSIONE IOANNIS EVANGELISTAE, editus eſt Latine a *Florentinio* ad *Martyrologium Vetus*.

MEMORIA APOSTOLORVM, qui liber blaſphemiſſimus vocatur & proſcribitur a *Turibio Aſturicenſi*, & idem forte eſt ac

LAVS APOSTOLORVM, ſi vera haec lectio eſt in *Decreto Gelaſiano*; vel idem ac

PASSIONES APOSTOLORVM, quae in quibuſdam eiusdem Decreti codicibus reiiciuntur.

PHILALETHES EVSEBIANVS De *Paſſionibus Apoſtolorum* editus a *Frid. Nauſea* Coloniae anno MDXXXI.

PROPHETIA, qua utebantur Nicolaitae, & cuius meminit *Clemens III.* *ſτρωμ.*, & de qua *Tillemontius* in *Nicolaitis Tom. II.*

PRAEDICATIONES, ſive DOCTRINA APOSTOLORVM, quo nomine intelligo quidquid ſub titulo κηρύγματος, διδαχῆς, παραδόσεως, διδασκαλίας, unius ex Apoſtolis, vel Apoſtolorum, Apoſtolicorumque virorum, aut memoratur, aut circumfertur. Huiuſmodi fuerit

DIDASCALIA, quae Apoſtolis tribuitur apud Coptos, & Canonibus XXXVIII. continetur, quorum

e ancora in Codice MS. de' PP. di S. Croce e ne' Papiri navi della Laurenziana — Papiro Sancti Paulli brevis eu[illegible] in codice 1. Plut. [illegible] Bibliotheca Laurentiana

rum argumenta vulgavit *Iob. Ludolfus Comment. ad Hiſtor. Aethiopic.*

CONSTITVTIONES APOSTOLICAE, quae vulgo circumferuntur.

CANONES APOSTOLICI, qui exſtant; & *διδαχῶν* Apoſtolicarum meminit etiam *Pſeud-Athanaſius in Synopſi*, & vetus *Stichometria*. De Canonibus autem Apoſtolicis conſulatur in primis *Guil. Beveregius* in ſuis *Can. Apoſt. Vindicatis* apud *Io. B. Cotelerium Tom. II. Patrum Apoſtolic.*

CANONES Synodi Antiochenae ab Apoſtolis celebratae, quos edidit *Fr. Turrianus*, & qui exſtant etiam apud *Fabricium P. III. Apocryph. N. T.*

POLYCRATES DE VITA S. TIMOTHEI, ex qua excerpta refert *Photius Cod. CCLIV.*, & quae integra quidem exſtat.

ACTA APOSTOLORVM, quibus uſi ſunt Quartadecimani, quorumque mentio apud *Theodoretum lib. III. Haeretic. Fabularum cap. IV.*

ACTA APOSTOLORVM, quibus uſi ſunt Origeniani, & memorat *Epiphanius Haereſ. LXIII.*

SORTES APOSTOLORVM, reiiciuntur in Gelaſii decreto. Inter Miſcellanea poſtuma Eccleſiaſtica *Petri Pithoei* editus eſt libellus ſuperſtitioſus hac inſcriptione: *Incipiunt ſortes Apoſtolorum, quae numquam fallentur, aut mentientur.*

SYMBOLVM Apoſtolorum inter apocrypha recenſeo, quod Novi Federis canonicam partem non efficiat, & de eo conſulendi *Nat. Alexander Tom. III. Hiſt. Eccleſ. Voſſius De tribus Symbolis, Vſſerius De Symbolo Apoſtol. Du-Pinius Biblioth. Eccleſ. Tom.... Fabricius P. III. Apocryphor. N. T.*

ZENAS LEGISPERITVS DE VITA ET ACTIS TITI, cuius mentio in *Menaeis die XXV. Auguſti.*

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA S. MARIAE DEIPARAE AD IGNATIVM MARTYREM, de qua Conſule *Vſſerium Diſſert. ad Epiſt. S. Ignatii cap. XIX. & Ioan. Dallaeum lib. II. De ſcriptis Ignatii cap. III. & Cotelerium in Patribus Apoſtolicis*, & *Fabricium* in *Apocryphis N. T.* Haec iam edita fuit, & ſervatur quoque MS. in Bibliotheca Riccardiana, ſed Italice converſa.

DE PARTV MARIAE LIBER, a Gnoſticis ſuppoſitus, de quo *Epiphanius Haereſ. XXVI. cap. XII.* & *Tillemontius Tom. II. memor.* Neſcio an ſit idem atque Evangelium infantiae.

EPISTOLA S. MARIAE AD MESSANENSES, cuius falſitas notior eſt, quam ut demonſtrare oporteat, & de ea agunt iuxta Critices canones *Naudaeana*, *Io. Mabillonius De re diplomatica*, *Aug. Varenius Rationar. Scriptor. Eccleſ. ſaecul. I. Thom. Ittigius in Heptade Diſſertat. Fabricius in Apocryphis N. T.* Quare mirum tantam in quibusdam ἀκρισίαν reperiri, ut in hac eruditionis luce nihil videant, & huius ridiculae Epiſtolae τὸ γνήσιον defendere non vereantur, inter quos *Orlendius* in ſuo *Orbe Sacro & Profano*, quem honoris gratia nomino.

EPISTOLA S. MARIAE AD FLORENTINOS adeo fabuloſa eſt, & recens ſuppoſita, ut quum plures cuiuſque ordinis viros de ea heic Florentiae interrogaverim, omnes interrogationem meam mirati ſint, & ne fando quidem umquam ſe accepiſse teſtati fuerint, ullam Sanctiſſimae Deiparae Epiſtolam Florentiae adſervari, vel umquam ab ea ad Florentinos miſſam fuiſſe. Quare ipſe ſatis mirari non poſſum *Ioannis Carthagenae tom. III. lib. IV. Homil. I.* credulitatem, ne quid gravius dicam, qui hanc vocat antiquiſſimam, immemorabilem, celeberrimamque, Florentinae urbis traditionem. Quod ſi *Hadria-*

drianus Lyraeus narrat Hieronym. Savonarolam Ferrarienſem Florentiae die XXV. Octobris anno MCCCCXCV. illam, velut Mariae genuinam Epiſtolam, pro concione interpretatum fuiſſe, & hunc ſermonem adhuc inter eius opera exſtare; ipſe quidem ei facile adſentiar, nec obſtupeſcam, quod Monachus ille etiam hanc rem adſerere non dubitaverit. Huius Epiſtolae meminit etiam *Antonius Macedo* in *Diis tutelaribus Orbis Chriſtiani*, & eam ſimul improbat, quod & doctiſſimus *Tillemontius* facit. Et quidem Florentinos ſecundo vel tertio tamdem ſaeculo tantum fidem Chriſtianam ex parte amplexos fuiſſe crediderim: quum nullis certis fundamentis nitatur traditio, quae vult Romulum quemdam, & Paulinum, & Frontinum, Petri diſcipulos, a Petro miſſos, Evangelium iis adnunciaviſſe: quare ad eos, tamquam Chriſtianos, B. Virginem ſcribere potuiſſe, numquam ipſi ſibi perſuaſerint. Sed ne mirum videatur ſi Monachus ille hanc Mariae ſuppoſuit Epiſtolam, exploratae fidei eſſe animadvertendum eſt, ab eiusdem ordinis Monacho Epiſtolam pariter Virgini Deiparae adfictam fuiſſe, a F. *Antonino* ſcilicet *de Villa Baſilica*; quam Epiſtolam in opinionis meae confirmationem heic adducere lubet, quum praecipue hoc commentum deſit in *Apocryphis* diligentiſſimi *Fabricii*, inter multa tamen huiuſmodi, quae adfert & recenſet, & quorum mentionem conſulto omiſimus, utpote non omnium id genus deliramentorum curioſi & captatores. Ex MS. igitur Codice Bibliothecae Riccardianae ridiculam hanc & fabuloſam Epiſtolam proferimus, atque reſponſum eſt ad Epiſtolam, quae per Angelum Cuſtodem a F. *Antonino* miſſa fingitur ad Deiparam, atque ita habet:

Fratri

Fratri Antonino praedilecto miſericordiae mater opem ſalutarem.

QVod a me precibus expoſtulaſti, dulciſſime fili, neque valeo denegare, neque penitus indulgere velim. Abnuere quidem nequeo, quae toto terrarum orbe miſericordiae mater adpellor; prorſus autem illud tibique, tuiſque condiſcipulis, quod adhuc pluribus & effraenis animi motibus praeoccupata tanto muneri corda recluditis, elargiri nolo. Mentes igitur veſtras a vanis terrenorum curis, ac voluntates ab illicitis adfectibus expurgate. Tum divini numinis opem pro voto percipietis. Ego enim ſum illa pietatis regina, quae pro differenda ſeveri iudicis ira, dum tribus olim telis mundum deperdere ſtatuiſſe videretur, Praedicatorum ordinem per amicum meum Dominicum inſtitui. Quem deinceps peculiari amore proſequuta, & quam plurimis inclitum feci praerogativis, habitu perpulcro inſignivi, ſingulos eius Fratres in filios cooptavi, & ſub ampliſſimo meo pallio ſuſcepi. Vnum praeterea, fili, te admoneam, ut puerilibus nugis; quibus admodum profunderis, abiectis, te maturius, ac religioſius, habeas, & poſtergatis mundi inſaniis, in ardentiſſimo Chriſti latere te recipias. Tu demum angelico, quo maxime delector, eulogio mihi ſaepius & ferventius inſervire ſtudeas in dilecto meo coenobio Saxenſi, ſanctis illis, quorum devotione mirum in modum adficeris, gratioſius exhibens. Iam utroque nomine te valere iubeo.

Ex Coelo Empyreo in Die Aeternitatis.

APOCALYPSIS S. STEPHANI PROTOMARTYRIS memoratur in Gelaſiano Decreto, & Manichaeis in pretio erat, ut ex Serapionis opere adverſus

ſus Manichaeos tradit *Sixtus Senenſis lib. II. Bibliothec. Sanctae*.

EPISTOLAE quoque HAEMORRHOVSAE AD HERODEM, quam apud *Fabricium P. III. Apocryphorum N. T.* videre eſt, mentionem faciam, quum ad huiuſmodi Apocryphorum cenſum pertinere videatur.

Et haec quidem de libris Apoſtolorum, Apoſtolicorumque virorum, apocryphis leviter delibata, & breviter dicta, ſufficiant; quaedam vero, quae hactenus omiſſa videantur, & Ioannem Evangeliſtam attinent, percurremus inferius, ubi de eodem Evangeliſta peculiari diſſertatione agemus.

Mirabuntur heic aliqui fortaſſe me nihil de ſcriptis Ieſu Chriſto Deo noſtro tributis hic dixiſſe; ſed ſciendum propoſitum meum fuiſſe de eruditione Apoſtolorum, aliorumque Diſcipulorum, libriſque ab eis ſcriptis, vel eis ſuppoſitis, diſſerere; non autem de libris Ieſu Chriſto falſo adſertis, quum nil aliud certo ſciamus a Chriſto ſcriptum fuiſſe, quam id, quod coram adultera & Iudaeis eam deferentibus in terra ſcripſiſſe, *Ioannes* Evangeliſta memoriae prodidit. Quicumque tamen horum hiſtoriam cognoſcere deſiderat, eruditiſſimum *Fabricium* adeat in *Apocryphis N. T.*, ubi quiſque ſuam ſitim facile explere poterit. Non inutile etiam fuerit conſulere criticum *Beauſobrium P. II. Hiſtor. Critic. Manichaeor. lib. II. cap. I.* apud quem criticam quamdam & utiliſſimam diſſertationem offendere erit, qua hanc librorum apocryphorum copiam canonicorum librorum veritati minime obſicere, erudite ac luculente demonſtrat; immo orthodoxae religionis dogmatis mirabiliter ſuffragari eos evincit. Diſſertatio haec habetur *P. II. lib. II. Hiſtor. Critic. Manichaeor. cap. VII.*

in

in fine; ex quo excerpere quaedam heic lubet, quae hiſtoriam Apocryphorum voluminum illuſtrare quammaxime poſſunt; quamquam ſimilia nonnulla ſparſim adnotare non omiſerimus. Ita igitur §. XI. ſcribit: „ Je ne ſai quel zele mal entendu a fait „ multiplier le nombre des faux Evangiles, auſſi „ bien que celui des Héréſies; mais il eſt certain „ qu' il y en a eu beaucoup moins qu' on ne dit, „ & le docte M. *Fabricius*, qui en a fait un ample Catalogue, & qui en compte juſqu' à *cinquante*, convient neanmoins, qu' il y en a plusieurs qui ne différent que par le titre. En effet „ on parle d' un *Evangile de Cérinthe*, & d' un au- „ tre de *Carpocrate:* c' étoit l' Evangile Hébreu de „ S. *Matthieu*, qu' on dit qu' ils avoient altéré. „ On parle d' un *Evangile des XII. des Evangiles* „ *ſelon les Hébreux*, *ſelon les Nazaréens*, *ſelon les* „ *Syriens*, *ſelon les Ebionites*. Tout cela n' étoit au „ fond que l' Evangile des Hébreux, attribuè a „ S. *Matthieu;* quoiqu' il y eût quelques différen- „ ces dans les Exemplaires. On parle *d' un Evan-* „ *gile ſelon S. Barnabé*. C' eſt encore *l' Evangile de* „ *S. Matthieu*, qu' on dit avoir été trouvé dans l' Isle „ de Chypre, ſous l' Empire de *Zénon*, avec le corps „ de S. *Barnabé*, & ſur ſa poitrine. On parle d' un „ *Evangile ſelon S. Barthelemi*, qui n' eſt encore que „ l' Evangile ſelon S. *Matthieu*. On parle de deux „ *Evangiles de S. Pierre*, dont l' un n' eſt autre „ choſe que celui de S. *Marc*, qui, au rapport de „ quelques Anciens, fut dicté par S. *Pierre*, & „ écrit par S. *Marc* ſon Diſciple & ſon Interpréte. „ L' autre ne fut écrit que vers le milieu du II. „ Siécle, comme nous le verrons tout à l' heure. „ On parle d' un *Evangile de S. Paul*. Ou c' eſt une

„ imagination de quelques Anciens, fondée ſur ce
„ que S. *Paul* parle *de ſon Evangile*, c'eſt-à-dire,
„ de la Doctrine qu'il prêchoit, ou il faut enten-
„ dre par là ſes Epîtres, que quelques Péres ont
„ appellées l'*Evangile de S. Paul*. On a auſſi nom-
„ mé de la ſorte l'Evangile ſelon S. *Luc*, parce
„ qu'on a crû que S. *Luc* le tenoit de S. *Paul*. On
„ parle d'un *Evangile de S. André*, qui n'exiſta
„ jamais, & que l'on a confondu avec les *Actes* ou
„ les *Voyages* de cet Apôtre. On parle d'un *Evan-
„ gile des Encratites*. C'eſt l'Harmonie que *Tatien*
„ avoit composée des quatre Evangiles, qu'il avoit
„ reduits dans un ſeul corps. On parle des *faux
„ Evangiles d'Héſychius* & de *Lucien*, quoique ces
„ deux ſavans hommes n'euſſent fait que conferer
„ les Exemplaires Grecs des Evangiles, & les cor-
„ riger ſur les meilleurs manuſcrits. Ils avoient
„ travaillé de même à corriger les Exemplaires de
„ la Verſion des LXX. On parle des *Evangiles de
„ Marcion & d'Apelles*, qui n'étoient que l'Evan-
„ gile ſelon S. *Luc*, qu'on les accuſe d'avoir fal-
„ ſifié en quelques endroits. On parle d'un *Evan-
„ gile de Baſilide*; c'étoit un Commentaire *ſur les
„ Evangiles*, tout au plus un Exemplaire de ces
„ Livres ſacrez, qui n'étoit pas tout-à-fait confor-
„ me avec celui des Catholiques. On parle *d'un
„ Evangile de Valentin*, ou des *Valentiniens*. Ce
„ n'étoit pas une Hiſtoire de J. Chriſt, mais le
„ Syſtême de leur Doctrine, auquel ils avoient
„ donné le titre d'*Evangile de Vérité*. Il en étoit
„ de même, de l'*Evangile de Perfection*, composé par
„ les *Gnoſtiques*, & qui contenoit la fauſſe ſcience
„ de ces gens-là. Il en eſt de même encore de
„ l'*Evangile de Simon & des Simoniens*, dont parle
l'Au-

,, l' Auteur de la Préface, qui eſt à la tête de la
,, Collection Arabe des Canons du Concile de Ni-
,, cée. Cet Auteur temoigne, que les *Simoniens*
,, s'étoient forgez un Evangile qu' ils avoient par-
,, tagé en quatre Tomes, & qu' ils nommoient *le*
,, *Livre des quatre Coins du Monde*, ou *des quatre*
,, *Gonds*, *des quatre Pivots*, *ſur leſquels roule la*
,, *machine de l'Univers*. Je ne ſai dans quelle Claſ-
,, ſe mettre un *Evangile de Judas*, que S. *Epiphane*
,, attribue a une Secte, qu' il appelle les *Caïnites;*
,, mais on voit bien par ce qu' il en rapporte que
,, ce n'étoit rien moins qu'une fauſſe Hiſtoire de
,, J. Chriſt, & qu'il agiſſoit de certains Myſtéres
,, que ces gens-là diſoient avoir été révelez à Ju-
,, das. Il faut porter le même jugement d'un *E-*
,, *vangile de Philippe*, que S. *Epiphane* attribue aux
,, *Gnoſtiques*. Le fragment, qu'il en a tiré, mon-
,, tre que c'étoit un Recueil de la Doctrine, qu'
,, ils prétendoient avoir été annoncée par Sant
,, *Philippe*.

,, On a de même multiplié mal à propos d'au-
,, tres Apocryphes, qui portoient le nom des Apô-
,, tres. Il y *a une Doctrine de Pierre*, Διδαχή: une
,, *Prédication de Pierre*, κήρυγμα: un *Jugement de*
,, *Pierre*, κρίμα. Tout cela n'eſt apparemment qu'
,, un ſeul & même Livre. On fait mention d'une
,, *Apocalypſe de Cérinthe*, ſuppoſée ſous le nom de
,, S. *Jean*, & l'on ſe figure deux *Apocalypſes*, l'une
,, & l'autre attribuées à cet Apôtre. On ſe fonde
,, ſur un paſſage de *Caïus*, Prêtre de Rome, allé-
,, gué par *Euſébe*. Mais on peut s'aſſurer, que *Caïus*
,, parle de l'Apocalypſe de S. *Jean*, qu' il a crû
,, être de *Cérinthe*, comme feu M. *Grabe* l'a remar-
,, qué. Retranchons donc une grande partie des

„ Apocryphes, mais particuliérement des Evangi-
„ les, qui étoient les principaux. „ Atque ita quidem ille.

De Apoſtolorum Amanuenſibus, aliiſque Chriſtianis eiusdem aetatis Interpretibus.

CAPVT XII.

INterpretum, eorumque in Eccleſia muneris, meminit *Paulus I. ad Corinthios cap. XII. v.* 28. *Et quosdam quidem*, inquit, *poſuit Deus in Eccleſia, primum Apoſtolos, ſecundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, INTERPRETATIONES SERMONVM. Numquid omnes Apoſtoli? Numquid omnes Prophetae? Numquid omnes Doctores? Numquid omnes virtutes? Numquid omnes gratiam habent curationum? Numquid omnes linguis loquuntur? Numquid omnes INTERPRETANTVR?* Recte id quidem obſervabat *Rich. Simonius P. I. Hiſt. Criticae N. T. cap. X. & XVII.*, & Eccleſiaſtica traditio, veteriſque hiſtoriae monumenta, confirmant; ex quibus exploratae fidei eſt quosdam olim fuiſſe, qui apud Apoſtolos, alioſque Apoſtolicos viros, amanuenſis & interpretis munere ſungerentur; quique Apoſtolica ſcripta, ſeu conciones, & documenta, in varias linguas converterent, atque interpretarentur. Itaque hic breviter de huiuſmodi Interpretibus, & Amanuenſibus etiam, & Exceptoribus, agemus, nullo tamen ordine ſervato,

vato, & prout quiſque ſeſe obfert, antiquorum Scriptorum teſtimonia auctoritatemque ſequuti.

BARNABAM Apoſtolum, Matthaei Evangelium ex Ebraico Graece convertiſſe, ſunt nonnulli qui perhibent, ſi fidem habemus *Iſ. Caſaubono Exercit. XV. in Baron. cap. XII.* nam quo vetere auctore hoc adfirmet neſcire ſe teſtatur *Ittigius Diſſert. De Haereſiarchis ſaecul. Apoſtol.* Videtur autem *Caſaubono*, aliiſque hoc adfirmantibus, in mente fuiſſe, quod apud *Theodorum Lectorem*, *Cedrenum*, *Ioelem in Chronographia*, *Nicephorum*, *Sigebertum*, itemque alios, legas, ſub Zenonis imperio in Inſula Cypro repertum S. Barnabae corpus, & ſuper pectore eius Evangelium S. Matthaei, *ἰδιόγραφον τοῦ Βαρνάβα ipſius Barnabae manibus ſcriptum*. Quidquid de hac Hiſtoria *Rich. Simonius P. I. Hiſt. Crit. N. T. cap. IV.* cenſeat, certe illud admodum probabile eſt, ſi vere Evangelium hoc inventum eſt, non alia lingua ſcriptum fuiſse, quam Graeca; quum *Alexander Monachus* apud *Lipomannum* & *Surium* narret ex Evangelio cum Barnabae reliquiis invento, & in Imperatoris Palatio poſito, quotannis aliquid recitatum fuiſſe in Palatii Oratorio feria quinta Paſchatos; id quod expendebant *Simonius Ittigiuſque* laudati.

LVCAS Evangeliſta interpretis munere functus eſt iuxta *Anaſtaſium Sinaitam Sermon. VIII. in Geneſ.* & Matthaei Evangelium in Graecum ſermonem convertit. Neſcio autem an ad eum, tamquam interpretem, illa opinio pertineat, quae vult *Lucam* ſententias Pauli proprio ordinaſſe, & ornaſſe ſermone, & Epiſtolam, quae ad Ebraeos dicitur, conſcripſiſſe, ut refert *Hieronymus De Viris Illuſtribus*, & de quo nos ſuperius tempeſtive egimus. *Cap. X. pag. 156.* ubi & ſententiam eorum retulimus,

mus, qui eamdem ad Ebraeos Epiſtolam ex lingua Ebraica in Graecam a Luca translatam fuiſſe arbitrati ſunt. Conſule etiam *pag.* 158.

PAVLVS Apoſtolus Evangelium Matthaei ad Graecas aures ex Ebraeo tranſtuliſſe perhibetur ab *Anaſtaſio Sinaita Serm. VIII. in Geneſim*.

IOANNES Evangeliſta Evangelii Matthaei interpres traditur apud *Theophylactum Praefat. in Matthaeum*.

IACOBVS Ieroſolymorum Epiſcopus Evangelium Matthaei Graece reddidiſſe traditur in *Additione ad Synopſin Pſeudo-Athanaſii*. Huius tamen verba ſignificare etiam poſſunt, Iacobum Evangelium illud fidelibus explicaſſe.

MATTHAEVS ipſe Apoſtolus & Evangeliſta, ſui interpres quibusdam videtur, & opus ſuum Ebraicis Graeciſque litteris conſignaſse, ut apud *Calmetium Prolegom. in Matthaeum* videre eſt. Ceterum *Papias* apud *Euſebium lib. III. Hiſtor. Eccleſ. cap. XXIX.* prodit plures fuiſſe qui Matthaei Evangelium pro modulo ſuo Graece vertendum ſuſceperint. *ἡρμήνευσε δὲ αὐτὰ ὡς ἠδύνατο ἕκαστος*. At quemadmodum incertum eſt quis ex Ebraico Matthaei Evangelium Graecum fecerit; ita incertum quoque eſt, quis Latinae interpretationis eiusdem Evangelii, ab ipſo Eccleſiae exordio ex Graeco adornatae, auctor exſtiterit, quod laudatus *Calmetius* obſervat. Conſule ſuperius *Cap. X. pag.* 145.

PROCHORVS Diaconus, cuius mentio *Actor. cap. VI.* in antiqua pictura pervetuſti Codicis Novi Teſtamenti repraeſentatur excipiens ex Ioannis Evangeliſtae dictantis ore, & Evangelium conſcribens, utriuſque nominibus adſcriptis, ut apud *P. Lambecium lib. II. comment. cap. VII.* videre eſt. Similis

quo-

quoque pictura eſt in Codice Bibliothecae S. Mariae Florentinae, & in Codice Bibliothecae Laurentianae, de quibus *Cap. XIII.* inferius agemus.

THADDAEVS Ieſu Chriſti Diſcipulus, quum ad Abgarum Edeſsae regem miſſus fuiſset, Novi Teſtamenti libros Syriace interpretatus eſt, ſi Syris haec tradentibus credere dignum eſt. Syrorum tamen nonnulli autumant, Marcum poſt ſcriptum Latine Evangelium ſuum, Ebraice illud, vel Syriace, quae vernacula erat tunc temporis Ebraeorum lingua, convertiſse: idemque poſtea circa alios Novi Teſtamenti libros ab eodem Auctore praeſtitum, ut memoriae prodidit *Guill. Poſtellus* apud *Guib. Fabrum Boderianum Praefat. Tomi V. Polyglot. Antuerp.* Hac tamen diſcuſſione omiſſa *Waltonius* Syriacam verſionem ad Apoſtolorum aetatem pertinere arbitratur, ſed coniecturis, ut videtur, non ſatis firmis; a qua ſententia nec *Beauſobrius Hiſtor. Critic. Manichaeiſmi, Par. . . . lib. . . .* receſſiſse videatur; quum eam tamen reiiciat etiam *Tillemontius* in *Marco Tom. II.*

MARCVS Evangeliſta iam ſui, & aliorum Novi Teſtamenti librorum, Syriacus interpres a Syris creditus eſt, ut ſtatim vidimus. *Baronius* ad annum XLV. tradit Latine ſcriptum a S. Marco Evangelium in Vrbe Roma, deinde quum Aquileiam ab Apoſtolo Petro miſſus veniſset, Graecis litteris ab ipſo traditum: quod tamen omne nullo certo auctore adſeritur. *Cornelius a Lapide*, & *Ianſenius in Marcum*, quoque utraque lingua, Graeca ſcilicet & Latina, a Marco ſcriptum Evangelium, vel ſaltem ex Graeco in Latinum deinde converſvm, arbitrantur, ſed ſimilibus ac *Baronius* fundamentis: quamquam Latinam Marci interpretationem remotiſſimae eſſe antiquitatis *Gro-*

tius adfirmat. *Papias* apud *Euſebium lib. II. Hiſtor. Eccleſ. cap. XIV. Irenaeus lib. III. cap. I.* & ex iis *Hieronymus* in *Catalogo*, & *Epiſt. CL. ad Edibiam Q. XI.* Marcum Petri diſcipulum, & interpretem, adpellant, ut iam *Cap. X. pag.* 148. adnotavimus; id quod etiam aliorum antiquorum teſtimoniis confirmatur, ut *Tertulliani lib. IV. contra Marcionem; Epiphanii Haereſ. LI. Chryſoſtomi Homil. LIX. in Matthaeum*, *Theophylacti*, *Pſeudo-Athanaſii* in *Synopſi*, & aliorum. Porro interpretem in eo agebat Vir ſanctus, Graece ſive Latine explicans, quae alterutro ſermone idem Apoſtolus loquebatur; vel ſaltem dictantis Petri Epiſtolas cultiori phraſi, ſtiloque, excipiebat, quae ſunt verba *Calmetii Prolegomenis in Marci Evangelium*.

GLAVCIAS alter Petri interpres fuit, ut tradit *Clemens Alexandrinus lib. VII. Stromatum;* quare quum plures haberet interpretes, non mirum ſi in eius Epiſtolis ſtili differentia deprehendatur, ut obſervabat *Hieronymus* in *Catalogo*, & *Epiſt. ad Edibiam Qu. XI.* cuius verba ſunt: *Duae Epiſtolae, quae feruntur Petri, ſtilo inter ſe & charactere diſcrepant, ſtructuraque verborum; ex quo intelligimus pro neceſſitate rerum diverſis eum uſum interpretibus*.

CAIVS, S. Pauli olim diſcipulus, Ioanni Evangeliſtae, tamquam amanuenſis, operam praeſtitiſſe traditur a *Pſeudo-Athanaſio in Synopſi*, *Dorotheo*, & *Codice MS. Seld.* Nec facile alter erat Caius iſte ab illo, ad quem tertia S. Ioannis Epiſtola data eſt, ut quidem *Calmetius* cenſet.

TERTIVS, Pauli Apoſtoli amanuenſis fuit, & ad Romanos Epiſtolam ſcripſit, ut ipſe teſtatur *Cap. ult. verſ.* 22. *Saluto vos ego Tertius, qui ſcripſi Epiſtolam, in Domino*.

TI-

TITVS, alius Pauli interpres, de quo ita *Hieronymus ad Edibiam* ſcribit: *Quum veniſſem, ait* (Apoſtolus) *Troadem, propter Evangelium Chriſti: & oſtium mihi apertum eſſet in Domino; non habui requiem ſpiritui meo, eo quod non invenerim Titum fratrem meum; ſed valefaciens eis profectus ſum in Macedoniam . . . . Quae autem fuit tanta conſolatio, & quae requies ſpiritui in praeſentia Titi, quem quia non invenit, valefaciens eis profectus eſt in Macedoniam? Aliquoties diximus, Apoſtolum Paulum virum fuiſſe doctiſſimum, & eruditum ad pedes Gamalielis . . . . Quumque haberet ſcientiam ſanctarum Scripturarum, & ſermonis diverſarumque linguarum gratiam poſſideret, inde ipſe gloriatur in Domino & dicit: Gratias ago Deo, quod omnium veſtrum linguis magis loquor: divinorum ſenſuum maieſtatem digno non poterat Graeci eloquii explicare ſermone. Habebat ergo Titum interpretem . . . . Ergo & Paulus Apoſtolus contriſtatur, quia praedicationis ſuae in praeſentiarum fiſtulam, organumque, per quod Chriſto caneret, non invenerat*. Haec ille.

CLEMENS, Romanus Epiſcopus, ſententias Pauli proprio ordinaſse, & ornaſſe ſermone, & Epiſtolam ad Ebraeos exaraviſſe, creditus eſt nonnullis apud *Hieronymum De Vir. Illuſtr.* Conſule ſuperius *Cap. X. pag.* 158.

INTERPRETES, qui Novi Federis libros in Latinam linguam converterunt, & plures fuere, & incerti omnino ſunt aut ignoti; ſed quum verſio haec Apoſtolorum aetatem attingat, ut bene *Calmetius* adfirmat, eorum hic meminiſſe debuimus, de quibus *Auguſtinus lib. II. De Doctrin. Chriſt. cap. XI.* ita ſcriptum reliquit: *Qui ſcripturas ex Ebraica lingua*

in

in Graecam tranſtulerunt, numerari poſſunt; Latini autem interpretes nullo modo; ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit Codex Graecus, auſus eſt interpretari.

Sed eos ne memorabimus, ſaltem generatim, INTERPRETES, quos perperam & nulla hiſtoriae fide *Cl. Salmaſius De lingua Helleniſtica* inducit, quoſque vult, quum falſo omnes Apoſtolos Syriaca lingua ſcripſiſſe iudicet, ſtatim in Graecum ſermonem eorum commentarios tranſtuliſſe? En eius ipſiſſima verba: *Scribebant igitur Apoſtoli idiomate ſuo & lingua ſibi familiari & vernacula, quae protinus a Syris* ἑλληνίζουσι, *vel Graecis ipſis ad fidem converſis, quos ſecum habebant, Evangelii praedicandi adiutores & adminiſtros, in Graecum transferebantur.*

INTERPRES LATINVS Libri Hermae, ſeu Paſtoris, Apoſtolicum aevum attingere videtur, ſi eruditiſſimis viris *Io. Baptiſtae Cotelerio*, & *Seb. Tillemontio*, fidem habemus. *Hermas* ſcripſiſſe videtur circa annum XCII. paulo ante quam Domitiani perſequutio in Chriſtianos excitaretur.

Si vera autem opinatur doctiſſimus Cardinalis *Baronius* ad annum Chriſti XLV. alios quoque in Eccleſia INTERPRETES conſtituere neceſſe eſt. Nam ea, quae ſuperius de Interpretibus ex *Epiſtola I. ad Corinthios cap. XIV.* produximus, ita interpretatur, ut velit, quum prima illa Chriſtiani nominis aetate ex variis gentibus ad Chriſti ſapientiam converterentur, adeoque ſaepe diverſae linguae homines ad ſacros coetus ſynaxeſque convenirent, opus fuiſſe ut quidam interpretes adeſſent, qui eorum ſermone explicarent illis, quaecumque loci illius dialecto Apoſtoli, aliive, loquuti fuiſſent. Et profecto Eccleſia Corinthi multis Iudaeis conſtabat, qui Chaldaice, aut Syria-

riace, loquebantur: quod iis, quae Paulus de prophetia, & linguarum dono habet, occaſionem praebuiſſe, videtur. Apoſtolus neminem coetibus excluſit; permiſitque pariter ut hi, qui vernaculam linguam neſcirent, ſuae gentis oratione loquerentur, etſi alii eos nequaquam intelligerent. Tantum vero iuſſit, ut tunc Interpres adhiberetur, iuxta ſynagogarum illius temporis morem. Θέλω δὲ πάντας ὑμᾶς λαλεῖν γλώσσαις, μᾶλλον δ' ἵνα προφητεύετε· μείζων γδ' ὁ προφητεύων, ἢ ὁ λαλῶν γλώσσαις, ἐκτὸς εἰ μὴ διερμηνεύει ἵνα ἡ ἐκκλησία οἰκοδομὴν λάβῃ. Quamquam vero haec ſubſiſtunt, nemo tamen inficias ierit, & alios interpretes, quales ſuperius deſcripſimus, eo capite ab Apoſtolo indicari; hoſque ipſos interpretum nomine fuiſſe adpellatos ab omnibus antiquis Patribus; qui non alio ſenſu de Marco, Luca, aliiſque huiuſmodi Apoſtolorum interpretibus, loquuti ſunt, quam de iis, qui ex ore dictantium Apoſtolorum verba exciperent, & exararent, vel in aliam linguam converterent, quod prudenter ac recte *R. Simonius P. I. Hiſt. Crit. Novi Teſtam. cap. X.* animadvertebat. Pro huius autem Capitis coronide verba *Euſebii lib. III. Demonſtr. Evang.* exſcribantur: Κεκήρυκτο τὸ Εὐαγγέλιον ἐν βραχεῖ χρόνῳ ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ εἰς μαρτύριον τοῖς ἔθνεσι. Καὶ Βάρβαροι καὶ Ἕλληνες τὰς περὶ τοῦ Ἰησοῦ γραφὰς πατρίοις χαρακτῆρσιν καὶ πατρίῳ φωνῇ μετελάμβανον. *Praedicatum eſt in exiguo temporis ſpatio in toto orbe Evangelium in teſtimonium cunctis gentibus; & Barbari & Graeci, quae de Ieſu ſcripta erant, patriis litteris, patriaque lingua, exceperunt.*

Codi-

Codicum MSS. Novi Teſtamenti, qui in Florentinis Bibliothecis adſervantur, hiſtoria.

CAPVT XIII.

DIGRESSIO ALTERA.

SECTIO I.

§. I.

Qvum de Apoſtolorum, Apoſtolicorumque virorum, eruditione, & litteris, a nobis agatur; & eorum iam libros, ſeu veros ac γνησίους, ſeu ſuppoſititios & ἀποκρύφους, haud incurioſe recenſuerimus; οὐκ ἀπροσδιόνυσον profecto videatur, ſi brevem Codicum MSS. quibus ii continentur, quique in Florentinis Bibliothecis adſervantur, hiſtoriam ſedulo adcurateque concinnemus. Inter alias enim laudes, ac decora, quibus innumeris urbs clariſſima Florentia praecellit, illa quidem laus & gloria non ultima eſt, quod cultiſſimi illius cives, & bonarum artium litterarumque amantiſſimi, inclita ſcientiae, & liberalium diſciplinarum, monumenta ac praeſidia undequaque collegerint; & Codices cuiuſvis generis manu exaratos inter pretioſa cimelia quiſque ſemper habuerint. Nam quod in aliis Europae urbibus, uno aut altero loco congeſtum, & publicae utilitati & admirationi dedicatum, ſubſpicimus; id in florentiſſima & eruditiſſima Civitate, in privatis etiam prope omnium aedibus reperire eſt, ac demirari; quum

nulla

nulla fere ſit civis honeſtioris domus, quae veteres membranas, & MSS. Codices, & alias huiuſmodi antiquae eruditionis reliquias, minime complectatur. Nam ut Bibliothecas, *Laurentianam*, *Riccardianam*, *Stroctianam*, & *Coenobiorum*, *Sanctae Mariae*, *Sancti Marci*, ac *Sanctae Crucis*, ſilentio praeteream; quarum quidem alias, ut decuit, mentionem feci, & praeſtantiſſimorum Virorum, *Mabillonii*, *Montfauconii*, *Bollandianorum*, & id genus aliorum, praeconiis celebratiſſimae ſunt; quem Florentiae verſantem lateat, inſignia huiuſmodi ex tempore edaci oblivioneque tropaea, alibi etiam ſparſim exſiſtere, & ſolicite cuſtodiri, non tantum in Coenobiis Monachorum *Feſulano*, *Vallumbroſano*, *Sanctae Trinitatis*, *Sanctae Mariae Angelorum*, *Paſſinianenſi*, *Septimiano*, *Virginis Adnunciatae*, & in Odeo, quod *della Cruſca* vulgo adpellatur; ſed in *Martiorum Medicum* etiam, *Nicoliniorum*, *Guadagniorum*, *Pandulfiniorum*, *Salviatorum*, *Capponiorum*, *Giraldiorum*, *Nicoliorum* olim, *Gaddiorum*, *Bargiacchiorum*, aliorumque bene multorum, privatis aedibus eruditam & copioſam huiuſmodi ſupellectilem oſtentari? *Doniorum* etiam, *Salviniorum*, *Quarrateſiorum*, *Davanzatorumque* meminiſſem, niſi *Gab. Riccardius*, vir princeps, & Canonicus Florentinae Eccleſiae Sacerdos, pro ſua in egregia ſtudia, & ingenuas doctrinas, arteſque liberales, proclivitate ac favore, Codices eorum MSS. univerſos munifice comparaſſet, & privatam ſuam Bibliothecam, locupletem iam & magnificam, iis laudabiliter auxiſſet. Nobilem maiorum ſuorum indolem Vir ampliſſimus imitatur, & *Rich. Riccardius* in primis, qui Graece Latineque doctus, & Petri Victorii praeceptoris maximum decus, non tam eximios Codices cuiuſcumque doctrinae ac linguae MSS. plus

mille

mille coemit, atque collegit; quam antiqua numiſmata, & gemmas celatas innumeras, ſummo ſtudio ac diligentia conquiſitas, poſteris ſuis perpetua laudis hereditate tranſmiſit. Quamquam neſcio quid grandius atque magnificentius hic animo verſat, & ſcientiam ac litteras neſcio qua maiori veneratione proſequitur, dum pretioſa illa eruditae antiquitatis λείψανα, non tantum congerit & adſervat; verum etiam neglecta aut incomta iacere non patitur, & aureis purpureiſque tegumentis involvit, & picturatis pellibus, umbiliciſque ſumtuoſis, ornat ac decorat. Sic Heros ille maximus, pacis ſtudiis, & bellica virtute, celeberrimus, Alexander Macedo, adſiduum expeditionum ſuarum comitem Homerum, theca facto auro aſpera, gemmiſque bacchata, victi Perſarum Regis ſpolio inaeſtimabili, incluſum cuſtodire & honorare iuxta voluit, ut *Plutarchus* auctor eſt. Sic in Regio Mediceae gentis Gazophylacio Synaxaria Graeca & aureis litteris exarata, & tegumentis purpura, auro intexto, margaritis, Phrygioque opere, ſuperbis cooperta ſubſpexi. Sic in Catalogo librorum Cardinalis Beſſarionis, qui MSS. in Bibliotheca Riccardiana exſtat, volumina purpureis tegminibus non tam incluſa, quam exornata, indicari non ſemel animadverti. Quid autem de iis dixerim qui MSS. Codices picturis, & imaginibus, aureiſque litteris, ingenti ſumtu variandos decorandoſque curaverunt, quales quidem plures habent *Laurentiana*, & *Sanctae Mariae*, & *Riccardiana*, Bibliothecae; in quarum poſtrema Virgilii Operum Codex ſaeculo XV. ſcriptus adſervatur, in quo picturis graphice & elegantiſſime elaboratis, & ſingulis paginis Aeneidos adpoſitis, quid a Poëta cantetur, obiecta legentium oculis rerum imagine de-

claratur? Codices autem eiuſmodi plures *Petrus Lambecius* etiam in ſuis *Commentariis de Bibliotheca Caeſarea*, & *Bern. Monsfalconius* in *Bibliotheca Coisliniana*, & *Palaeographia Graeca*, eruditiſſimis voluminibus, exhibent. Tanta fuit ſemper Virorum ſapientiſſimorum erga divina veterum Scriptorum monumenta veneratio; quam uni ſtolidi, ac rudes, & lividi, bonarum artium oſores, ridendi ipſi, derident & aſpernantur. At numquam Florentinis, viris acri ingenio praeditis, & aequis litterarum aeſtimatoribus, plani eiuſmodi, & maleferiati nebulones, imponant: quum illi eo ſtudii & obſervationis erga ſcientiam doctrinaſque devenerint, ut ampla illa debellatorum hoſtium ſpolia, antiquiſſimos omnium ſcilicet Iuris Civilis Pandectas, accenſis funalibus olim eos videndi cupidis oſtentare conſueverint, quod & *Guil. Budaeus* in *Adnotationibus ad Pandectas* memoriae prodidit. Quare iam non domeſtica tantum ſuae familiae exempla Vir adprime eruditus aemulatur; ſed nobilium etiam conterraneorum, quorum plures ſupra commemoravimus, veſtigiis inſiſtit, & Mediceae Auguſtae gentis inprimis, quae & Laurentianam Bibliothecam egregiis omnium linguarum doctrinarumque Codicibus MSS. locupletiſſimam, adeoque doctiſsimo *Montefalconio* iudice, primariis Europae Bibliothecis accenſendam, publicae utilitati dedicavit; & Bibliothecam ſuam Palatinam quampluribus Codicibus MSS. Orientalibus, quorum Catalogum *Euſ. Renaudotius* contexuit, magnificentiſsime auxit; & Feſulani Coenobii Bibliothecam MSS. pariter voluminibus liberaliter inſtruxit; & in Bibliothecam D. Marci plurimos tranſtulit. Immo *Laurentius*, re & cognomento *Magnificus*, privatam huiuſmodi Bibliothecam habuit, quod

Digitized by Google

in *Miſcellaneis Ang. Politianus* teſtatur. Iure igitur de hac Auguſta gente Poëta elegantiſſimus *Hieronymus Vida Lib. I. Poëtic.* cecinit:

Iampridem tamen Auſonios inviſere rurſus
Coeperunt Medicum revocatae munere Muſae,
Tuſcorum Medicum, quos tamdem protulit aetas
Europae in tantis ſolamen dulce ruinis.
Illi etiam Graiae miſerati incommoda gentis,
Ne Danaum penitus caderet cum nomine virtus,
In Latium advectos iuvenes, iuvenumque magiſtros,
Argolicas artes quibus eſſet cura tueri,
Securos Muſas iuſſere, atque ocia amare.
Illi etiam captas late miſere per urbes,
Qui doctas tabulas, veterum monimenta virorum,
Mercati pretio adveherent, quae barbarus igni
Tradebat Danaum regnis, opibuſque, potitus.

Sed quando neſcio qua dulcedine captum patriae amor, & tantarum laudum admiratio, me ducit, & a propoſito longius orationem evagari iubet, cur non & alia Florentinorum ſtudia laudabilia celeri commemoratione percurram? Et ecce illico ſeſe obfert rei antiquariae ſcientia, quae merito primarium verae litteraturae praeſidium a prudentibus omnibus reputatur; & Florentiae potiſsimum exordia, & incrementum maximum, debet. Nam ſi eos recenſere lubet, qui Muſea antiquis nummis, gemmis, ſignis, inſtrumentis, epitaphiis, epigrammatis, marmoribus, copioſe aucta conſtituerunt, nonne *Franc. Petrarcha* haud exiguum veterum numiſmatum numerum a ſe quaeſitum Carolo IV. Imperatori donavit, ut ipſe *Epiſt. III. lib. X.* tradit? Nonne *Mediceae domus Proceres* eam ex id genus cimeliis gazam compararunt, ut iure optimo Europae totius miraculum habeatur? Oratio me deficiat, ſi

Ric-

Riccardios, *Nicolinios*, *Victorios*, *Gherardeſcas*, *De Riccio*, *Andreinios*, *Martios Medices*, *Gaddios*, alioſque Cives Florentinos commemorare voluero, qui eiuſmodi Muſea magno noſtrae aetatis bono, & litterarum incremento, non ſine coeleſti quadam prudentia & liberalitate compoſuerunt. Quid quod Florentinus eſt, & immortale Florentiae decus, qui peramplum, & magnificentiſſimum Romae, Cimeliarchium, ex omnibus eruditae antiquitatis reliquiis, ſumma cum laude & adprobatione recens poſuit & exſtruxit, CLEMENS ſcilicet XII. Pont. Max. quem Patronum munificentiſſimum, immo Numen ſalutare, litterae ſemper, & bonae artes, expertae ſunt? Hinc non mirum ſi docta & laborioſa volumina, quibus res antiquaria praeclare tractaretur, a ſolertibus & eruditis Florentinis elucubrata fuerunt, primum quidem a *Bern. Oricellario*, & a *Gabriele Simeonio*, deinde a *Phil. Bonarotio*, & *Ioſeph. Nicolinio*, & *Ant. Mar. Lupio*; & tamdem a V. Cl. *Ant. Franc. Gorio*, cuius nomen ac laus celebrior eſt, quam ut pluribus oporteat a me diduci ac praedicari. Iſtis iam adnumerandus quoque eſt Praeſul eruditiſſimus, *Io. Bottarius*, qui laudati CLEMENTIS XII. Pont. Max. iuſſu anaglypha Romanorum coemeteriorum ab *Ant. Boſio*, & *Aringhio* iam edita, doctiſſimis obſervationibus illuſtrat atque explicat; cuius operis primum volumen, ſelecta eruditione, & exactiſſima doctrina, refertum, cupide evolvi nuper, facileque & iure ſubſpexi. At ſi me ad Geometriam, Philoſophiam, Philologiamque convertero, & *Marſ. Ficinus*, & *Gal. Galilaeus*, & *Vinc. Vivianius*, & *Hor. Oricellarius*, & *Laur. Magalottius*, & *Bened. Breſcianius*, & *Ang. Politianus*, & *Barth. Cavalcantius*, & *P. Crinitus*, & *Pet. Victorius*, aliique innumeri, ani-

O mae

mae egregiae omnes, & illuſtres, occurrent, obtutuſque admirabundos detinebunt; dum & ex hiſce ſtudiis immenſam laudum & decorum meſsem Florentiam reportaſſe conſidero. Sed quum illi iam parta ſuis laboribus gloria fruantur, & plerique ſint ab aetate mea paulo remotiores, ſatius fuerit ut *Ant. Mar. Salvinium*, praeceptorem meum longe eruditiſſimum, opportuna commemoratione nunc praedicem, virumque eum dicam & ſupra invidiam doctum, & ſupra omnem obtrectationem glorioſum; cui nullum parem in Graeca eruditione Florentia peperit prius, nec ſecundum (dicto abſit invidia) poſterius habitura eſt. Eius tamen veſtigiis inſiſtit *Alex. Politus*, humaniorum litterarum in Piſano Atheneo Profeſſor, qui elegantem & operoſam Euſtathii in Homerum Expoſitionum e Graeca lingua in Latinam translationem concinnavit, & ex parte publici iuris iam fecit. At cur mentionem non faciam *Eduar. Corſinii*, eiusdem familiae Sacerdotis, & in eodem Lyceo Philoſophiae Profeſſoris, qui laciniosas Scholaſticorum tricas, & viles & inutiles Pſeudo-Peripateticorum quiſquilias, merito peroſus & averſatus, Florentinos adoleſcentes tutiorem & ampliorem philoſophandi viam inire docuit, qua ad probabilem naturalium cauſſarum ſcientiam, certamque ac divinam morum regulam, recta atque expedite pervenirent; ut eius opera in publicam lucem edita luculenter evincunt? Porro quo me feſſum facultas Theologica, & hiſtoria Eccleſiaſtica, rapit? Longum profecto, & immenſi operis eſſet, Florentinos omnes Theologos enumerare doctiſſimos; quare modum in tanta copia quaerens, & orationem limite certo coërcens, ex univerſis duos tantum ſeligam, unum *Ger. Capaſſium*, ex Virginis Deiparae Ser-

vo-

vorum familia monachum, qui univerſam & abſolutam Eccleſiaſticam doctrinam animo capaci complexus, & Theologicas tractationes ad Criticae normam fere primus exegit; & falſas narrationes ac fabulas docte & intrepide arguit; & libris egregiis, & tanto ingenio dignis, amplam ſui Coenobii Bibliothecam locupletavit: Alterum autem *Ioſeph. Auguſt. Vrſium*, Dominicanum, & in Romano Bibliothecae Caſanatenſis Collegio Theologiae Profeſſorem, qui incredibilem rerum Eccleſiaſticarum, & omnigenae eruditionis, cognitionem adeptus, oppugnatam veritatem adverſus Sophiſtas quoſdam & nugaces mendacii patronos, vindex clariſſimus ſtrenue tutatus eſt; & aliis eruditiſſimis Commentariis conſcriptis, Eccleſiae gloriam, patriae decus, & proprium nomen, auxit, & illuſtravit. Poëtas iam & Oratores, quibus Florentia ſe iactat, producendi tempus iam eſſet: ſed quum famigerati ſint, & omnium per ora iam volitent, eos hic recenſere ſupervacaneum exiſtimo: quum praecipue tres ſint celebres Florentiae eruditorum hominum coetus, quos vulgo Academias adpellant, quoſque foecunda clarorum Poëtarum, & Oratorum, ſeminaria merito nuncupaveris, in quarum Odeis tales orationes, & poëmata, adſidue prope recitantur, ut nec beatam dicendi copiam, nec ſplendidum verborum delectum, nec ſententias graviſſimas, nec elegantiam & Veneres, ullus umquam in iis deſideraverit. In his magna ſaepe voluptate perfundor, ubi *Salv. Salvinium*, *And. Alamannium*, *Roſcium Martinium*, *Leonard. de Riccio*, *Ant. Nicolinium*, *Rob. Gherardium*, *Ioſeph. Bondelmontium*, alioſque eruditiſſimos viros, aut orationes & carmina recitantes, aut extempore de problematis cuiuſvis generis

mira eruditionis adfluentia, & facili verborum volubilitate, differentes audio & admiror. Sed & *Dom. Mar. Mannius* exacta Etruſcarum litterarum cognitione cenſendus; & *Ioſ. Clem. Binius* impetu ſemina ſacrae mentis excitante exſultans & fervidus, oratoria ſimul facultate, & poëtica, praeſtat; & *Ioſ. Maria Mecattius* ob elegantes verſiculos, & operum ineditorum congeſtum, & hiſtoricam ſcriptionem, merito commendatur. Quod quidem in mentem revocat, nullam prope aliam eſse urbem, quae tot hiſtoriae Scriptoribus, & quidem nobiliſſimis, glorietur, ut Florentiam: & iſthuc ipſum, quod hiſtoriae Florentinorum iam editae luculenter oſtendunt, ineditae multae, quae in Bibliothecarum pluteis latitant, praeclare confirmant: quas tamen inde eruere animum iam induxi meum, & in vulgus prodere, dum ſeriem mearum *Eruditorum Deliciarum* continuo, & rempub. litterariam pro virili portione iuvare non deſino. Et eo magis illi omnes plurimi faciendi ſunt, quo certius exploratiusque eſt, eos fere univerſos ampliſſimam cognitionem non brevibus illis ſingularum facultatum finibus continuiſſe, ſed per reliquarum doctrinarum & artium campos late ſpatiantes, ſuam ſcientiam numeris omnibus abſolviſſe, viros profecto πολυμαθεστάτους. Nam nec turpius quidquam, aut abſurdius, aut nocentius, proponi poteſt iuvenibus, quam ut in unam tantum doctrinam incumbant, reliquas autem negligant & abiiciant; quum liberales diſciplinae, catenarum ritu, inter ſe connexae, iunctaeque, conſerantur, & una ſine alia bene ac perfecte conſiſtere non poſſit, atque opus ſit tamdem ut v. g. purus putus Grammaticus, merus Medicus, ſimplex Iuriſconſultus, doctis cultiſque hominibus perſaepe ludibrium debeat, quod innumeris

† Reſpicitur ad [illegible]

meris & feſtivis, iisdemque recentiſſimis, exemplis adſtruere & illuſtrare poſſem. † Et certe virum nullum ob doctrinam & ſcientiam celeberrimum, & qui laudem omnium adprobationemque meruerit, invenire eſt, niſi qui encyclopaediam prius comparaverit; & iudicium multis cognitionibus diſciplinisque ſubegerit; & cogitationes ſuas, infinitis prope rebus inter ſe collatis, ad caſtigatiſſimam normam exegerit. Hinc Viri docti ac ſolertes, & emunctae naris Critici, & qui rectam literis ſtudendi viam adoleſcentibus monſtravere, non unam iis tantum diſciplinam & artem tradendam eſse docuerunt, & *M. Fabius Quinctilianus* in primis, qui quum ſuarum *Oratoriarum Inſtitutionum lib. I. cap. X.* ſcripſiſſet: *Nunc de ceteris artibus, quibus inſtituendos priusquam tradantur Rhetori, pueros exiſtimo, ſtrictim ſubiungam, ut efficiatur orbis ille doctrinae, quam Graeci ἐγκυκλοπαιδείαν vocant. Nam iisdem fere annis aliarum quoque diſciplinarum ſtudia ingredienda ſunt &c.* Capite inſuper ultimo omnia haec ſimul tradenda docet, atque ita ſcribit: *Quaeri ſolet, an etiam ſi diſcenda ſint haec, eodem tempore tamen tradi omnia & percipi poſſint. Negant enim quidam, quia confundatur animus ac fatigetur tot diſciplinis in diverſum tendentibus, ad quas nec mens, nec corpus, nec dies ipſe ſufficiat: & ſi maxime patiatur haec aetas robuſtior, tamen pueriles annos onerari non oporteat. Sed non ſatis perſpiciunt quantum natura humani ingenii valeat: quae ita eſt agilis & velox, ſic in omnem partem, ut ita dixerim, ſpectat, ut ne poſſit quidem aliquid agere tantum unum: in plura vero, non eodem die modo, ſed eodem temporis momento vim ſuam impendat. An vero citharoedi non ſimul & memoriae, & ſono vocis,*

& pluribus flexibus ſerviunt, quum interim alios nervos dextra percutiunt, alios laeva trahunt, continent, probant, ne pes quidem ocioſus, certam legem temporum ſervat, & haec pariter omnia? Quid? nos agendi ſubita neceſsitate deprehenſi, non ne alia dicimus, alia providemus, quum pariter inventio rerum, electio verborum, compoſitio geſtus, pronuntiatio, vultus, motuſque deſiderentur? Quae ſi velut ſub uno conatu tam diverſa parent ſimul, cur non pluribus horis diverſa partiamur, quum praeſertim reficiat animos ac reparet varietas ipſa, contraque ſit aliquanto difficilius in labore uno perſeverare? Ideoque & ſtilus lectione requieſcit, & ipſius lectionis taedium vicibus levatur. Quamlibet multa egerimus, quodam tamen modo recentes ſumus ad id quod incipimus. Quis non obtundi poſſit, ſi per totum diem cuiuſcunque artis unum magiſtrum ferat? Mutatione recreabitur: ſicut in cibis, quorum diverſitate reficitur ſtomachus, & pluribus minore faſtidio alitur. Aut dicant iſti mihi, quae ſit alia ratio diſcendi? Si Grammatico ſoli deſerviamus, deinde Geometrae tantum? omittamus interim quod didicimus, mox tranſeamus ad Muſicum, excidant priora? & quum Latinis ſtudebimus literis, non reſpiciamus ad Graecas? &, ut ſemel finiam, nihil faciamus niſi noviſſimum? Cur non idem ſuademus agricolis, ne arva ſimul & vineta, & oleas & arbuſtum colant? ne pratis & pecoribus, & hortis & alvearibus, accommodent curam? Cur ipſi aliquid forenſibus negotiis, aliquid deſideriis amicorum, aliquid rationibus domeſticis, aliquid curae corporis, nonnihil voluptatibus quotidie damus? quarum nos una res quaelibet nihil intermittentes fatiget. Adeo facilius eſt multa facere, quam diu. Hunc ſequutus Poëta proximioris aetatis clariſſimus *Hier. Vida lib. I. Poëtices,*

ces, iubet ut adoleſcens, Poëta egregius evaſurus,

Haud tantum exploret Vatum monimenta, ſed idem
Conſulat, atque alios auctores diſcat, ut acri
Nulla ſit ingenio, quam non libaverit artem.

Sed nec ab horum ſententia diſceſſit Ieſuita *Tarquinius Gallutius*, qui, qualiſcumque ille ſit, tamen id eſse verum & maxime probandum deprehendere potuit, & non ſpernendam *De Encyclopaedia comparanda* orationem conſcripſit. Multa quoque praeclara ac memoranda de Iureconſultis, & Medicis Florentinis, praedicare eſſet,

Sed nos immenſum ſpatiis confecimus aequor,
Et iam tempus equûm fumantia ſolvere colla.

Quare redeat, unde huc defluxit oratio, & ad Codicum Novi Teſtamenti manuſcriptorum catalogum, quem propoſui, contexendum revertatur; quum id maximum praeſidium eſſe cognoſcatur, quo hiſtoria Apoſtolica litteraria illuſtrari & perfici poſſit. Quod quidem omne facile animo comprehendent, qui doctos atque omni Eccleſiaſtica eruditione refertos *Vallae*, *Eraſmi*, *Lucae Brugenſis*, *Simonii*, *Tillemontii*, *Calmetii*, *Bezae*, *Curcellaei*, *Sauberti*, *Cavei*, *Fabricii*, *Oudini*, *Labbei*, *Marianae*, *Lacerdae*, *Io. Morini*, aliorumque, commentarios evolverint, & *Rob. Stephani* utiliſſimam Novi Teſtamenti Graeci editionem in primis. Et certe veriſſima ſunt, quae de cognitionis Codicum MSS. utilitate generatim praeſtantiſſimus *Monsfalconius Praefation. Bibliothec. Coiſlinianae* ſequentibus verbis diſſertat: *Inter ea, quae a Viris doctis ad rem litterariam ornandam in dies ſuſcipiuntur officia, nullum utilius eo, quod expurgandis veterum libris tribuitur. Quum enim quidquid eſt eruditionis tum ſacrae tum profanae ex antiquis Scriptoribus hauria-*

tur, operae pretium faciunt quotquot illos litterarum fontes puros nitidoſque ad nos manare curant. Nemo autem inficias eat, nonniſi Manuſcriptorum ſubſidio, poſſe hanc operam cumulate praeſtari. Dum enim coniecturis tantum res agitur, incertae plerumque pro vitiatis, immo non infrequenter pro incertis, lectiones ſubſtituuntur. Quamobrem ad veterum Codicum auctoritatem recurrat oportet, qui novam alicuius Scriptoris editionem parat. Id in confeſſo apud omnes eſt. Siquis enim aliquem emendare Scriptorem adgrediatur, manuſcriptos Codices undique perquirit, certum habens non poſſe alia via rem feliciter peragi. Quae quidem eo lubentius protuli, quo magis experientia ipſa edoctus ſum, vappas audere quosdam, & vecordes egregiarum artium deriſores mutire adhuc, & huiuſmodi ſtudia contemnere & vituperare; quum veſpertilionum inſtar ad tantam eruditionis lucem oculos erigere non ſubſtineant, adeoque miram illius iucunditatem, utilitatemque, intelligere nequeant. Niſi potius hebetibus aſionibus comparandi ſunt, qui quum roſeum ſolis ſplendorem maxime refugiant, in obiectis pupis, & larvis, & phantaſmatibus, obtutus debiles ſtupidoſque defigunt, & vanis umbris, & ludicris ac puerilibus ſtudiis, unice delectantur. Cur modo illa antiquae Satirae non uſurpem?

Dic mihi, Calliope, quid nam pater ille deorum
Cogitat? an terras, & patria ſaecula mutat?
Quaſque dedit quondam, morientibus eripit artes?
Noſque iubet tacitos, & iam rationis egenos,
Non aliter primo quam quum ſurreximus aevo,
Glandibus, & purae rurſus procumbere limphae?
An reliquas terras conſervat amicus, & urbes:
Sed genus Auſonium, Remulique exturbat alumnos?

At quum multi ſint, qui plurium in diverſis Biblio-

bliothecis exſiſtentium MSS. Novi Federis Codicum, meminerint, eorumque notitiam quamdam ediderint, ut Viri praeſtantiſſimi *Lambecius*, *Mabillonius*, *Monsfalconius*, aliique Bibliothecarum, & Catalogorum Scriptores (ut nihil dicam de iis Codicibus, qui paſſim a Novi Teſtamenti Scholiaſtis, & Editoribus, atque Interpretibus eruditiſſimis, laudantur) non video tamen plenam hactenus & exactam Codicum huiuſmodi Florentinorum hiſtoriam paruiſſe; quum certe necdum Bibliotheca Bibliothecarum a laudato *Montefalconio* laudabiliter concinnata in vulgus prodierit; & Catalogus Bibliothecae Mediceae Laurentianae locupletiſſimus, quem *Anton. Mar. Biſcionius* diligentiſſime conficiebat, neſcio quo fato, intermiſſus ſit & abruptus; inque eiusdem Bibliothecae Catalogis ab *Langio*, *Ernſtio*, *Holſtenio*, aliiſque compoſitis, pars certe maxima deſideretur. Itaque huiuſmodi hiſtoriae manus admoveo, exacte & diligenter, quatenus anguſtiae temporis patiuntur, eam elaboraturus, & talem praeſtiturus, qualem certe Catalogorum Scriptores vix, niſi *Lambecium*, & *Montemfalconium*, imitentur, contexere velint; quibus curae magis eſt nomina & titulos cuiuslibet operis indicare, quam eorum, quae animadverſione digna quolibet volumine continentur, narrationem quamdam, & criticas obſervationes, inſtituere.

CODICES GRAECI NOVI TESTAMENTI.

§. II.

Codices totius Novi Teſtamenti.

I. CODEX membranaceus pulcerrimus Bibliothecae D. Marci (haec Bibliotheca eſt Dominicanorum & Codices MSS. Graecos ad XXXXV. complectitur, aliis linguis ad . . . .) ſaeculo XIV. ſcriptus. Initio habetur δήλωσις διαλαμβάνουσα τὴν τοῦ χρόνου Εὐαγγελίων ἀνάγνωσιν, καὶ τὴν τῶν Εὐαγγελιστῶν διαδοχήν, πόθεντε ἄρχονται καὶ ποῦ καταλήγονται. *Declaratio comprehendens temporis Evangeliorum lectionem, & Evangeliſtarum ſucceſſionem, undeque incipiunt, & ubi deſinunt*: videlicet *Synaxarium*, quod deinde conſequitur.

Evangelium Matthaei diſtinguitur in LXVIII. capita. Praecedunt quatuor verſus, & in fine στίχοι βχʹ *verſus* MMDC. diciturque ſcripſiſſe Evangelium annis octo poſt Adſcenſionem Chriſti.

Evangelium Marci XLVIII. capitibus conſtat, & ei etiam verſus praefiguntur. In fine στίχοι αχʹ *verſus* MDC. & ſcribitur editum anno X. poſt Adſcenſionem

Evangelium Lucae LXXXIII. capitibus conſtat. In fine στίχοι βω *verſus* MMDCCC. & dicitur ſcriptum anno XV. poſt Adſcenſionem. Evan-

Initio dicitur hoc Evangelium a Petro Romae praedicatum fuiſse.
+ principioque scribitur praedicatum fuisse a Paulo Romae

Opuſculum inibi habeatur Auspex praedicatum a Ioanne in Patmo Inſula Traiani temporibus

Evangelium Ioannis conſtat capitibus XVIII. & ei verſus praemittuntur. In fine *ςίχοι βτ' verſus* MMCCC. diciturque ſcriptum anno XXXII. poſt Adſcenſionem.

Evangeliis ſuccedunt Acta Apoſtolorum, quae excipiunt Epiſtolae Catholicae, & Epiſtolam Iacobi *ὑπόθεσις* praecedit, quemadmodum alias Catholicas Epiſtolas. In Epiſt. Ioannis I. *Cap. V.* deeſt *verſ. VII.* Omnes etiam Epiſtolas Paulinas praecedunt *ὑποθέσεις*, & in fine Ad Rom. *ςίχοι ϡκ'.* DCCCCXX. I. Ad Corinth. *ςιχ. ωο'.* DCCCLXX. II. Ad Corinth. *ςίχ. φς'.* DVI. Ad Galat. *ςίχ. τϛβ'.* CCCXCII. Ad Epheſios *ςίχ. τιβ'.* CCCXII. Ad Philippenſes non habet ſtichometriam, neque Ad Coloſſenſes. Ad Theſſal. I. *ςίχ. ρϛγ'.* CXCIII. II. *ςίχ. ρϛ'.* CXC. I. Ad Timoth. *ςίχ. σλ'.* CCXXX. II. *ςίχ. ροβ'.* CLXXII. Ad Tit. *ςίχ. ϛζ'.* LXXXXVII. Ad Ebraeos *ςίχ. ψη'.* DCCVIII. Quae quidem ſtichometria non parum differt ab ea, quam *Scaliger*, & *Pithoeus*, & *Simonius*, ediderunt. In fine Epiſtolae ad Ebraeos ſcriptum eſt: *ἐτελειώθη μηνὶ ὀκτωβρίῳ ζ'. ἰνδικτιῶνος ιά. ἔτους ςωξς'. Μεθοδίου χεὶρ τοῦ θυτορακενδύτου. Abſolutus eſt menſe Octobri, die VII. Indictione XI. anno* 6866. (Chriſti MCCCLIIX.) *Methodii manu Thytoracendytae*. ~~Num legendum [illegible], hoc eſt, *Protovestiarii*?~~ In fine cuiuslibet Paulinae Epiſtolae, unde Epiſtola ſcripta ſit adnotatum eſt. Tamdem ſequitur Apocalypſis, quae inſcribitur *τοῦ ἁγίου Ἰωάννου τοῦ θεολόγου*. Verſus qui praeponuntur Evangelio Matthaei:

Ματθαίου τόδε ἔργον ἀριστοπόνοιο τελώνου
Ὃς τόκον ἔφρασε θεῖον ἀπειρογάμοιο γυναικὸς
Ἡ τέκεν ἄσπορον υἱὸν, ὃν οὐ δέχετ' οὐρανὸς εὐρὺς,
Χριστὸν ἀεὶ ζώοντα θεὸν, βροτὸν αὐτὸν ἐόντα.

Mat-

Matthaei hoc opus optime laborantis publicani ,
Qui foetum narravit divinum coniugii expertis mulieris ,
Quae peperit non ſatum filium , quem non capit coelum latum ,
Chriſtum ſemper viventem Deum , & pariter mortalem .

Ante Evangelium Marci .

Ὅσσα περὶ Χριςοῖο θεωγόρος ἔθνεα Πέτρος
Κηρύσσων ἐδίδαξεν ἀπὸ ςομάτων ἐριτίμων
Ἔνθαδε Μάρκος ἄγειρε καὶ ἐν σελίδεσσιν ἔθηκε
Τοὔνεκα καὶ μερόπεσσιν Εὐάγγελος ἄλλος ἐδείχθη .
Quaecumque de Chriſto deiloquus gentes Petrus
Praedicans docuit ore pretioſo ,
Heic Marcus collegit , & in paginis poſuit ;
Quapropter & mortalibus Evangeliſta alius oſtenſus eſt .

Ante Evangelium Ioannis .

Βροντήεις θεόφωνος Ἰωάννης πανάριςος
Πρωτοτόκον σοφίης ὑπεράρχιον εὕρετο ἀρχὴν
Πρωτοφανῆ γενετῆρα θεοῦ θεόν· αὐτογένεθλον
Ἔνθεν ὀλεθροτόκων αἱρέσεων ἤμβλυνε φρένα
Tonans deiloquus Ioannes longe optimus
Primoparens Sapientiae , quod eſt ſupra principium , invenit principium ,
Primum viſum genitorem Dei Deum , per ſe & ex ſe ipſo genitum ,
Hinc exitialium ſectarum praeſtrinxit mentem .

Obſervandum eſt , in pleriſque Evangeliorum Codicibus Graecis , in fine cuiuſque Evangelii , adnotari tempus , quo ſcriptum fuit , atque inſuper ſtichometriam adponi ; & hanc quoque Epiſtolis atque aliis libris . Epiſtolis vero Pauli adſcribi etiam ubi quaeque ſcripta ſit , prout in hoc Codice habetur : quod

ſemel

In initio Codicis recentiori manu: De hereditate nicolai de Nicoly.

ſemel monuiſſe ſufficiet; nos enim id ſemper non adnotabimus, iniquis ſpatiis excluſi.

II. CODEX Chartaceus bombycinus in folio Bibliothecae S. Mariae, ſcriptus ſaeculo XIV. continens totum Novum Foedus Graece. Praecedit *ἑρμηνεία τῶν τεσσάρων Εὐαγγελίων*, *interpretatio quatuor Evangeliorum*; & Evangelium quodlibet hypotheſis, ac capitum ſeries; & quatuor verſus in IV. Evangeliſtas ante Evangelium Matthaei exſtant.

Στίχοι εἰς τοὺς τέσσαρας Εὐαγγελίστας

Ἡ τετρὰς ὧδε τῶν μαθητῶν τοῦ λόγου
Ἐκχεῖ τὸ ῥεῦμα τῶν ἀεῤῥύτων λόγων
Τοίνυν ὁ διψῶν μὴ κατόκνει τοῦ πίνειν
Ψυχὴν κατάρδων, καὶ ποτίζων τὰς φρένας.

Verſus in quatuor Evangeliſtas.

Quaternitas heic diſcipulorum Sermonis
Effundit fluentum perenniter fluentium ſermonum;
Proinde ſitiens ne pigreris bibere
Animam rigans, & potans mentem.

Argumenta & canones Evangeliorum adnotantur paſſim, ut in aliis Codicibus, in margine. In fine cuiuſque Evangelii indicatur tempus, quo ſcriptum fuit. Sed non hypotheſis tantum, verum & *ὑπομνήματα*, *Commentaria* quaedam, quibusdam Evangeliis praefiguntur, ut Lucae & Ioannis. Evangelia excipiunt Actus Apoſtolorum, quos praecedunt *ὑπόθεσις* & *ἀποδημία* Pauli, & capita. Actis ſuccedunt Epiſtolae Paulinae; & Epiſtolae ad Romanos, praeter argumentum & capitum ſeriem, quae cunctis Epiſtolis praeponuntur, praefiguntur verſus quidam in D. Paulum.

Στίχοι εἰς τὸν ἅγιον ἀπόστολον Παῦλον.

Ὁ μὴ προραίστης καὶ γένους ἀναιρέτης
Ὁ τοῦ Διὸς φεῦ τὸν τρόπον ὑπηρέτης
Νέρων ὁ δεινὸς καὶ κατεβδελυγμένος

Ὠμῆς

Ὠμῆς λεαίνης σκύμνος ἠγριωμένος
Κτάνας σύνευνον, εἶτα Χριστοῦ ποιμένα,
Νῦν ἐστι βρῶμα τοῦ κυνὸς τοῦ κερβέρου·
Παῦλος τρυφᾷ τρυφῆς δὲ τῆς ζωηφόρου
Φῶς τρίττον ἁπλοῦν ὡς ὁρῶν θεαρχίας
Ἔπαθλον εὑρὼν τὴν ἄνω σκηπτουχίαν
Ψυχὴ Νέρωνος ἡ τυραννικωτάτη,
Κεῖται νεκρὰ δύστηνος ἠτιμωμένη
Δέσμοις ἀφύκτοις ὡς ἀεὶ πεδουμένη
Αἰωνία μάστιγι συντηρουμένη.
Παῦλος δὲ καὶ ζῇ, καὶ λαλεῖ, καθ' ἡμέραν
Τὸ τοῦ Θεοῦ προσῶπον ἐμφανῶς βλέπων
Καὶ τῆς ἀγήρω καὶ μακαρίας ὄντως
Συναγελάζων ἀπολαύει χορείας.

Verſus in Sanctum Apoſtolum Paulum.

Ille non praeſes (forte legendum προεδρότης, ſeu πρωτοστάτης) *& generis interfector*
Ille Iovis, o mores! miniſter
Nero crudelis, & exſecrabilis
Saevae Leaenae catulus agreſtis,
Quum occiderit coniugem, & deinde Chriſti paſtorem;
Nunc eſt eſca canis Cerberi;
Paulus vero deliciatur deliciis vitam ferentibus,
Vt ille qui contemplatur trinam lucem ſimplicem divini principatus
Praemium quum invenerit ſupernum regnum.
Anima Neronis crudeliſſima
Iacet mortua, infelix, inbonora,
Vinculis inevitabilibus aeternum impedita
Aeterna flagello ſervatur.
Paulus autem & vivit & loquitur, quotidie
Dei faciem perſpicue intuens
Et ſenectutis experte, & vere beata
Congregis fruitur chorea.

Con-

Conſequuntur Epiſtolae Catholicae, & Epiſtolae I. Ioannis titulus eſt: βροντῆς υἱὸς Ἰωάννης τάδε χριςιανοῖσιν. *Tonitrui filius Ioannes haec Chriſtianis*: Sic Epiſtolae Iacobi praefigitur; γράμμα πρὸς ἑβραίȣς Ἰακώβȣ ἀδελφοθέοιο. *Littera ad Ebraeos Iacobi Dei fratris*. In Epiſtola Ioannis I. *Cap. V.* deeſt *verſ.* 7. In fine Epiſtolae Iudae leguntur hi verſus librarii:

Ὡς τίμιόν τι χρῆμα τὰς γραφὰς γράφω
Ὑμῶν ἀδελφοὶ καὶ μαθηταὶ κυρίου
Σὺν τῷ γράφειν θέλω δὲ καὶ πράττειν ἅμα.
Tamquam pretioſam rem aliquam ſcripturas ſcribo
Veſtras, Fratres, & Diſcipuli Domini,
Cum ſcribam, volo autem & agere ſimul.

Deinde ſubditur interpretatio in quemdam Iudae Epiſtolae locum.

Tamdem Apocalypſis ſequitur ſine argumento & *Ioannis Theologi* inſcribitur.

Poſtea ſubſequuntur μακαρισμοὶ quidam ſatis prolixi, & canon eorum canendorum per quamlibet hebdomadem; inde eſt Synaxarium & Menologium. *Monsfalconius Diar. Ital. cap. XXV.* de hoc Codice loquens ita ſcriptum in fine eſſe ait: χειρὶ ἁμαρτωλȣ̃ καὶ ἐλαχίςȣ Μάρκȣ, ἐν ἔτει ςωμ΄. μηνὶ δεκεμβρίῳ κή, ἡμέρᾳ β΄. *Manu peccatoris & minimi Marci, anno* 6840. (*Chriſti* 1332.) *menſis Decembris XXII. feria ſecunda.* Sed non χειρὶ, at χὲιρ legitur, licet forte contracte. In fronte huius Codicis, *Volumen hoc, in quo continetur Teſtamentum novum, eſt Monaſterii Abbatiae de Florentia, quem tribus aureis emimus, anno ſalutis noſtrae* 1482. ſcriptum eſt.

III. CODEX membranaceus parvus, Bibliothecae Laurentianae, *Plut. VI. N.* 27. continens integrum novum Teſtamentum: niſi quod mutilum eſt in fine Ioannis Evangelium, & deeſt Apocalypſis, ſcriptus exeun-

exeunte ſaeculo XI. vel XII. incipiente. Quum male compactus fuerit, diviſa ſunt Evangelia, & inter Evangelia Marci & Lucae, interſerta ſunt Actus Apoſtolorum, & Epiſtolae Catholicae & Paulinae. Evangeliis praecedunt ſeries περικοπῶν, quae leguntur, ſeu Synaxaria, quemadmodum Actis & Epiſtolis. Initio pariter habetur Menologium, ſeu Calendarium. Evangelio Matthaei praefiguntur quatuor conſueti verſiculi: Ματθαίου τόδε ἔργον &c. Iacobus Epiſtolae ſcriptor dicitur *Apoſtolus*, quemadmodum & Iudas. Epiſtolae I. Ioannis *Cap. V.* deeſt *verſ.* 7.

Codices Evangeliorum, Actuum, & Epiſtolarum.

§. III.

IV. CODEX membranaceus in 4. Bibliothecae Laurentianae, *Plut. VI. num.* 13. ſcriptus ſaeculo XIII. continet IV. Evangelia, & Actus Apoſtolorum, & Epiſtolas cum Paulinas, tum Catholicas. In Epiſtolae I. Ioannis *Cap. V.* deeſt *verſ.* 7. Evangelio Ioannis praemittuntur quatuor verſiculi conſueti, hoc eſt, Βροντῆς θεόφωνος &c. Conſule ſuperius §. *II. num. I. pag.* 220. & *num. III.*

Codi-

Codices quatuor Evangeliorum,

§. IV.

V. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae Laurentianae, *Plut.VI. num.* 18. ſcriptus ſaeculo X. continet quatuor Evangelia. Praemittuntur ἀρχοτελῶαι quatuor Evangeliorum iuxta ſectiones, quae leguntur in Eccleſia; & canones concordiae & harmoniae Evangeliſtarum. Cuilibet Evangelio breve argumentum, & index capitum, praeponitur. Recentiori autem manu ſcripta ſingulis Evangeliis praefigitur Evangeliſtae, qui ſcripſit, notitia; quae quoad Ioannem ita habet: Τοῦ πνεύματος δύναμις ἐν ἀσθενείᾳ τελειοῦται, καθὰ γέγραπται καὶ πιςεύομεν. ἐν ἀσθενείᾳ δὲ οὐ σώματος, ἀλλὰ δὴ καὶ λόγου καὶ σοφίας ἐν γλώττῃ κειμένης. Καὶ τοῦτο δῆλον ἐκ πολλῶν μὲν, καὶ ἄλλων, μάλιςα δὲ ἐκ τῶν περὶ τὸν μέγαν θεολόγον καὶ ἀδελφὸν χριςοῦ ἐν χάριτι ὁρωμένου. Οὗτος γὰρ ἁλιέως μὲν πατρὸς υἱὸς ἦν. τὴν αὐτὴν δὲ τέχνην τῷ πατρὶ μεταχειριζόμενος οὐ μόνον ἀμαθὴς ἦν τῆς ἑλληνικῆς καὶ Ἰουδαϊκῆς παιδεύσεως, ἀλλὰ καὶ πάντη ἀγράμματος, καθὰ δὴ καὶ ὁ λουκᾶς ἐν ταῖς πράξεσιν ἱςορεῖ περὶ αὐτοῦ. καὶ γὰρ δὴ καὶ ἡ πατρὶς αὐτοῦ εὐτελέςη καὶ ἄσημος, ὡς χώριον εἶναι οὐ λογικῆς, ἀλλ᾽ ἁλιευτικῆς τέχνης &c. *Spiritus virtus in infirmitate perficitur, ſicuti ſcriptum eſt, & credimus: in infirmitate autem, non corporis, ſed profecto etiam ſermonis & ſapientiae, quae linguae ineſt. Et hoc manifeſtum ex multis quidem & aliis, maxime vero ex magno theologo & fratre Chriſti, qui in gratia videtur. Hic enim piſcatoris quidem patris filius erat; eamdem vero artem cum patre exercens non ſolum im-*

P *peri-*

peritus erat Graecae & Iudaicae eruditionis, ſed etiam litterarum omnino exſpers, ſicuti certe Lucas quoque in Actis de ipſo memoriae prodidit. Etenim pariter patria eius viliſſima & obſcura, ita ut eſſet non rationalis, ſed piſcatoriae, artis vicus &c. Hic idem Prologus habetur etiam in aliis Codicibus MSS. eiuſdem Bibliothecae, ut patebit inferius, & typis excuſus eſt in *Theophylacti* Bulgariae Archiepiſcopi in IV. Evangelia Commentariis, de quorum Codicibus MSS. agimus hoc eodem §. *Num. XXI. XXII. XXIII. XXIV. XXV.* Quatuor Evangelia amplis ſcholiis ediſſeruntur; & in fine duodecim verſus Iambi adſcripti ſunt:

Εἰς τοὺς δ' εὐαγγελιστάς.

Εὐαγγελιστῶν τοὺς θεοπνεύστους λόγους
Τομοῖς διαιρεθέντας εὐεπιμόλοις,
Καὶ τῇδε βίβλῳ τεχνικῶς ἡρμωμένους,
Ἅπας ἀκούων καὶ τρυφῶν καθ' ἡμέραν
Ἑστῶσιν ὥσι τοὺς ὑπεκφωνουμένους
Λεόντιον θαύμαζε τῆς εὐθυμίας
Σπούδασμα πολλοῖς οὐ πρὶν ἐσπουδασμένον,
Καὶ σπουδάσαντα συντόνοις προθυμίαις,
Καὶ καλλιγραφήσαντα κόσμοις ποικίλοις
Τοῖς μὲν ξενίζειν τοὺς ὁρῶντας ὡς ἔχοι,
Τοῖς τοῦ θεοῦ δὲ ῥήμασι ψυχοτρόφοις
Εὐεργετεῖν ἅπαντας ἀκροωμένους.

In quatuor Evangeliſtas.

Evangeliſtarum divinitus inſpiratos ſermones
Sectionibus diviſos facile acceſſibilibus
Et huic libro artificioſe aptatos,
Omnis qui audis, & frueris quotidie
Stantibus .... qui celebrantur,
Leontium mirare, tranquillitatis
Opuſculum multis antea non adparatum
Qui & adparavit continua alacritate,

Et

Et pulcre exſcripſit variis ornamentis,
Vt habeat quibus adliciat ſpectantes,
Dei autem verbis animam alentibus
Benefaciat omnibus audientibus.

Huius *Leontii* Calligraphi non meminit praeſtantiſſimus *Bern. Monsfalconius Palaeograph. Graeca* in *Catalogo Calligraphorum*. In fine Codicis numerus eſt νϛ'. LVI., quem credo adpoſitum ad Codicis diſtinctionem.

VI. CODEX membranaceus parvus eiusdem Bibliothecae, *Plut. VI. n.* 29. continens quatuor Evangelia, quorum cuilibet praemittitur argumentum: & Evangelio Ioannis in fine adſuitur hiſtoria ſcriptionis eius Evangelii. Saeculo XII. ſcriptus eſt.

VII. CODEX membranaceus parvus, eiusdem Bibliothecae, *Plut. VI. numer.* 30. ſcriptus ſaeculo XII. continens quatuor Evangelia, quorum ſingulis praemittuntur, breve argumentum, & ſeries capitum.

VIII. CODEX membranaceus in octavo, eiuſdem Bibliothecae, *Plut. VI. n.* 32. ſcriptus ſaeculo XI. & picturis ornatus, continet quatuor Evangelia, quibus praemittuntur Euſebii canones, & Epiſtola ad Carpianum.

IX. CODEX membranaceus parvus, eiusdem Bibliothecae, continens quatuor Evangelia, *Plut. VI. n.* 28. ſcriptus anno Chriſti MCCLXXXV. & elegantibus Evangeliſtarum picturis ornatus. Singulis Evangeliis argumentum, & ſeries capitum praemittuntur. In fine ita legitur: *ἄληφε τέλος ἡ παῦδε Ἰουλίῳ μηνὶ κή. ἰνδ. ιγ'. ἐν ἔτει ,ϛψϟγ'. Finem accepit hic liber menſe Iulio, die XXVIII. Indict. XIII. anno 6793.* Chriſti 1285. Meminit huius Codicis *Monsfalconius Palaeogragh. lib. I. cap. VII. pag. 66.*

X. CODEX membranaceus parvus, eiusdem Bibliothecae, *Plut. VI. n.* 24, ſcriptus ſaeculo XIV. continens quatuor Evangelia.

XI. CODEX membranaceus in 4. eiuſdem Bibliothecae, *Plut. VI. n.* 23. ſcriptus ſaeculo XI. admodum eleganter, & ornate, nam picturis paſſim textui inſertis inſtruitur, & initio cuiuſque Evangelii, imago Evangeliſtae affabre delineata eſt; continet quatuor Evangelia. In eo Ioannes Evangeliſta depictus ita exhibetur, ut dictantis inſtar ſit, & amanuenſis quidam iunior verba excipiat & ſcribat. Imagines Evangeliſtarum huius Codicis, & quorumdam ſuperius memoratorum, non multum diſtant ab imaginibus huiuſmodi, quae exſtant in Codice Coislíniano XX. apud *Montemfalconium*, qui & Ioannis imaginem exhibet, *Bibliothecae Coislin. Par. I. pag.* 64. Similes quoque imagines ſunt in Codice Theologico XXVIII. *Biblioth. Caeſareae lib. III. Comment. P. Lambecii*, quarum ſpecimen dat *Lib. II. cap. VII.* & in primis Ioannem Evangeliſtam dictantem, & Prochorum iuniorem ſcribentem exhibens, nominibus adſcriptis; quare eumdem Prochorum eſse noſtri Codicis amanuenſem crediderim, licet nomina adſcripta non ſint. Quod confirmari poteſt ex imaginibus Evangeliſtarum, quae exſtant in Codice membranaceo X. ſaeculi continente Evangelia, Bibliothecae S. Mariae, cuius meminit *Monsfalconius Diar. Italic. cap. XXV.* Ibi enim cernitur Ioannes dictans Evangelium ſuum Prochoro diſcipulo, adpoſito ad utramque figuram nomine proprio, Ἰωάννης, Πρόχορος. Conſule ſuperius *Cap. XII. pag.* 198. & hoc *Capite ſect. I.* §. hoc *num. XIX.*

XII. CODEX membranaceus in 4. eiusdem Bibliothecae, *Plut. VI. n.* 15. ſcriptus ſaeculo XIII. con-

Continet hic Codex quatuor Evangelia, cum ſuis Prologis.

XIII. CODEX membranaceus in 4. eiusdem Bibliothecae, *Plut. VI. n. 16.* ſcriptus ſaeculo XII. continens IV. Evangelia; quae praeceduntur ſingula ab indice capitum. In fine Evangelii Ioannis leguntur hi verſus conſueti:

Στίχοι εἰς τὸν ἅγιον Ἰωάννην τὸν θεολόγον.
Βροντήεις θεοφῶνος Ἰωάννης πανάριστος κτλ.

quos alibi etiam attulimus. Deinde Synaxarium ſequitur in Epitome, & in fine legitur: *πόνος Βασιλείου, καὶ θεοῦ λόγου λόγοι. Baſilii labor, & Dei Verbi ſermones.* In fine cuiuſque Evangelii habetur numerus verſuum.

XIV. CODEX membranaceus in 8. eiusdem Bibliothecae, *Plut. VI. numer. 14.* continens IV. Evangelia, eleganter ſcriptus, & picturis ornatus, ſaeculo XII. Praecedunt Canones Euſebii. In fine ſunt *ἀρχοτελείαι*, & Menologium, ſcripta diverſa manu, in cuius calce legitur: *τέλος σὺν θεῷ ἁγίῳ τοῦ μηνολογίου. ἀμὴν ,ϛυιη'. σεπτέβριος. Finis cum Deo Sancto Menologii. Amen. 6418. Septembri.* Chriſti videlicet DCCCCX.

XV. CODEX membranaceus eiusdem Bibliothecae, *Plut. VI. n. 25.* ſcriptus ſaeculo XII. continens IV. Evangelia, quae praecedit Synaxarium.

XVI. CODEX membranaceus in 4. eiusdem Bibliothecae, *Plut. VI. n. 11.* ſcriptus ſaeculo XII. continens IV. Evangelia.

XVII. CODEX membranaceus in 8., Bibliothecae B. Mariae, continens quatuor Evangelia, ſcriptus ſaeculo X. Evangeliis praefiguntur canones. Evangelio Matthaei praemitttur index capitum numero LXVIII. & *ὑπόθεσις*. In fine adnotatur annus, & locus, quo ſcri-

ptum fuit, hoc eſt VIII. poſt Adſcenſionem anno, & Ieroſolymis; & numerus verſuum ωχ'. MMDC., nam legendum eſt ,βχ'. Item ſcholia & expoſitiones in quaedam loca Matthaei adponuntur, & Iambi quidam in Matthaeum. Alia Evangelia eodem modo habent, niſi quod verſus Iambi praecedunt, ſicuti expoſitiones illae, quarum quaedam ex *Ioanne Chryſoſtomo*, & *Severiano*, & *Iſidoro*, deſumtae ſunt. Lucae tamen Evangelium aliae quaedam expoſitiones ſubſequuntur. In Evangelio Ioannis Iambi in fine ſcripti ſunt. Praecedit index Capitum XIX. Decimum caput omiſſum fuerat, & extra ordinem in fronte recenſitum eſt περὶ μοιχαλίδος, *De Adultera*, cuius hiſtoria in ipſo evangelio exſtat. Scriptio eſt ſaeculi XII. Iambi autem memorati ſunt qui ſequuntur:

Στίχοι εἰς τὸν Εὐαγγελιστὴν Ματθαῖον.

Σελατφόροις λάμψεσι τοῦ παρακλήτου
Τὸν νοῦν ἐλλαμφθεὶς, ὦ ματθαῖε θεόπτα,
Τὴν τοῦ λόγου σάρκωσιν ἀφράστῳ τρόπῳ
Κατήγγελας ἄριστα τῇ χθονὶ πάσῃ.

Στίχοι εἰς τὸν Εὐαγγελιστὴν Μάρκον.

Πέτρου μιμητὴς μάρκος ὀφθεὶς τοῖς τρόποις
Δίκαιον οὐκ ἔκρινε μὴ καὶ τοῖς λόγοις
Εἶναι μιμητὴν αὐτὸν, ὡς καὶ τοῦ τρόπου
Διὸ βραχὺν θεὶς τοῦ μακροῦ λόγου λόγον.
Μικρὰ μὲν εἶπε ῥήματ' εὐλογιστίας:
Ἑνὸς δὲ μὴ δέοντα τῶν λοιπῶν ὅρου.

Στίχοι εἰς Εὐαγγελιστὴν λουκᾶν.

Τὸν συνάναρχον τῷ πατρὶ θεὸν λόγον
Ἐβροντήσας ἄριστα σεσαρκώμενον
Κηρύξας αὐτοῦ τὴν ἐν γῇ παρουσίαν
Ὦ λουκᾶ μάκαρ, ἐκ θεήπαιδος κόρης.

Στίχοι εἰς Εὐαγγελιστὴν θεολόγον τὸν ἅγιον Ἰωάννην.

Αἴγλῃ τριφεγγεῖ τὸν νοῦν λελαμπρωμένος
Ἤστραψας κόσμῳ, βροντήσας ἀριδήλως

Τρά-

Τράνων τε τὴν σάρκωσιν τῦ θεἰϰ λόγου
Ὦ θεολόγε, γενεβροντῆς ἐυθέως.

Verſus in Evangeliſtam Matthaeum.

Luciferis radiis Paracleti
Mentem illuſtratus, o Matthaee Dei contemplator,
Verbi incarnationem ineffabili modo
Adnunciaſti optime terrae univerſae.

Verſus in Evangeliſtam Marcum

Petri imitator Marcus viſus moribus
Iuſtum non iudicavit haud etiam verbis
Eſſe imitatorem ipſum, ut etiam morum.
Propterea quum poſuiſſet longi ſermonis rationem
Parva quidem dixit verba rationis bene compoſitae,
Vnius autem non indigentia reliquorum termini.

Verſus in Evangeliſtam Lucam

Principio carens iuxta ac Pater Deum Verbum
Intonuiſti optime incarnatum
Quum praedicaſſes eius in terra praeſentiam,
O Luca beate, ex Deifilia puella.

Verſus in Evangeliſtam Theologum S. Ioannem.

Splendida tergemina luce mentem illuſtratus
Adfulſiſti mundo, quum intonuiſſes manifeſte
Declarans incarnationem divini Verbi,
O Theologe, fili tonitrui, adflatu divino.

XVIII. CODEX membranaceus Graecus, Bibliothecae Divi Marci, continens IV. Evangelia, ſcriptus ſaecul. XI. Evangelii Matthaei Capita ξή. LXVIII. recenſentur. Marci conſtat Capit. μέ. XLV. In fine ϛίχοι ,αχ'. MDC. Lucae Evangelii Capita πγ'. LXXXIII. in fine ϛίχοι ,Βω'. MMDCCC. Ioannis Cap. IH'. XVIII. in fine ϛίχοι ,BT'. MMCCC. In fine vero Evangelii Marci & Lucae adnotatum eſt tempus quo illi Evangeliſtae ſcripſerunt. Nullus Prologus, nullum argumentum.

elegan-
ter

Thibis scripbDett: De hereditate Nicolaide
Nicoly

Google

XIX. CODEX membranaceus in 4. Graecus elegantiſſime ſcriptus ſaeculo X. Bibliothecae B. Mariae, continens 4. Evangelia; & imaginibus Evangeliſtarum ornatus, de quibus loquitur *Monsfalconius Diar. Ital. cap. XXV.* & nos *Cap. XII. pag.* 198. & hoc *§. IV. n. IX. & XI.* mentionem fecimus. Praecedunt Epiſtola Euſebii ad Carpianum, & eius Evangeliorum Canones. Deinde ſeries Capitum Matthaei ξή. LXVIII. Habet praeter argumenta margini adſcripta, & lectiones cuiuslibet diei, etiam ſcholia quaedam in ora libri, & quidem cinnabari exarata. Capita Marci ſunt μή. XLVIII. Lucae πγ'. LXXXIII. Ioannis ιή. XVIII. In fine Evangelii Ioannis adponitur excerptum ex Oratione *Gregorii Theologi adverſus Arianos*, ubi is rationem reddit cur non pluria quatuor neque minora ſint Evangelia: cuius loci ſimiles plures congeſſit *Fabricius In Apocryphis N. T. Par. I. in fine*. Subditur etiam interpretatio genealogiae Chriſti, ac deinde ſequitur index Evangeliorum, quae per annum leguntur, ſeu Synaxarium.

XX. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae Laurentianae, *Plut. VI. n.* 33. continens IV. Evangelia cum commentariis, ſcriptus ſaeculo XI. In fine Evangelii Lucae adnotantur verſus ,βώ. 2800. & exſtat Ioannis Evangeliſtae ſcribentis imago.

XXI. CODEX Chartaceus in folio, Bibliothecae Riccardianae, *Pluteo K. ordine I. n. XI.* ἀκέφαλος καὶ ἀτελὴς, ſcriptus ſaeculo XIV. continens quatuor Evangelia cum Commentariis *Theophylacti*. Argumenta capitum in ſuperiore ora libri adſcripta ſunt: in margine pariter adnotantur numeri verſuum, & περικοπαὶ, quae in Eccleſia leguntur. Evangelio Marci haec praemittuntur. Ἀρχὴ τοῦ Εὐαγγελίου τοῦ κατὰ

Μάρ-

Μάρκον. Ἑρμηνεία τῦ αὐτῦ. Initium: Τὸ κατὰ Μάρκον Εὐαγγέλιον μετὰ δέκα ἔτη τῆ τῦ χριςῦ ἀναλήψεως συνεγράφη ἐν ῥώμῃ κτλ. *Evangelium ſecundum Marcum poſt decem annos ab adſumtione Chriſti Romae conſcriptum fuit &c.*

Evangelium Lucae haec antevertunt:

Εἰς τὴν σύλληψιν τῦ προδρόμυ. ΛΟΥΚΑ ΕΥΑΓΓΕΛΙΟΝ.

Τῦ αὐτῦ συντομὴ διαφόρων ἐξηγητῶν εἰς τὸ κατὰ Λυκᾶν Εὐαγγέλιον μετὰ καὶ τινῶν ἰδίων ἐπιτάσεων.

Λυκᾶς ὁ θεῖος, ἀντιοχεὺς μὲν ἦν, ἰατρὸς δὲ καὶ τὴν ἔξω σοφίαν πολύς· ὐ μόνην, ἀλλὰ καὶ τὴν ἑβραϊκὴν παιδείαν ἐξησκήσατο κτλ.

In comprehenſionem Prodromi. LVCAE EVANGELIVM.

Eiusdem compendium diverſorum Expoſitorum in Evangelium ſecundum Lucam; cum quibusdam etiam propriis additionibus.

Lucas divinus, Antiochenus quidem erat; medicus vero, & profana ſapientia admodum inſtructus: nec ea ſola, ſed Ebraica etiam eruditione exercitatus fuerat, &c.

Ante Ioannis Evangelium haec habentur: Τῦ αὐτῦ συντομὴ τῶν τῦ Χρυσοςόμυ ἐξηγητικῶν εἰς τὸ κατὰ Ἰωάννην ἅγιον Εὐαγγέλιον.

Ἡ τῦ πνεύματος δύναμις, ἐν ἀσθενείᾳ τελειῦται καθὰ γέγραπται καὶ πιςεύομεν.

Eiusdem compendium enarrationum Chryſoſtomi in Sanctum Evangelium ſecundum Ioannem.

Spiritus virtus in infirmitate perficitur, ſicuti ſcriptum eſt, & credimus, &c. ut ſuperius *numer. V. pag.* 225. videre quoque eſt.

Initium commentariorum ita habet: Ὅπερ καὶ ἐν προοιμίοις εἶπον πάλιν καὶ τῦτο ἐρῶ &c. *Quod etiam in prooemiis dixi, iterum quoque hoc dico, &c.*

Ini.

Initium commentariorum in Lucam tale eſt: τίνες ἦσαν οἱ πολλοὶ οὗτοι οἱ ἐπιχειρήσαντες; &c. *Qui nam erant hi multi, qui adgreſſi ſunt? &c.*

Initium enarrationum in Marcum ita ſcribitur: Ἰωάννην τὸν τελευταῖον τῶν προφητῶν. *Ioannem Prophetarum ultimum.*

XXII. CODEX chartaceus in folio, Bibliothecae Laurentianae, *Plut. VI. num. 26.* ſcriptus ſaeculo XIV. continens IV. Evangelia cum commentariis Theophylacti hoc titulo: Τοῦ μακαρίου Θεοφυλάκτου ἀρχιεπισκόπου Βουλγαρίας ἐξήγησις εἰς τὸ θεῖον καὶ ἅγιον εὐαγγέλιον. *Beati Theophylacti Archiepiſcopi Bulgariae enarratio in divinum & ſanctum Evangelium.* In fine commentariorum in Evangelium Ioannis ſcriptum eſt:

Νέαν Ἐδὲμ νόμιζε τήνδε τὴν βίβλον
Μερισμὸν εἰς τέσσαρας ἀρχὰς λαμβάνειν
Εὐαγγελιστῶν τοὺς θεοπνεύστους λόγους,
Ἐξ ἧς ποταμὸς γνώσεως εἰσεκρέων
Τοῦ πνεύματος γάρ ἐστιν ἡ χάρις μία.
Novam Edem puta hunc librum
Partitionem in quatuor principia accipere
Evangeliſtarum divinitus inſpiratos ſermones
Ex quo flumen ſcientiae effluens
Spiritus eſt gratia una.

Deinde ſequitur ſermo quidam: πρὸς τοὺς ἐρομένους ὁ λόγος, τί ἐστι τὸ ἐν τοῖς ἀναβαθμοῖς γεγραμμένον ἁγίῳ πνεύματι; In eo agitur de Pſalmis XV. gradualibus.

XXIII. CODEX membranaceus in folio Bibliothecae eiusdem, *Plut. XI. num. 6.* ſcriptus ſaeculo XII. continens Commentarios Theophylacti in IV. Evangelia. Series Capitum praeponitur ſeu poſtponitur, excepto Evangelio Matthaei. Ante Evangelium Lucae ſunt verſus, Τρίτος δὲ λουκᾶς &c. quos alibi attulimus.

XXIV.

Digitized by Google

XXIV. CODEX membranaceus in folio, eiusdem Bibliothecae eodem *Pluteo num.* 8. eadem continens, ſcriptus ſaeculo XIII.

XXV. CODEX chartaceus in folio, eiusdem Bibliothecae eodem *Plut. n.* 18. continens pariter Theophylacti Commentarios in Evangelia, ſcriptus ſaeculo XIV. Quaedam in ora libri Latine adnotantur.

XXVI. CODEX membranaceus in 4. Bibliothecae Laurentianae, *Plut. VIII. num.* 12. ſcriptus ſaeculo XI. continet catenam ex SS. Patribus in IV. Evangelia. Initio ita Latine ſcriptum eſt: *Expoſitio Ioannis Chryſoſtomi atque aliorum doctorum ſuper quatuor Evangeliſtas, Matthaeum .ſ., Marcum, Lucam, & Iohannem.*

Super Matthaeum quidem incipit in carta 9.
Super Marcum in carta 181.
Super Lucam in carta 210.
Super Iohannem in carta 274.
Habet autem hic liber cartas CCCLXIX. *videlicet* 369. *quas ſignavi & numeravi die* 15. *Iunii* 1472.

Prioribus paginis in eſt quoddam Evangelii ἀποστασμάτιον diverſa manu ſcriptum: deinde ſequuntur ſeries capitum quatuor Evangeliorum: atque rationes cur quatuor ſint Evangelia, cinnabari ſcripta; quo quidem etiam τὸ κάμενον Evangeliorum ſcriptum eſt. Ante quodlibet Evangelium imago Evangeliſtae ſcribentis eſt, niſi quod Ioannes non ſcribit, ſed dictat amanuenſi ſcribenti. Ante Evangelium Matthaei ſunt verſus qui ſequuntur:

Πολλῶν πόνων ἔρανον ἠκριβωμένον
Οὐδὲν πέριττὸν, οὐδὲν λεῖπον ἔνθαδε
Τὰ πάντα δὲ ὡς χρὴ, καὶ καλῶς ἐσκεμμένα
Καί τι πλέον φέροντα τολμήσας λέγω.
Χάρις δὲ πᾶσα τῷ σοφῷ χρυσοςόμῳ

Mul-

Multorum laborum collectionem exactam ,
Nihil ſuperfluum , neque deficiens hic ,
Omnia , ut oportet , & probe conſiderata ,
Et aliquid plus ferentia , confidens dico.
Gratia vero omnis ſapienti Chryſoſtomo.
Εὐαγγελισαὶ μὲν συγγραφέες τέσαρες , Εὐαγγέλια δὲ
Ἔσι οἱ τέσαρά γε τ Ἰησȣ̃ χρισȣ̃ ἐνανθρωπήσεως ,
Καὶ τὰς διδασκαλίας , καὶ τὰ θαύματα
Συνεγράψαντο , καὶ σύμπαντος δὲ οἱ ἓν τέλει
Στόμα μίαν πίσιν εὐαγγελίσαντος , λέγονται δὲ
Καταχρησικῶς , καὶ τέσαρα Εὐαγγέλια
Τὰ τῶν τεσάρων συγγράμματα διὰ
Τὸ ἰδιόκληρον ἑκάσȣ συγγράμματος .
Evangeliſtae quidem ſcriptores quatuor , Evangelia vero
Sunt quatuor Ieſu Chriſti incarnationis ,
Et doctrinam , & miracula
Conſcripſerunt ; cuiuſque vero unum eſt
Os unam fidem adnunciantis ; dicuntur autem
Abuſive etiam quatuor Evangelia
Quatuor horum Commentarii , propter
Proprietatem cuiuslibet Commentarii .

In fine quaedam adnotata ſunt quae ſacros ordines reſpiciunt , ſed brevia admodum .

XXVII. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae Laurentianae, *Plut. VI n.* 34. ſcriptus ſaeculo XI. , continens quatuor Evangelia, cum commentariis, quorum initium βίβλος τῆς γενέσεώς ἐσι τ γενομένου ἐκ σπέρματος δάβιδ κατὰ σάρκα &c. Ante Evangelium Matthaei aliquid deeſſe videtur, quod ante alia Evangelia habetur, ὑπόθεσις ſcilicet, & index capitum. Evangelio Marci praecedit Εὐσεβίȣ ὑπόθεσις cuius initium: κατὰ Μάρκον τὸ Εὐαγγέλιον &c. & verſus quatuor conſueti , quos ſuperius *n. XVII. pag.* 230. attulimus. Evangelio quoque Lucae praefigitur ὑπόθεσις

θεσις Euſebii, & index capitum, & quae ſequuntur Epigrammata.

Ἐπίγραμμα εἰς τὸν ἅγιον Λουκᾶν.

Τρίτος δὲ Λουκᾶς ῥητορεύει μειζόνως
Τοῦ μεχρὶν ἡμῶν μετριωθέντος λόγου
Τὴν παιδικὴν αὔξησιν, εἶτα καὶ μέσην,
Καὶ τὴν τελείαν τῆς θεώσεως χάριν:
Παῦλον γὰρ ἔσχεν, τεχνικὸν παιδοτρίβην.

Ἡρωελεγεῖα

Λουκᾶς ἠπιόθυμος ἀκεσορίης ἐπιίστωρ
Ἀθανάτου χριστοῖο γένος καὶ θέσκελα ἔργα
Ἀτρέκεως κατέλεξε, καὶ ὡς θάνεν ἄμμε σαώσας
Καὶ πάλιν ἐκ τύμβοιο θορών, μερόπεσσιν ἐδείχθη
Ἔνθεν οὐρανίην ὕπερ ἄντυγα πατρὶ φαάνθη.

Epigramma in Sanctum Lucam.

Tertius autem Lucas eloquitur grandius
Contracti in noſtram menſuram Verbi
Puerile augmentum, & deinde mediam,
Et perfectam Deificationis gratiam:
Paulum enim habuit artificioſum praeceptorem.

Heroëlegia

Lucas manſuetus medicae artis peritus
Immortalis Chriſti genus, & divina opera
Vere deſcripſit, & ut mortuus eſt, quum nos ſervaſſet;
Atque iterum ex ſepulcro exſiliens, mortalibus monſtratus eſt;
Hinc ſuper coeleſte culmen Patri adparuit.

Evangelium quoque Ioannis praecedit ὑπόθεσις Euſebii, non autem ſeries capitum. In huius fine haec leguntur: Πολλαί εἰσιν αἰτίαι τοῦ ταπεινὰ φθέγγεσθαι περὶ ἑαυτοῦ τὸν Χριστόν. Τὸ μὴ ἀγέννητον αὐτὸν νομισθῆναι. τὸ μὴ ἀντὶ θεοῦ τὸ σάρκα περιβεβλῆσθαι. τὸ ἀσθενὲς τῶν ἀκουόντων· τὸ διδάσκειν τοὺς ἀνθρώπους μετριάζειν. καὶ μηδὲν περὶ ἑαυτῶν λέγειν μέγα. τοῦ δὲ ὑψηλὰ φθέγγεσθαι, μίαν ἂν εὕροι

τις

τις αἰτίαν, τὸ μέγεθος τῆς θείας αὐτοῦ φύσεως. *Multae cauſſae ſunt cur humilia de ſeipſo Chriſtus ſonet: ne ingenitus ipſe putaretur, nec tamquam Deus carne circumamiciri: audientium imbecillitas: ut homines moderatos eſſe doceret, & nihil de ſeipſis magnum dicere: alta autem loquendi, unam tantum inveniat quis cauſam, divinae ipſius naturae magnitudinem.* Sequitur deinde Synaxarium & Menologium. In fine diverſa manu & atramento. ... τελειώθη ἐν. . . . . (deletum eſt) τὸ παρὸν τετρευάγγελον. . . . . (deletum eſt) τῷ μηνὶ μαίῳ τῇ η̄ ἰνδ. χάριν μνήμης τῶν αὐτοῦ συγγενῶν· ὧν καὶ τὰ ὀνόματά εἰσιν ταῦτα· μνήσθητι κύριε τὴν ψυχὴν τοῦ δούλου σου νικήτα καὶ μαξίμου . . . . καὶ ἀναπαύσεως αὐτῶν. Recenti manu Latine. *Liber Monaſterii S. Salvatoris de Septimo Ord. Ciſtercienſ.* Conſule §. *ſequentem num. ultimo.*

Codices alicuius Evangelii.

§. V.

XXVIII. CODEX Chartaceus, ſaeculi XV. Graecus, Bibliothecae privatae *Gabrielis Riccardii*, continet Evangelium, Apocalypſin, & tres Epiſtolas B. Ioannis, in quarum prima *Cap. V.* deeſt *verſ. ſeptimus*. His ſuccedit Epiſtola Platonis ad Dionyſium, & Epinomis. Forte quia in his Platonis Operibus περὶ λόγου, & περὶ τριάδος δημιουργικῆς, agitur. In fronte ſcriptum eſt: Κόσμου τοῦ Ὀρικελλαρίου καὶ τῶν φίλων. *Coſmae Oricellarii & amicorum.*

XXIX. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae S. Mariae, ſcriptus XI. ſaeculo, continens

Ca-

Catenam in Matthaei Evangelium. Textus Evangelii cinnabari ſcriptus eſt. Codex eſt initio mutilus; & in ora ſcriptae interdum ſunt adnotationes quaedam, ſed recentiori manu.

XXX. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae S. Mariae, ſcriptus, iudice *Montefalconio*, ſaeculo XIII. continet Catenam in Evangelium Lucae, contextam ex dictis Chryſoſtomi, Gregorii Nazianzeni, Gregorii Nyſſeni, Iſidori, Theodoreti, Maximi, Nicetae, Baſilii, Cyrilli Alexandrini, & Ieroſolymitani, Athanaſii, Photii, Titi, Origenis, Euſebii, Nili, Metrophanis, Simeonis, Epiphanii, Apollinarii, Severi, Aſterii, Victoris, Damaſceni, Climaci, Clementis Stromataei, Evagrii, Macarii, Macri Monachi, Methodii, Theodori Mopſueſteni, & Anonymi. Textus cinnabari ſcriptus eſt.

XXXI. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae Laurentianae, *Pluteo VI. num.* 5. continens Ioannis Chryſoſtomi Commentarios in Matthaeum, Lucam, & Ioannem; & catenam in Epiſtolas Catholicas. Scriptus ſaeculo XIII.

XXXII. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae Laurentianae, *Plut. VII. num.* 10. ſcriptus ſaeculo XI., continens Gregorii Nazianzeni carmina, & Nonni Panopolitani Paraphraſin Evangelii Ioannis, quae quidem in fine mutila eſt.

XXXIII. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae Laurentianae, *Plut. VIII. num.* 4. continens expoſitionem Ioannis Chryſoſtomi in Evangelium ſecundum Ioannem. Scriptus eſt ſaeculo XI.

XXXIV. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae Laurentianae, *Pluteo VIII. num.* 5. ſcriptus ſaeculo X. continens XLV. homilias Ioannis Chryſoſtomi in Evangelium ſecundum Matthaeum.

XXXV.

XXXV. CODEX chartaceus in folio, Bibliothecae ~~eiuſdem~~, *Pluteo* ~~*eodem*~~, *num.* 24. continens Expoſitionem Ioannis Chryſoſtomi in Evangelium Ioannis. In margine quaedam Scholia adſcripta ſunt cinnabari, & quidem prolixa. Scriptus eſt ſaeculo XIV.

Laurentianae — VIII.

XXXVI. CODEX membranaceus in folio, eiuſdem Bibliothecae, eodem *Pluteo num.* 29. ſcriptus ſaeculo X. continens Expoſitionem brevem *ἑρμηνείαν σύντομον* Ioannis Chryſoſtomi in Evangelium Matthaei.

XXXVII. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae Laurentianae, *Plut. IX. num.* 5. ſcriptus ſaeculo XII. continet Expoſitionem Ioannis Chryſoſtomi in Evangelium Matthaei.

XXXVIII. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae Laurentianae, *Plut. IX. num.* 25. ſcriptus ſaeculo XII. continet homilias Io. Chryſoſtomi in Ioannem, iudice *Langio*; ſed videtur ſecunda pars homiliarum, nam prima huius Codicis homilia, eſt XLVI.

XXXIX. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae Laurentianae, *Plut. IX. num.* 34. ſcriptus ſaeculo XII. Continet Expoſitionem Ioannis Chryſoſtomi in Matthaeum.

+ XXXX. Codex chartaceus in folio Bibliothecae Richardianae Plut. K. Ord. III. n. XXXV. continens enarrationem Evangelii secundum Matthaeum ab anonymo compositam.

Codi-

§. VI.

Codices Synaxariorum Evangelicorum.

XXXX. CODEX membranaceus praegrandis, Bibliothecae Laurentianae, *Plut. VI. numer.* 2. ſcriptus ſaeculo XI. (quamquam, quum mutilus eſſet, recentiori manu ſuppletus eſt) a Georgio Longo ſacerdote videlicet, ut intelligitur ex verbis quae in fine ſcripta ſunt: ἐν ταῖς εὐχαῖς σου μέμνησόν μοι πάτερ, τοῦ εὐτελοῦς ἱερέως γεωργίου τοῦ μακροῦ, καὶ ἁμαρτωλοῦ. *In Orationibus tuis memento mei, Pater, vilis ſacerdotis Georgii Longi, & peccatoris.* Hunc Georgium recenſet *Monsfalconius Palaeog. Lib. I. cap. VIII.* inter alios Calligraphos, hoc Codice laudato. Manus haec eſt ſaeculi XV. circiter. Praefiguntur huic volumini carmina recenti pariter manu exarata, eaque inſcripta ſunt ab Arſenio Monembaſiae Archiepiſcopo Clementi VII. Pontif. Max. quorum initium:

Ἄλλος μὲν ἄλλα τοῖς φίλοις φέρει δῶρα
Οἷον λίθων ἔκλαμψιν, αὐγὴν μαργαριτῶν,
Χρυσὸν καθαρὸν κτλ.

E regione autem Latina interpretatio adſcripta eſt:

Alius quidem alia amicis dona fert,
Videlicet lapidum nitorem, fulgorem margaritarum,
Aurum purum &c.

Deinde ait ſe adferre Clementi Dei ſermones, hunc librum obferendo.

Ἐγὼ δὲ φωνὰς τοῦ θεοῦ προσκομίζω
Κλήμεντι ῥώμης τῷ παναγιωτάτῳ

Οἰκουμενικῷ πατρὶ καὶ διδασκάλῳ.
Ego vero Dei voces adporto
Clementi Romae ſanctiſſimo,
Terrarum orbis parenti, & magiſtro.

In fine tandem hi quatuor verſiculi adduntur

Τοῦ αὐτοῦ εἰς τὸν αὐτόν.

Πεινῶ πρόεδρε, καὶ φάγειν ἴσως θέλων
Πρὸς τὴν ἀμολγὴν τῆς χρυσῆς θηλῆς βλέπω.
Εἰ δ' ἄργυρον δήπουθεν ἐξοίσεις γάλα
Θρέψει με δὴ καὶ τοῦτο· μὴ μέλλε πλέον.

Eiusdem ad eumdem.

Eſurio Praeſul, & comedere fortaſſe volens,
Ad mulctram aureae papillae reſpicio.
Quod ſi & argenteum utique lac emiſeris,
Nutriet me id quoque: ne ultra cunctare.

XXXXI. Codex membranaceus in folio, eiusdem Bibliothecae, *Plut. VI. n.* 31. eleganter & uncialibus litteris ſaeculo XI. ſcriptus.

XLII. CODEX membranaceus in folio, eiuſdem Bibliothecae, *Plut. VI. n.* 21. eleganter & uncialibus litteris ſaeculo IX. ſcriptus. In tribus hiſce Codicibus, initio Evangelio Ioannis legitur: *καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἓν ὃ γέγονε.*

XLIII. CODEX membranaceus in folio eiusdem Bibliothecae, *Plut. VI. num.* 7. continens Lectiones Evangeliorum per annum, ſcriptus eleganter ſaeculo IX. deſinente, ut videtur. Hunc *Langius* Codicem pulcerrimum vocat.

XLIV. EVANGELISTARIVM Graecum, ſeu Synaxarium, membranaceum, ſaeculi XI. Bibliothecae D. Marci.

XLV. CODEX membranaceus in folio, in Gazophylacio Sereniſſimi Magni Etruriae Ducis exſiſtens inter ſacra Lararii Veteris Palatii cimelia, au-

Initio scriptum: Ex hereditate Nicolai de Nicoly.

aureis litteris ſaeculo IX. vel X. exaratus, continens Synaxarium.

XLVI. CODEX membranaceus in folio eiusdem Gazophylacii, eadem aetate ſcriptus, idem compleCtitur. Horum meminimus ſuperius §. I. *pag.* 206.

Codices Actuum, & Epiſtolarum, & Apocalypſeos.

§. VII.

XLVII. CODEX membranaceus parvus Bibliothecae Mediceae Laurentianae, *Pluteo IV. num.* 32. continet ea, quae ſequuntur. Sunt autem,

Iambi morales iuxta elementorum ordinem.

Ἀρχοτελεῖαι τῶ Ἀποςόλυ κεφαλαίων κυριακῶν. Et ſunt initia & fines cuiuſcumque capitis Epiſtolarum Divi Pauli.

Dorothei Epiſcopi Tyri De LXX. Diſcipulis, & De XII. Apoſtolis liber.

Ἑρμηνεία τῶν η' τῆς κακίας λόγων. *Interpretatio VIII. malitiae ſermonum.*

Ὑπόθεσις τῆς βίβλυ τῶν πράξεων. *Argumentum libri Actuum.*

Ἔκθεσις κεφαλαίων τῶν πράξεων τῶν ἀποςόλων. *Expoſitio capitum Actuum Apoſtolorum.* In fine autem huius expoſitionis habetur: Τὰ ὅλα μ'. τὰ δὲ τύτοις ἑπόμενα μέ., ἅτινα τὰς σημειώσεις ἔχυσιν διὰ κινναβάρεως. *Vniverſa XL.; quae autem conſequuntur XLV. quae habent adnotationes cinnabari ſcriptas.*

Textus ita in capitum ſubdiviſiones diſtributus eſt, ut quaelibet, littera prima cinnabari ſcripta, diſtinguatur, quae quidem littera in oram libri excurrit, & altius incipit. Capita vero non ſunt diviſa; ſed cuiuslibet capitis argumentum in ora libri ſuperiore cinnabari ſcriptum eſt. In fronte Actuum ita ſcriptum habetur: Τῇ ἁγίᾳ καὶ μεγάλῃ κυριακῇ τοῦ πάσχατος, καὶ εἰς ἁγίαν ἀνάστασιν. Πράξεις τῶν ἁγίων Ἀποστόλων. Ἀνάγνωσμα ά. *Sancta & magna Dominica Paſchatis, & in ſanctam Reſurrectionem. Actus ſanctorum Apoſtolorum. Lectio I.* Ceterae vero lectiones, quae per annum in Eccleſia habentur, notantur in margine, ut paſſim fit in huiuſmodi Codicibus MSS.

Actus Apoſtolorum excipiunt Epiſtolae Catholicae ſolito ordine diſpoſitae; quarum cuilibet ὑπόθεσις & index capitum praemittuntur. In fine cuiuslibet Epiſtolae verſuum numerus adſcribitur, & Epiſtolae quidem Iacobi στίχοι σμβ'. *verſ. CCXXXXII.* In fine expoſitionis capitum Epiſtolae I. Ioannis ita legitur: βίβλος Ἰωάννου ά καὶ πρεσβυτέρου τοῦ ἀσηκρητῖς τοῦ ἐπονομαζομένου τζούτζουνα. *Liber Ioannis .... & Presbyteri, a ſecretis, cognomento Tzutzunae.* Epiſtola autem inſcribitur: Εὐαγγελικὴ θεολογία χριστοῦ. *Evangelica Chriſti Theologia.* In fine eiusdem primae Epiſtolae haec ſcripta ſunt: Ἰωάννου Εὐαγγελίστου ἐπιστολὴ ά. γραφεῖσα ἀπὸ ἐφέσου. στίχοι σοδ'. *Ioannis Evangeliſtae Epiſtola I. ſcripta Epheſo. Verſus CCLXXIV.* In fine vero recenſitorum capitum Epiſtolae II. Ioannis haec habentur: Ἰωάννου ά καὶ πρεσβυτέρου τοῦ τζούτζουνα, καὶ καλῆς ά τῆς μητρὸς αὐτοῦ, γάμβρου δὲ τοῦ κυροῦ μανουὴλ τοῦ μαρουδίας. Οἱ ἀναγινώσκοντες τὴν θείαν δέλτον ταύτην εὔχεσθαι ὑπὲρ ἡμετέρων τῶν ἐλαχίστων καὶ εὐτελῶν τῶν ἐκ πόθου πολλοῦ κτησαμένων. ἡμέρα δεκέμβριος ιβ'. ἰνδ.

ἰνδ. ά. ἔτȣς ϛχα'. Ioannis .... & Presbyteri Tzutzunae, & Pulcrae ..... matris eius, generi vero Domni Manuelis Marondiae. Legentes divinum hunc librum orate pro nobis minimis & abiectis, qui multo deſiderio eum poſſedimus. Die XII. Decembris Indictione I. Anno MMMMMMDCI. Hoc eſt anno Chriſti MXCIII. Erravit ille, qui in eo Codice ſcripſit: *Anno ab* O. C. 6061. debuiſſet: 6601. Epiſtola autem II. Ioannis inſcribitur: πρὸς πάρθȣς. *Ad Parthos*. In fine Epiſtolae: ϛίχοι λ'. *Verſus XXX.* In fine autem tertiae Epiſtolae: ϛίχοι λβ'. *Verſus XXXII.* Epiſtolae vero *I. Cap. V.* deeſt verſiculus *VII.* Epiſtola Iudae inſcribitur: Ἰȣδα ἀποϛόλȣ κ.τ.λ. & in fine ϛίχοι ξή. *Verſus LXVIII.*

Haſce Epiſtolas ſubſequuntur Epiſtolae Pauli, quibus ſingulis argumentum praeponitur, & capitum ſeries; & in fine ſingularum adnotantur loca, ex quibus ſcriptae fuerunt, & numeri verſuum. In fine Apocalypſeos eſt Lexicon Alphabeticum τȣ̃ Ἀποϛόλȣ *Apoſtoli*, ut inſcribitur, & Lexicon Cyrilli. In fine Epiſtolae ad Romanos adnotatur hunc librum ſcriptum fuiſſe opera Ἰωάννȣ &c. ut ſupra τȣ̃ ἀσηκρήτις, γάμβρȣ δὲ τȣ̃ κυρίȣ Μανȣὴλ, θέματος τȣ̃ αἰγέȣ πελάγȣ, βάνδȣ τȣ̃ λάκκȣ τὰ μιτάτα. καὶ καλῆς τῆς μητρὸς αὐτȣ̃ κτλ. ut ſupra, μηνὸς δεκεμβρίȣ ιβ'. ἰνδ. ά. ἔτους ϛχά. βασιλεύοντος Ἀλεξίȣ τȣ̃ Κομνηνȣ̃, καὶ κυρȣ̃ Νικολάȣ Πατριάρχȣ παμπρέπȣς Κωνϛαντίνȣ πόλεως. *Ioannis &c.* uti ſupra, *Soceri Domini Manuelis, Thematis Aegei maris, Bandae lacus Mitata; & Pulcrae matris eius &c.* ut ſupra, *Menſis Decembris die XII. Indictione I. anno* 6601. (Chriſti MXCIII.) *imperante Alexio Comneno, & Domno Nicolao Patriarcha magnificae urbis Conſtantini*. Hic Codex illuſtrari poteſt iis, quae tradit *Lambecius Lib. III. tom. III. comment. pag.*

pag. 49. de Codice XXXIV. Theologico continente libros omnes Novi Teſtamenti, exceptis Evangeliis.

XLVIII. CODEX membranaceus, forma quarti, Bibliothecae Laurentianae, *Pluteo VI. n.* 30. eleganter ſaeculo XI. ſcriptus, continens Acta Apoſtolorum, Epiſtolas Catholicas, D. Pauli, & Apocalypſin. Epiſtolis ſingulis argumentum & ſeries capitum praemittuntur. Epiſtolae I. Ioannis *Cap. V.* deeſt *verſ.* 7.

Codices Actuum, & Epiſtolarum.

§. VIII.

XLIX. CODEX membranaceus in folio Bibliotheca S. Mariae Benedictinorum, continens Actus Apoſtolorum, & Epiſtolas; ſcriptus ſaeculo X.

Actus praecedit Prologus, & poſt Prologum numerus verſuum, quibus prologus conſtat. ςίχοι ρμ'. CXL. Deinde: ἀνακεφαλαίωσις τῶν ἀναγνώσεων καὶ ὧν ἔχουσι κεφαλαίων καὶ θείων μαρτυρίων καὶ ὅσον ἑκάςη τούτων ςίχων τύγχανει. *Recenſio lectionum, & capitum, quae habent, & divinorum teſtimoniorum, & quot verſibus harum quaelibet conſtat.* Nam in fine cuiuſvis capitis eſt numerus verſuum. Anacephalaeoſis autem incipit: ἐν τῇ βίβλῳ τῶν πράξεων τῶν Ἀποςόλων ἀναγνώσεις εἰσὶν ιϛ'. κεφάλαια μ'. μαρτυρίαι λ'. ςίχοι ͵βω'. *In Libro Actuum Apoſtolorum lectiones ſunt XVI. capita XL. teſtimonia XXX. verſus MMDCCC.* Argumenta capitum ſcribuntur in margine inferiori ut plurimum litteris maiuſculis.

Actis

Actis Apoſtolorum ſuccedunt Epiſtolae Catholicae, quarum ſingulas Prologus antevertit. In Epiſtola I. Ioannis *Cap. V.* deeſt *verſ. ſeptimus*. Singulas Epiſtolas praecedunt ἀνακεφαλαιώσεις capitum, & verſuum numeri &c.

Deinde ſequuntur Epiſtolae Paulinae XIV. cum Prologo generali prolixo in quo Martyrii Pauli hiſtoria, & temporis paſſionis eius, & anacephalaeoſi capitum, numero verſuum, lectionum per annum, & teſtimoniorum divinorum; prout in aliis libris ſuperioribus. Mox Prologus Epiſtolae ad Romanos, quem ſequitur alius Prologus cuius titulus: πρόλογος περὶ τȣ͂ ἁγίȣ παύλȣ. *Prologus de S. Paulo*. Poſtea ἀποδημίαι παύλȣ τ͂ Ἀποςόλȣ. *Itinera Pauli Apoſtoli*. Tandem argumentum Epiſtolae ad Romanos. Epiſtolae Pauli ſcriptae videntur alia manu ac ſuperiores libri, & alicubi vocantur βίβλος παύλου. *Liber Pauli*. Item omnes ſcholiis illuſtratae ſunt, & quidem utilibus, & omnibus hypotheſis praefigitur; atque in fine, unde quaelibet ſcripta ſit, & per quem miſſa, adnotatur. Epiſtolam ad Ebraeos tres hypotheſes praecedunt, quarum tertia *Theodoreti* inſcribitur. In fine cuiuslibet Epiſtolae numeri quoque verſuum adponuntur ut ex. g. ad Ebraeos ςίχοι ψν'. *verſus DCCL*. In fine autem Codicis ita ſcriptum eſt: ἐγράφη αὕτη ἡ δέλτος ἰνδ. ιβ'. ἔτȣς ,ςυςβ'. διὰ Θεοφυλάκτȣ πρεσβυτέρου ϗ νόμȣ διδασκάλȣ. *Scriptus eſt hic liber Indict. XII. anno 6492.* (Chriſti DCCCCLXXXIV.) *per Theophylactum Presbyterum & legis doctorem*. Huius Codicis meminit praeſtantiſſimus *Monsfalconius Palaeograph. Graec. lib. I. cap. VI. & VIII. & lib. IV. cap. IV. & Diar. Italic. cap. XXV.*

L. CODEX membranaceus, forma quarti, Bibliothecae Laurentianae, *Plut. VI. numer.* 29. ſcriptus

ſaeculo X., continens Actus Apoſtolorum, Epiſtolas Catholicas, & D. Pauli. Singulis Epiſtolis praemittuntur argumentum, & ſeries capitum. In Epiſtolae primae Ioannis *Cap. V.* deeſt *verſiculus VII.* Scholia quaedam eadem manu adnotata ſunt in margine; quaedam etiam diverſa manu. Inſuper Interpretatio quaedam Latina recenti manu inter lineas inſerta eſt. Codex elegans admodum.

LI. CODEX membranaceus, forma octavi, eiusdem Bibliothecae, & eodem *Pluteo numer.* 31. ſcriptus ſaeculo XI. continens Actus Apoſtolorum & Epiſtolas Catholicas, & Pauli Apoſtoli: ſed Epiſtolae ad Titum finis deeſt. Epiſtolis argumentum & ſeries capitum quibusdam praefiguntur. Petri ſecunda incipit: Σύμεων Πέτρος &c. Primae Ioannis, *Capite V.* deeſt *verſ.* 7.

LII. CODEX membranaceus praegrandis, Bibliothecae Laurentianae, *Plut. IV. num.* 1. continens Actus Apoſtolorum, Epiſtolas Catholicas, & Divi Pauli, ſcriptus ſub exitum ſeculi X. Epiſtolae habent argumentum ſingulae, ſeriem capitum, & in fine numerum verſuum. Actus Apoſtolorum ſcholiis illuſtrantur S. Ioannis Chryſoſtomi. Epiſtolae Pauli ſcholiis Nicetae Heracleenſis exponuntur; Epiſtolae autem Catholicae ſcholiis antiquis enarrantur. Epiſtolae I. Ioannis *Cap. V.* deeſt *verſ.* 7.

LIII. CODEX membranaceus in folio minori, Bibliothecae Laurentianae, *Plut. VIII. num.* 19. ſcriptus ſaeculo XII. continet Expoſitiones Ioannis Chryſoſtomi in Acta Apoſtolorum, & Epiſtolas Paulinas. Sed quum Codex in fine mutilus ſit, in Epiſtola ad Philemonem deſinit.

LIV. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae Laurentianae, *Plut. IX. num.* 6. ſcriptus ſaeculo

culo X. continet Homilias LV. Ioannis Chryſoſtomi in Acta Apoſtolorum; male initio Codicis adnotatum eſt LVI. In homilia I. deſunt quarta, & quincta pagina. In homilia XXXIV. deſunt ſexta & penultima. In fine eſt Opuſculum hoc titulo: *πράξεις τῶν ἁγίων ἀποστόλων πέτρου καὶ παύλου. Actus Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli*. In cuius margine haec adſcripta ſunt, manu recentiſſima: *Haec Homilia habetur etiam in Codice MSS. Monaſterii Graecorum S. Salvatoris in urbe Meſſana inter Opera S. Ioannis Chryſoſtomi. Item fuit reperta in Calabria in Monaſterio S. Mariae dicto a Trapezomate, & in Latinum verſa a Domino Conſtantino Laſcari, viro eruditiſſimo; quae omnia magnam fidem faciunt, quod ſit S. Chryſoſtomi*. Initium eſt: Ἐγένετο μετὰ τὸ ἐξελθεῖν τὸν ἅγιον παῦλον ἀπογαυδομελέτης τῆς νήσου κτλ.

LV. CODEX chartaceus in folio, Bibliothecae Laurentianae, *Plut. IV. num.* 5. ſcriptus circa finem XIII. ſaeculi continet commentarios Theophylacti in Acta Apoſtolorum & Epiſtolas D. Pauli.

Codices Epiſtolarum Pauli Apoſtoli.

§. IX.

LVI. CODEX Chartaceus Graecus ſaeculi XV. Bibliothecae privatae *Gabr. Riccardii*, continens Epiſtolas D. Pauli, quae habent inſcriptum idemtidem, in medio textu, cinnabari vel ἀρχή, vel τέλος. neſcio an ad diviſionem capitum, vel alia de cauſſa. In fine ſunt argumenta Epiſtolarum Latine. In calce: *Marſilii Ficini Florentini*.

LVII.

LVII. CODEX chartaceus in quarto, Bibliothecae Sanctae Mariae, ſcriptus ſaeculo XV. continens Epiſtolam D. Pauli ad Romanos a Theophylacto Bulgarorum Archiepiſcopo expoſitam. Titulus tamen ita habet: Ἐξήγησις εἰς τὰς τοῦ θεσπεσίου παύλου ἐπιστολὰς, ἐρανισθῆσα ἀπό τε τῶν χρυσοστομικῶν καὶ ἑτέρων διαφόρων ἁγίων καὶ ἐκτεθεῖσα ἀπὸ φωνῆς θεοφυλάκτου ἀρχιεπισκόπου βουλγαρίας. *Enarratio in Epiſtolas D. Pauli, ex dictis Chryſoſtomi, aliorumque diverſorum Sanctorum collecta, & expoſita ex ore Theophylacti Archiepiſcopi Bulgariae.*

LVIII. CODEX membranaceus in folio Bibliothecae Laurentianae, *Plut. VIII. num.* 2. ſcriptus ſaeculo X. continens Ioannis Chryſoſtomi Expoſitiones in duas Epiſtolas S. Pauli, ad Ebraeos, quae habet homilias XXXIV. & ad Epheſios, quae habet homilias XXIV.

LIX. CODEX chartaceus in folio, eiusdem Bibliothecae, *Plut. VIII. num.* 9. ſcriptus ſaeculo XIV. continens XXXIV. Ioannis Chryſoſtomi homilias in Epiſtolam ad Ebraeos. Titulus ita habet: Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν ἀρχιεπισκόπου κωνσταντινουπόλεως Ἰωάννου τοῦ χρυσοστόμου ἑρμηνεία εἰς τὴν πρὸς ἑβραίους πρώτην ἐπιστολήν. Κύριε εὐλόγησον. *Sancti Patris noſtri Archiepiſcopi Conſtantinopolis Ioannis Chriſoſtomi in Epiſtolam primam ad Ebraeos enarratio. Domine Benedicito.* Textus Epiſtolae ſcriptus eſt cinnabari.

LX. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae Laurentianae, *Pluteo VIII. num.* 11. continens Expoſitionem Ioannis Chryſoſtomi in Epiſtolam ad Ebraeos. τὸ κείμενον ſcriptum eſt cinnabari. Scriptio eſt ſaeculi XI.

LXI. CODEX membranaceus in folio, eiusdem Bibliothecae, *Pluteo VIII. num. 6.* ſcriptus ſaeculo XII.

XII. compleſtitur Expoſitionem Ioannis Chryſoſtomi in Epiſtolas ad Theſſalonicenſes, ad Timotheum, ad Ebraeos. Textus ſcriptus eſt cinnabari.

LXII. CODEX membranaceus in folio Bibliothecae Laurentianae, *Plut. IX. num.* 10. ſcriptus ſaeculo XIII. continet Expoſitiones Nicetae Metropolitae Heracleae in Epiſtolas D. Pauli. Titulus: 'Εξήγησις τοῦ μακαριωτάτου μητροπολίτου Νικήτα 'Ηρακλείας εἰς τὰς ἐπιστολὰς τοῦ ἁγίου παύλου τοῦ ἀποστόλου. *Enarratio beatiſſimi Metropolitae Nicetae Heracleae in Epiſtolas Sancti Pauli Apoſtoli.* At illud Νικήτα diverſa & recentiori manu ſcriptum eſt, & quidem ſupra lineam inter μητροπολίτην & 'Ηρακλείας.

LXIII. CODEX chartaceus in 4. Bibliothecae Laurentianae, *Plut. X. num.* 9. ſcriptus ſaeculo XIII. continet expoſitiones Theophylacti in Epiſtolas Pauli. Titulus: Ἐξήγησις σύντομος ἐν εἴδει παραφραστικῷ εἰς τὰς ἐπιστολὰς τοῦ ἁγίου ἀποστόλου συντεθεῖσα παρὰ θεοφυλάκτου τοῦ ἱερωτάτου ἀρχιεπισκόπου βουλγαρίας. 'Υπόθεσις τῆς πρὸς ῥωμαίους ἐπιστολῆς κτλ. 'Η συνεχὴς ἀνάγνωσις τῶν θείων γραφῶν κτλ. *Brevis enarratio in forma paraphraſtica in Epiſtolas S. Pauli compoſita a Theophylacto ſacratiſſimo Archiepiſcopo Bulgariae. Argumentum Epiſtolae ad Romanos &c. Continua lectio divinarum ſcripturarum &c.*

LXIV. CODEX chartaceus in folio minori, Bibliothecae eiusdem, *Plut. XI. num.* 7. ſcriptus ſaeculo XIII. compleſtitur Expoſitiones Theophylacti in Epiſtolas Pauli. Initio mutilus eſt.

LXV. CODEX membranaceus in folio Bibliothecae Laurentianae, *Plut. X. num.* 4. ſcriptus ſaeculo X. continet Epiſtolas Pauli cum Expoſitionibus. In fine. *Iſte liber eſt Monaſterii S. Salvatoris de ſeptimo Ciſtercienſium, Florentinae Dioeceſeos.*

LXVI.

LXVI. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae Laurentianae, *Plut. X. num. 6.* ſcriptus ſaeculo X. continet Epiſtolas D. Pauli cum ſcholiis. In fronte recentiori manu ſcriptum eſt: ἐκ τ̄ ἀγγέλȣ. Praecedunt Vita Pauli incipiens Παῦλος ἀπόςολος ἑβραῖος μὲν ἦν κτλ. Itinera Pauli ἀποδημία παύλȣ, quorum initium: ἀπὸ δαμάσκȣ ἤρξατο κτλ. Martyrium Pauli, cuius exordium: ἐπὶ Νέρωνος κτλ. Deinde ſequuntur ὑποθέσεις omnium Epiſtolarum, in quorum ſingularum fine numerus capitum, & teſtimoniorum ſcripturarum, exempli gratia, in fine argumenti ad Romanos: ἐν ταύτῃ τῇ πρὸς ῥωμαίȣς ἐπιςολῇ κεφαλαῖα καθολικὰ ιθ'. ἔχοντα ἐν τισι καὶ μερικὰς ὑποδιαιρέσεις. ἔτι δὲ κεφαλαῖα μαρτυρίων γραφικῶν μή. *In hac ad Romanos Epiſtola Capita generalia XIX. habentia in aliquibus & particulares ſubdiviſiones. Inſuper vero capita teſtimoniorum ſcripturarum XLVIII.* His ſuccedit catalogus Epiſtolarum cum adnotatione loci unde ſcriptae ſunt. Singulas Epiſtolas praecedit capitum ſeries; & in fine ſingularum ſtichometria eſt.

LXVII. CODEX membranaceus in folio Bibliothecae Laurentianae, *Plut. X. num. 7.* ſcriptus ſaeculo XI. continet Epiſtolas Pauli cum ſcholiis. Praecedit Lectionarium, & vita Pauli mutila, & martyrium eiusdem. Scholia tam huius quam ſuperioris Codicis, ſunt catenae ex SS. Patribus.

LXVIII. CODEX membranaceus in folio minori, Bibliothecae Laurentianae, *Plut. X. num. 19.* continens Epiſtolas D. Pauli cum ſcholiis, ſeu catena. Praecedit Synaxarium & Menologium; & alterum Menologium eſt in fine. In fine Epiſtolarum ita ſcriptum eſt. Ἔτȣς ςωκς'. ἰνδ. α'. Τιμόθεος θύτης τȣ̃ χ(ριστο)ῦ Ναξίρεος ὁ παραδείσȣ. *Anno 6826. Indict. I. Timotheus ſacrificulus & Naxireos Paradiſii F.* Chriſti

vide-

videlicet anno MCCCXVIII. Huius Calligraphi nullam mentionem facit *Monſfalconius* in ſua *Palaeographia*. Forte tamen pro Ναξίρεος legendum ἀνάξιος ἱερεύς.

LXIX. CODEX chartaceus in folio Bibliothecae Laurentianae, *Plut. VI. num.* 8. ſcriptus ſaeculo XIV. continet inter alia, commentarios Theophylacti in Epiſtolas Pauli. In fine ſunt quaedam notatu digna circa quorumdam populorum magiſtratus.

Codices Epiſtolarum Catholicarum.

§. X.

LXX. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae Laurentianae, *Pluteo VI. numer.* 5. ſcriptus ſaeculo XI. continens Ioannem Chryſoſtomum in Matthaeum, & collectionem expoſitionum in Lucam, catenamque in ſeptem Epiſtolas Catholicas.

Codices Apocalypſeos.

§. XI.

LXXI. CODEX chartaceus in 4. Bibliothecae Laurentianae, *Plut. VII. num.* 9. ſcriptus ſaeculo XIV. continens Apocalypſin Ioannis Theologi cum commentariis Anonymi. Textus rubrica ſcriptus eſt, commentariorum autem initium: Ἐντεῦθεν ἄρχεται ἡ ἀποκάλυψις οὕτω προσαγορευομένη κτλ.

Codi-

Codices Lectionum totius anni, ſive Synaxariorum.

§. XII.

LXXII. IN LECTIONARIO Graeco membranaceo Actuum, & Epiſtolarum, Bibliothecae Divi Marci, in Epiſtola I. Ioannis *Cap. V.* deeſt *verſ. VII.* ſcriptum eſt ſaeculo XI.

Appendix ad §. IV.

§. XIII.

LXXIII. CODEX membranaceus, Bibliothecae S. Marci, ſcriptus ſaeculo X. continet Expoſitiones S. Ioannis Chryſoſtomi ~~in Evangelia~~. In fine legitur: Ἐγράφη τὰ θεῖα καὶ ζωοποιὰ προκείμενα Εὐαγγέλια, ἤτοι αἱ περὶ τούτων καὶ εἰς αὐτὰ ἑρμηνεῖαι θεῖαι Ἰωάννου τοῦ παμμακαρίστου ἀρχιερέως τοῦ Κωνσταντινουπόλεως τοῦ Χρυσοςόμου, ἐξ ἐπιμελείας μὲν Γεωργίου τοῦ θεοφιλεςάτου ἀρχιερέως καὶ πρωτεπισκόπου Εὐρίπου· διὰ χειρὸς δὲ Σισιννίου τοῦ ταπεινοῦ καὶ δευτερεύοντος καθολικῆς ἐκκλησίας, μηνὶ Ἀπριλλίῳ ιε΄. ἰνδ. α΄. ἔτους ϛυνά. *Deſcripta ſunt haec ſacra & vivifica Evangelia, ſive divinae expoſitiones in illa, beatiſſimi Archiepiſcopi Conſtantinopolitani Ioannis Chryſoſtomi; cura quidem Georgii religioſiſſimi Pontificis & Protepiſcopi*

in Matthaeum, Lucam et Ioannem compila.

correcta sunt translata. In fine codicis est Synaxarium seu ordo divinorum officiorum per totius anni cursum per menses et dies digestum cum quibusdam ... orationibus. Codex hic triplici manu

exarata est, et aetate quidem diversae.

ſcopi Euripi; manu autem Siſinnii humilis Presbyteri & ſecundarii Catholicae Eccleſiae, menſis Aprilis XV., Indictione I. anno 6451. *ſcilicet Chriſti* 943. Meminit huius Codicis *Monsfalconius lib. I. Palaeograph. Graec. cap. VI.*

CODICES LATINI NOVI TESTAMENTI.

SECTIO II.

§. I.

Codices totius Novi Teſtamenti.

LXXIV. CODEX membranaceus Bibliothecae Divi Marci, *Pluteo XIII. n....* continens Novum Teſtamentum. Praemittuntur capita cuiuſque Evangelii. Matthaei capita LXXIV. Marci, XLVII. Lucae, LXXXVIII. Ioannis, XXXV. Deinde ſequitur Epiſtola Hieronymi ad Damaſum in Evangelia. Evangelio Matthaei praefiguntur duo Prologi ſub eiuſdem Hieronymi nomine, quorum primus incipit: *Plures fuiſſe qui Evangelia ſcripſerunt, Lucas Evangeliſta teſtatur dicens &c.* ſecundi autem exordium: *Matthaeus ex Iudaea ſicut in ordine primus ponitur, &c.* In fine Evangelii Matthaei ſcriptum eſt: *Habet verſus MMDCC.* Evangelio Marci praemittuntur item duo Prologi ſub Hieronymi nomine. In fine notatur habere verſus MDCC. Evangelio Lucae duo

duo Prologi praefixi ſunt ſine Auctoris nomine; ſed in fine numerus verſuum adnotatus non habetur. Evangelium Ioannis ab argumento praeceditur, ſed in fine alia manu, ſicut & cetera Evangelia, ſcriptum exhibet; *Habet verſus MDCCC.*

Matthaeus habet teſtimonia Prophetarum XXIII. Canones CCCLV.

Marcus habet teſtimonia Prophetarum XVII. Canones CCXXXVIII.

Lucas habet teſtimonia Prophetarum XVII. Canones CCCXLIII.

Ioannes habet teſtimonia Prophetarum XIV. Canones CCXXXII.

Canones autem adſcripti ſunt in ora cuiuſque Evangelii.

Actus Apoſtolorum praecedit Praefatio Hieronymo tributa; ſed deinde capita recenſentur LXXV. In fine Actorum ſcriptum eſt: *Hoc autem factum eſt anno IV. Neronis, & rurſus profectus eſt ad praedicationis officium, rurſuſque reverſus Romae paſſionem conſummavit, anno XIV. ſupradicti Imperatoris cum Apoſtolo Petro, uno die, XXVI. poſt paſſionem Domini, ſecundi Neronis.* Actibus ſuccedunt Epiſtolae Canonicae Iacobi, Petri, Ioannis, Iudae. Epiſtolam Iacobi praecedit argumentum Hieronymi, & *Prologus VII. Epiſtolarum canonicarum* ſine nomine auctoris. Epiſtolae autem Iacobi capita XV. recenſentur. Epiſtolae I. Petri praemittitur breve argumentum, quemadmodum & ſecundae, & ceteris aliorum. Canonicis Epiſtolis ſuccedit Apocalypſis cum brevi argumento Hieronymo adſerto. Tandem habentur Epiſtolae Pauli, quibus & Praefatio Hieronymo attributa praemittitur, & duo Prologi anonymi; deinde ſequuntur tria argumenta in Epiſto-

lam

lam ad Romanos; & argumenta etiam ceteris Epiſtolis praemittuntur. Epiſtola ad Romanos in fine ſcribitur habere verſus DCCCCXI. In fine Epiſtolae II. ad Corinthios dicitur fuiſſe ſcripta *de Macedonia*. In fine Epiſtolae ad Galatas: *Scripta ab urbe Roma*. In fine Epiſtolae ad Epheſios: *Miſſa a Roma de Carcere*. In fine Epiſtolae ad Philippenſes: *Scripta de Roma*. In fine Epiſtolae ad Coloſſenſes: *Scripta de Roma*. Deinde ſequitur Epiſtola quae inſcribitur: *Incipit Epiſtola ad Laudocenſes. Paulus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum fratribus qui ſunt Laodiceae gratia vobis & pax a Deo patre, & Domino Ieſu Chriſto. Gratias ago Chriſto per omnem orationem meam, quod permanentes eſtis in eo &c.* Huic ſuccedit Epiſtola I. ad Theſſalonicenſes in cuius fine: *Scripta ab Athenis*. In fine Epiſtolae I. ad Timotheum: *Scripta de Laodicea*. Idem ſcriptum eſt in fine ſecundae. In fine Epiſtolae ad Titum: *Scripta de Nicopoli*. In fine Epiſtolae ad Philemonem: *Scripta ab urbe Roma*. Epiſtola ad Ebraeos incipit: *Multipharie multiſque modis, &c.* in cuius fine: *Scripta de Italia*. Ceterum in toto hoc volumine non tam capita, quam verſus ſeu ſubdiviſiones capitum diſtinguuntur, initiali voce ex ora longius revocata; ſed alia manu in margine numeri capitum, ut alibi habetur, adſcripti ſunt: ſicuti poſteriori manu interdum correcta eſt & interpolata. Scriptionem ſaeculi XIV. exiſtimaverim.

LXXV. CODEX membranaceus, eiusdem Bibliothecae, *n.* 35. continens vetus & novum inſtrumentum. Matthaei Evangelium uno tantum a Prologo praeceditur, qui quidem anonymus incipit: *Matthaeus in Iudaea ſicut in ordine &c.* & XXVIII. capi-

tibus conſtat, in quae dividitur. Marci Evangelium Prologum habet in fine unum, & in capita non eſt diſtinctum; ſed numeri capitum in margine adnotati ſunt, recentiori, ut videtur, manu. Evangelium Lucae nec in principio, nec in fine habet Prologum, & in capita XXIX. diſcinditur, ſed poſteriori manu. Prologum habet Ioannis Evangelium, quod in capita XXI. diſtinctum eſt. Statim poſt Evangelium Ioannis ſequitur Apocalypſis, quam Prologus praecedit, & in capita pluria, quam vulgo ſint, dividitur. Apocalypſin excipiunt Actus Apoſtolorum, cuius capita pluria ſunt, ac diſponuntur aliter, quam vulgo habentur. Idem dicendum de Epiſtolis Catholicis, inter quas primae Ioannis *Cap. V.* deeſt verſiculus ſeptimus; ſextus autem verſiculus ita finit: *Et ſpiritus eſt qui teſtificatur, quia Chriſtus eſt veritas*. In margine vero diverſa manu adſcriptum eſt verſ. 7. & 8. ita tamen ut 8., ſit 7. & 7. 8. Nota enim incipit: *Quia tres ſunt qui teſtimonium dant in terra &c.* Poſt Epiſtolas Catholicas ſequuntur Epiſtolae Paulinae: Epiſtolis ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, ac deinceps, argumenta brevia praefiguntur. Ceterum haec quoque omnia nec verſiculis diſtinguuntur, & capitum numero a vulgatis differunt. Codex ſcriptus eſt ſaeculo XIII. ut videtur.

LXXVI. CODEX membranaceus in folio, eiuſdem Bibliothecae, continens partem Veteris Teſtamenti, & integrum Novum. Novo Teſtamento praefigitur Praefatio Sancti Hieronymi ad Damaſum, & Prologus conſuetus, *Plures &c.* Evangelio autem Matthaei praemittitur Prologus ſine Auctoris nomine. Dividitur in capita, ut vulgatum; verſiculi autem rubrica notantur in medio textu. Eo-

Eodem modo habent cetera Evangelia. Evangeliis ſuccedunt Epiſtolae Paulinae, quarum ſingulas praecedunt Prologus, & Argumentum. Epiſtolas Pauli excipiunt Actus Apoſtolorum cum ſuo Prologo. Actis ſuccedunt Epiſtolae Catholicae quas praecedit Praefatio generalis Hieronymo tributa. Epiſtolis Catholicis ſuccedit Apocalypſis cum Prologo Hieronymi, ut ſcribitur. In fine ita adnotatum eſt: *Explicit liber Apocalypſis Iohannis Apoſtoli. Liber iſte ſcriptus fuit ſub anno Domini MCCLXXIII. Indict. I. & tempore Domini Gregorii Papae X. Romanae Eccleſiae Summi Pontificis.*

LXXVII. CODEX membranaceus eiusdem Bibliothecae V. & N. T. in quo quatuor Evangelia, Epiſtolae Pauli, Actus Apoſtolorum, Epiſtolae Catholicae, Apocalypſis, hoc ordine, cum ſuis Prologis. Scriptio ſaeculi XIII.

LXXVIII. CODEX membranaceus, eiusdem Bibliothecae, Latinus, ſcriptus ſaeculo XIII. continens IV. Evangelia, Epiſtolas Pauli, Actus Apoſtolorum, Epiſtolas Catholicas, Apocalypſin; hoc ordine.

LXXIX. CODEX membranaceus eiusdem Bibliothecae, Latinus, ſcriptus ſaeculo XIII. continet IV. Evang. Epiſtolas Paulinas, Actus Apoſtolorum, Apocalypſin, & Epiſtolas Catholicas; hoc ordine. In his duobus Codicibus capita ut in Vulgata; ſed verſus non diſtinguuntur.

LXXX. CODEX membranaceus, eiusdem Bibliothecae, Latinus, V. & N. T. in quo IV. Evang. Epiſtolae Paulinae, Actus Apoſtolorum Epiſtolae Catholicae, Apocalypſis; hoc ordine: cum Prologis aliquando Hieronymo tributis. Scriptus ſaeculo XIII.

LXXXI. CODEX membranaceus eiusdem, Bibliothecae, V. & N. T. eodem modo complectitur. Scriptus eſt ſaeculo XIV.

LXXXII. CODEX membranaceus in 4. eiusdem Bibliothecae, ſcriptus ſaeculo XIII. continens Evangelia, Actus, Epiſtolas Catholicas, & Paulinas, hoc ordine. Deeſt Apocalypſis. In Epiſtola I. Ioannis *Cap. V. verſ. 6. & 7.* videntur deleri incepti; ſed quum alibi etiam occurrant ſimiles liturae, non mirum. Titulus Epiſtolae Iacobi ita habet. *Incipit Epiſtola Iacobi Apoſtoli.*

LXXXIII. CODEX membranaceus Latinus, eiuſdem Bibliothecae, continens univerſa Biblia, ſaeculi XIII. Novi Teſtamenti ordo eſt, primum Evangelia, deinde Epiſtolae Paulinae, quas excipiunt Actus, dein Epiſtolae Catholicae, & Apocalypſis. Evangeliis Prologi praefiguntur.

LXXXIV. CODEX membranaceus Latinus eiuſdem Bibliothecae continens Novum Teſtamentum, ſcriptum ſaeculo XII. Ordo librorum hic eſt. Quatuor Evangelia, Actus Apoſtolorum, Epiſtolae Catholicae, Apocalypſis, Epiſtolae Pauli. Evangelium Matthaei a nullo prologo praeceditur, Marci a brevi argumento, Lucae a brevi Prologo, quemadmodum Ioannis; ſed prologi diverſi ſunt a conſuetis. Nullus Prologus praecedit Actus; Epiſtolas Catholicas praecedit Prologus, qui vulgo Hieronymo tribuitur, ubi queritur quod librarii verſiculum ſeptimum *Cap. V. Epiſt. I.* Ioannis omiſerint. Brevia argumenta praefiguntur Epiſtolis Paulinis.

LXXXV. CODEX membranaceus maximae formae, Bibliothecae Laurentianae, *Plut. XV. n.* 1. ſcriptus ſaeculo X. continens univerſa Biblia vulgatae editionis. Evangeliis praemittitur Prologus gene-

generalis, qui incipit: *Plures fuiſſe, qui Evangelia ſcripſerunt &c.* quem tamen praecedit B. Hieronymi Praefatio ad Damaſum. Praemittitur Evangelio Matthaei argumentum, & Synaxarium breve Evangeliorum, quae per annum leguntur: item index capitum, quae ſunt LXXXVIII. Praefiguntur etiam Canones Euſebiani.

Marcum praecedit Prologus, qui incipit *Marcus Evangeliſta doctor electus &c.* & breviarium capitum quae ſunt XIII. eademque praecedunt Evangelium ſecundum Lucam, cuius capita XXVI. recenſentur; & ſecundum Ioannem, cuius ſunt capita XIV. Textus N. Teſtamenti in ſubdiviſiones tantum variae prolixitatis diſtinguitur, non autem in capita. Evangelia excipiunt Actus Apoſtolorum, quos praecedit Prologus, qui B. Hieronymo tribuitur, & incipit: *Lucas natione Syrus, cuius laus in Evangelio canitur &c.* Capita autem recenſentur LXXII. Acta ſequuntur Epiſtolae Catholicae, quibus praefigitur Prologus conſuetus, ſed cuius ſit non dicitur. Titulus Epiſtolae Iacobi: *Incipit Epiſtola S. Iacobi Apoſtoli.* Iudae Epiſtola incipit: *Iudas Apoſtolus, ſervus: & frater autem Iacobi.* Singulas Epiſtolas argumentum, & ſeries capitum, antevertunt. Epiſtolis Catholicis ſuccedit Apocalypſis, quam praecedit Prologus ſub Hieronymi nomine, qui incipit: *Ioannes Apoſtolus & Evangeliſta a Domino Chriſto electus atque dilectus &c.* & index Capitum XXV. cum argumento breviſſimo. Poſt Apocalypſin ſunt Paulinae Epiſtolae, quas praecedit praefatio ſub Hieronymi nomine; & Prologus anonymus; & concordia Epiſtolarum B. Pauli; quae eſt veluti harmonia quaedam diverſorum locorum in variis Epiſtolis exſtantium & ad certas ſententias confirmandas laudatorum.

torum. Singulis Epiſtolis particulare argumentum praefigitur, & index capitum. In fine Codicis ſunt alii Prologi ſuper libros Vet. & Novi Teſtam. Item quaedam quae in libro Zachariae Prophetae deficiebant, & Liber III. Esdrae. Tamdem habetur *Epiſtola Pauli ad Laudicenſes, quae non eſt in Canone*, ut ibidem inſcribitur. Sed poſt Epiſtolam ad Ebraeos haec ſcripta ſunt eadem manu, quae Eccleſiaſticam hiſtoriam illuſtrare poſſunt:

De cuſtodiendo ieiunio in IV. tempore. De incerto autem ieiunio IV. temporum hanc certitudinem ſtatuimus, ut ſi Kal. Martii in IV. Fer. ſive antea evenerit, eadem ebdomada ieiunium celebretur. Sin autem Kal. Martii in V. aut VI. venerit, aut in Sabbato dicti tenduntur, in ſequenti ebdomada ieiunium differatur. Simili quoque modo ſi Kal. Iunii in IV. fer. aut in antea evenerint, in ſubſequenti ebdomada celebraretur ieiunium. Et ſi in V. aut VI. feria aut in Sabbato contigerit ieiunium, in tertia ebdomada reſervetur. Et hoc ſciendum eſt, ſi quando ieiunium menſis Iunii in vigilia Pentecoſtes ſecundum praedictam regulam evenerit, non ibi celebrandum erit, ſed in ipſa ebdomada ſolemni Pentecoſtes, quia vigilia ſimul & ieiunium celebrare non convenit. Et tunc propter ſolemnitatem Spiritus Sancti Diacones Dalmaticis induantur, & Alleluia cantetur, & Flectamus genua non dicatur. Eodem modo Septembris ieiunio conſtitutum eſt, ut ſi Kal. Septembris in IV. fer. venerint, aut antea, ieiunium in III. ebdomada celebretur; & ſi in V. aut in VI. aut Sabbato contigerit, in IV. ebdomada ieiunandum erit. In Decembrio illud obſervandum erit ut proximo Sabbatho ante vigiliam Nat. Domini celebretur ieiunium. Quia ſi vigilia in Sabbatho evenerit, ſimul vigilia & ieiunium celebrare non convenit.

Sunt

Sunt autem Sacramentum Eccleſiae Baptiſmum, & Chriſma, & Corpus & Sanguis, quae a ſecretis virtutibus vel ſacris, Sacramenta dicuntur; quia ſanctus in eis manens Spiritus eumdem Sacramentorum ad ſalutem fidelium latenter operatur effectum. Quibus nec per bonorum meritum diſpenſatorum amplificantur, nec malorum haec dona attenuantur. Quia neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.

Octavo pronuntiandum eſt ut ſciant tempora feriandi per annum. Item omnem Dominicam a mane uſque ad veſperam, ne Iudaiſmo capiantur. Feriandi vero per annum iſti ſunt dies ut ſupra orſi ſumus. Natalis Domini. Sancti Stephani. Sancti Iohannis Evangeliſtae. Innocentum. Octava Domini. Theophania. Purificatio Sanctae Mariae. Sanctum Paſcha cum tota ebdomada.

In Prologo in Evangelium ſecundum Ioannem legitur: *Tam Extraneus a dolore mortis quam a corruptione carnis invenitur alienus &c.* In margine vero huiuſmodi Prologi haec adnotantur. *Qui etſi poſt omnes Evangelium ſcripſiſſe dicitur tamen diſpoſitione canonis ordinate poſt Matthaeum ponitur. Quoniam quae in Deo noviſſimae ſunt, non velut extrema & abiecta numero, ſed plenitudinis opere perfecta ſunt.* Hoc Virgini debebatur &c.

LXXXVI. CODEX membranaceus praegrandis, Bibliothecae Laurentianae, *Plut. VI. n.* 10. ſcriptus ſaeculo X. continens univerſa Biblia. Se habet non aliter ac Codex ſuperior, niſi quod in Epiſtola ad Ebraeos abſolvitur Codex hic. Praecedit Evangelium Matthaei monitus, quo quis docetur, qui libri ſacri legantur certis anni diebus, & quem proferimus: Verſus ſcripti ſunt atramento & rubrica alternatim.

Incipiunt pronuntiationes librorum quomodo legitur per totum circulum anni. Dominice de Adventu ponitur Iſaias uſque ad nativitatem Domini. Ab Octava Epiphaniae legantur Epiſtolae Pauli uſque in ſeptuageſima. Dominice in ſexageſima legatur Eptaticum, quod eſt, In principio creavit Deus, & cetera, & alii quinque liber Moyſi & Ioſuae, & Iudicum, uſque in Sabbatho ante paſſionem Domini. In Paſſione ponitur Ieremias Propheta cum lamentationibus ſuis uſque in Paſcha. Ab octava Paſchae uſque diem canitur Iſtoria Dignus, & dominice legantur Libri Apocali. Iohannis Apoſtoli. Poſtea legatur VII. Epiſtolae Canonicae uſque dum canitur hiſtoria Si oblitus. In die Adſcenſionis Domini legatur Actuum Apoſtolorum, uſque VIII. Pentecoſten. Ab octavo Pentecoſten ponitur quatuor Libros Regum & Paralippemenon uſque in Kal. Auguſti quo cantatur hiſtoria Dominus omnium. Kal. Aug. ponitur Sapientia Salomonis uſque ad Kal. Septembris, quo cantatur hiſtoria In principio. A Kal. Septemb. ponitur Lib. Iob uſque ad medium menſen, dum canitur hiſtoria Si bona ſuſcepimus. Ad medium menſem Septemb. ponitur Tobis, & Iudit, & Eſter & canatur hiſtoria Peto Domine. Deinde a Kal. Octobris uſque ad Kal. Novembris legatur Liber Machabeorum primi & ſecundi, & canitur hiſtoria Adaperiat Dominus. A Kal. Novembris uſque dum canitur hiſtoria Vidit Dominum & etiam legatur Iezechiel & Daniel, & duodecim minores Prophetas & dum pervenitur ad adventum Domini. Amen.

Hic Codex Novi Teſtamenti correctus eſt pluribus in locis, & videtur interdum ad archetypum Graecum exactus. Quaedam omiſſa fuerant, quae alia manu addita ſunt, ut ex. gr. in Matthaeo. *Sed quid exiſtis videre? prophetam, &c.* Alia manu poſt *videre*, additum

ditum eſt in margine: *Hominem mollibus veſtitum? Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt. Sed quid exiſtis videre &c.* Sunt prope infinitae variantes lectiones, & loca, quibus hic Codex a vulgata diſcrepat, & quicumque eum corrigere adgreſſus eſt, vel eraſit priora verba, vel tranſverſa linea notavit, & eorum loco verba & lectiones alias repoſuit. Exempli gratia. *Et tu Capharnaum numquid uſque in Caelum exaltaberis? uſque in infernum deſcendes. Quia ſi in ſodomis factae fuiſſent &c.* Correctiones ita habent: . . . . . *uſque in infernum deſcendens. Quia ſi in ſidoniis &c.* In Epiſtolis haec obiter obſervavi. Epiſtolae Iacobi & Iudae ita incipiunt:

Incipit Epiſtola Sancti Iacobi

Iacobus Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti ſervus duodecim tribubus quae ſunt in diſperſione ſalutem &c.

Incipit Epiſtola Iudae Apoſtoli

Iudas Ieſu Chriſti ſervus Frater autem Iacobi his qui in Deo Patre dilectis & in Chriſto Ieſu conſervatis & vocatis miſericordia vobis & pax & caritas adimpleatur. Ad Epiſtolam I. S. Ioannis Apoſtoli ſic legebatur: *Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus, aqua, & ſanguis, & tres unum ſunt. Sicut tres ſunt, qui teſtimonium dant in coelo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & tres unum ſunt.* Quae verba ſic emendata leguntur. *Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant, Spiritus, aqua, & ſanguis, & tres unum ſunt. Et tres teſtimonium perhibent de coelo, Pater, Verbum, & Spiritus, & tres unum ſunt.* Ad Cap. I. Epiſt. I. Pauli Ap. ad Cor. legitur: *Gratias ago Deo meo quod neminem veſtrum baptizavi, niſi Criſpum & Gaium nequis dicat quod in nomine PAVLI baptizati eſtis.* Vbi notandum eſt illud PAV-

LI

LI lituris corroſum, eiuſque loco MEO ſcriptum poſteriori manu legi.

LXXXVII. CODEX membranaceus in 4. Bibliothecae Laurentianae, *Plut. XV. n.* 8. ſcriptus ſaeculo XIV. continens univerſa Biblia. Novum Teſtamentum ita diſponitur, ut Epiſtolae Paulinae Acta Apoſtolorum praecedant, deinde Epiſtolae Catholicae atque Apocalypſis conſequantur. Epiſtola I. Ioannes *verſ.* 7. habetur locus controverſus.

LXXXVIII. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae Laurentianae, *Plut. XV. n. 9.* ſcriptus ſaeculo XIV. continens univerſa Biblia; & Novum Teſtamentum ita diſponitur ut actus Apoſtolorum poſponantur Epiſtolis Paulinis; Illos vero excipiant Epiſtolae Catholicae & Apocalypſis, & Ebraicorum nominum interpretatio. In fine Codicis recentiori manu ſcriptum eſt: *Iſte liber eſt Monaſterii S. Auguſtini de Reſſano quod vulgariter dicitur, Nicoſia de Calci novo.*

LXXXIX. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae Laurentianae, ſcriptus ſaeculo XV. *Plut. XV. num.* 11. continens univerſa Biblia. Evangelia praecedunt Prologi, & Canones Euſebii. Ordo librorum idem eſt ac in ſuperiore codice. Prologus in Epiſtolas Catholicas Hieronymo minime tribuitur. In fine Codicis ſcriptum eſt: *Liber Petri de Medicis Coſ. Fil.*

XC. CODEX membranaceus in 4. Bibliothecae Laurentianae, *Plut. XV. num.* 7. ſcriptus ſaeculo XIV. continens univerſa Biblia. Praecedit omnia Synaxarium. Evangelio Matthaei praefiguntur duo Prologi; Marci, unus; Lucae, duo. Ioannis, unus. Sic aliis libris & Epiſtolis prologi praemittuntur. Poſt Evangelia ſuccedunt Epiſtolae Paulinae, deinde

de Acta, poſtea Epiſtolae Catholicae, tandem Apocalypſis, quam excipit interpretatio nominum Ebraicorum. Evangelia in capita diſtincta ſunt, quemadmodum & alii libri.

XCI. CODEX membranaceus in 8. Bibliothecae Laurentianae, *Plut. XV. num.* 5. continet univerſa Biblia ſcriptus ſaeculo XIV. Eadem modo complectitur, niſi quod initio Synaxarium deeſt.

XCII. CODEX membranaceus parvus, eiusdem Bibliothecae, eodem *Pluteo num.* 3. ſcriptus eodem ſaeculo, eadem continens, excepto Synaxario. In fine Apocalypſis ſcriptum eſt. *Explicit Bibliotheca.* In fine interpretationum Ebraicorum nominum legitur: *Haec Biblia eſt mei magiſtri Franciſci de barbi Phyſici Piſani, quam emi Ianuae a Raphaële Montani tornario.*

XCIII. CODEX membranaceus in 4. eiusdem Bibliothecae, *Plut.* eodem, *num.* 6. ſcriptus ſaeculo XII. vel initio XIII. continens eadem, niſi quod Evangelia praeceduntur a ſerie & argumentis capitum verſibus expreſſis. Epiſtola Iacobi inſcribitur Apoſtoli, quemadmodum & Iudae. Prologus Epiſtolae ad Romanos Graece verſus eſt in margine.

XCIV. CODEX membranaceus parvus, eiusdem Bibliothecae eodem *Pluteo num.* 4. ſcriptus ſaeculo XIV. eadem continet.

XCV. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae S. Crucis, *Plut. I. num.* 3. ſcriptus ſaeculo XIV. ſatis eleganter, continet integrum Novum Fedus.

XCVI. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae S. Crucis, *Plut. III. num.* 22. ſcriptus ſaeculo XIV. comprehendit univerſa Biblia. In fine eſt interpretatio nominum Ebraicorum.

XCVII.

XCVII. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae S. Crucis, *Plut. IV. num.* 34. ſcriptus ſaeculo XIV. continet univerſa Biblia.

XCVIII. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae S. Crucis, *Plut. VI. num.* 36. ſcriptus ſaeculo XIV. continet Novum Teſtamentum, quod praecedunt ſeries capitum, & canones Euſebiani. Continet etiam libros nonnullos veteris Teſtamenti; & omnia cum ſcholiis. Epiſtolae I. Ioannis *Cap. V.* prius ponitur teſtimonium datum in terra, quam teſtimonium datum in coelo.

XCIX. CODEX membranaceus in 4. Bibliothecae S. Crucis, *Plut. IV. num.* 45. ſcriptus ſaeculo XIV. continet totum Novum Fedus hoc ordine. Evangelia, Actus, Epiſtolas Canonicas, Apocalypſin, Epiſtolas Pauli. Nulli ſunt Prologi, nulla argumenta.

C. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae S. Crucis, *Plut. V. numer.* 46. ſcriptus ſaeculo XIV. continet univerſa Biblia, cum interpretatione vocabulorum Ebraicorum, & concordantiis Evangeliorum in fine.

CI. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae S. Crucis, *Plut. VI. numer.* 58. ſcriptus ſaeculo XIV. continet univerſa Biblia.

CII. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae S. Michaëlis Teatinorum, ſcriptus ſaeculo XV. complectitur univerſa Biblia, eleganter ſcripta, & pulcris imaginibus, ac litteris, ornata.

CIII. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae Coenobii S. Bartholomaei Feſulani, (quae quidem Bibliotheca ad CCXX. Codices MSS. Latinos continet) ſcriptus ſaeculo XV. complectitur univerſa Biblia. Novum Teſtamentum hoc ordine digeritur,

ritur, Evangelia, Epiſtolae Pauli, Actus Apoſtolorum, Epiſtolae Canonicae, Apocalypſis.

CIV. CODEX membranaceus in folio, eiuſdem Bibliothecae, eadem omnino complectitur, & eodem pariter ſaeculo ſcriptus eſt. In Epiſtola I. Ioannis *Cap. V.* poſt illa: *Et tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus, aqua, & ſanguis:* deeſt: *Et hi tres unum ſunt.*

Codices IV. Evangeliorum.

§. II.

CV. CODEX membranaceus in folio, privatae Bibliothecae *Gab. Riccardii*, continens IV. Evangelia, eleganter ſcripta ſaeculo XII. Praecedunt, Praefatio D. Hieronymi, & Prologus, qui incipit, *Plures fuiſſe qui Evangelia ſcripſerunt*, & Praefatio quae ita inſcribitur: *Incipit Praefatio Euſebii Caeſarienſis de IV. Evangeliis. Euſebius Carpiano Fratri in Domino ſalutem. Ammonius quidam Alexandrinus, magno ſtudio atque induſtria unum nobis pro IV. Evangeliis dereliquit &c.* Quae quidem Epiſtola eſt de qua toties loquuti ſumus. Deinde praefigitur Evangelio Matthaei argumentum ſine Auctoris nomine: *Matthaeus ſicut in ordine primus ponitur &c.* Poſt argumentum capita recenſentur, quod & in aliis Evangeliis fit. Ceterum haec Evangelia in capita diviſa non ſunt; ſed in ὑποδιαιρέσεις quaſdam Litteris initialibus maioribus diſtinguentibus, & in margine ut plurimum exſtantibus. Ceteris tribus Evangeliis ſolitus Prologus

gus ſeu argumentum praemittitur, ſine nomine Auctoris. In Evangelio Ioannis initio punctum eſt poſt nihil: *Et ſine ipſo factum eſt nihil.*

CVI. CODEX membranaceus in folio Bibliothecae privatae *Gab. Riccardii*, olim *Ant. Mar. Salvinii*, ſcriptus ſaeculo XIII. continet Vetus, & Novum Teſtamentum verſiculis Latinis expreſſum, Apocalypſi & Epiſtolis exceptis, Auctore Magiſtro Petro De Riga. Ita titulus habet: *Scire cupis, Lector, quis Codicis iſtius actor? Petrus de Riga vocor, cui petra rigat cor. Prologus illius qui hunc librum correxit, & ſuppletiones de ſuo adpoſuit; videlicet ubi invenitur Oddus inter duos punctos per totum librum, ibi ſunt dicta & verſus illius.* Deinde ſequitur brevis Prologus, quem excipiunt *Verſus cuiuſdam Domini Canonici de Sancto Mariano Antiſſiodorenſi Praemonſtratenſis ordinis.*

Stringere parva libet bona carminis huius, & ipſum
Laude vel exili magnificare librum &c.

Poſt hoſce verſus prologus ſoluta oratione continuatur, poſt quem ſequentes verſus ſcripti ſunt:

Scire cupis, lector, quis codicis iſtius auctor,
Audi quid breviter dicat ad iſta liber.
Petrus & Aegidius me conſcripſere; ſed ille
Auctor, corrector ultimus iſte fuit.
Ille prior Remis, hic Parigienſis alumpnus
Hic Levita gradu, Presbyter ille manens.
Simplex Clericus hic, ſacri ordinis ille profeſſor,
Ambo graves annis, hic vir, & ille ſenex.
Alter adinvenit operam, ſed in ordine peccans
Omnia dimiſit ſenſibus ire vagis.
Alter ſed typica diſtinctis verſibus unum
Conſuit in corpus atque revinxit opus.

Alter

Alter abundantis ſtudii, ſed acutior alter,
Quis proponendi debuit ordo geri.

Haec etiam luculentius exponuntur in Prologo, quem Novo Teſtamento Aegidius ipſe praefixit, opus nuncupans Odoni Epiſcopo Pariſienſi; ubi hunc librum *Bibliothecam* vocari ait. Hiſtoria Novi Teſtamenti ad uſum harmoniae cuiusdam ex quatuor Evangeliis contexitur, verſusque ſunt Elegiaci, ut exempli gratia ubi de vocatione Apoſtolorum agit:

Ecce quid hic ſentis quicumque, Perite, ſuperbis
Noſſe apices multos, hincque praeeſſe cupis?
Namque Evangelicos idiotas eſſe magiſtros
Inſtituit Dominus, diſſimileſque tui.
Nathanael iuſtus ut non ſit Apoſtolus intus
Hoc perdit, quoniam lege peritus erat.
Sic & Nicodemus eo quod & ipſe peritus
Doctrinam legis, notitiamque tulit.
Ne quid ſcire ſuo poſſint feciſſe videri,
Et non contingat gloria tota Deo.

Actus tamen Apoſtolorum hexametris ſolis exprimuntur, & iis quidem rhythmicis, quorum quoſdam hic proferam, ut ex iis non tam carmina modulandi rationem, quam multa falſa & apocrypha ab his Scriptoribus veris interſeri, intelligamus.

Vir prudens Dionyſius hic florebat Athenis,
Doctrina clarus, pius, & dulcedine lenis.
Cum Paulo de doctrinis dum diſſerit iſte,
Et Paulus reddit tanto reſponſa ſophiſtae;
Caecus iter capiens oculis occurrit eorum,
Cui frons orba fuit oculorum luce duorum.
Vir praedictus ait Paulo, ſub nomine Chriſti
Luminis adſpectus ſit caeco redditus iſti.
Credam ſi magicum fugiant haec verba vigorem
Si caecus videat Chriſti virtute nitorem &c.

Hoc

Hoc opus etiam *Aurora* inſcribitur, ut inferius patebit, & docet quoque *Caſ. Oudinus De Scriptor. Eccleſ.*

CVII. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae Riccardianae, *Plut. K. Ord. III. num. II.* ſcriptus eodem ſaeculo, & eadem omnino complectens, niſi, quod initio mutilus eſt.

CVIII. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae S. Crucis, *Plut. IX. n.* 102. ſcriptus ſaeculo XIII. continet pariter Auroram Bibliae, ſeu opus Petri de Riga, quo verſibus vetus & novum Teſtamentum exprimit. Scholiis quibusdam illuſtratur.

CIX. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae Laurentianae, *Pluteo XV. n.* 2. ſcriptus ſaeculo XII. habens item libros divinos a Petro de Riga verſibus expreſſos, & quatuor Evangelia in unum conflata; item Actus Apoſtolorum. Praecedunt operi duo Prologi quorum primus Petri de Riga; & verſus memorati Canonici in laudem Libri.

CX. CODEX membranaceus in folio eiusdem Bibliothecae, *Plut. XVII. num.* 27. ſcriptus ſaeculo X. continens IV. Evangelia; quae praeceduntur a Praefatione Hieronymi, & Prologo in IV. Evangelia. Evangelio Matthaei praefigitur argumentum conſuetum; & ſeries Capitum XXIX. Deinde ſequitur Matthaei imberbis imago cum hoc carmine:

Hoc Matthaeus agens hominem generaliter implet.

Non tamen ſecundum ordinem & numerum praedictorum capitum dividitur, ſed diviſiones LXXXII. habentur. Canones in ora libri ſcripti ſunt. In fine: *Explicuit liber Matthaei V. MMDCC.*

Eadem Evangelium Marci praecedunt, cum carmine:

Marcus ut alta fremit vox per deſerta leonis.

Simili

Simili modo diſponitur, & in fine habet: *Explicuit Evangelium ſecundum Marcum. Verſus MDCC.* Sub imagine Lucae:

Iure ſacerdotii Lucas tenet ora iuvenci.
Mugit amore pio Lucas in carmine Chriſti.

In fine: *Verſ. MMMDCCC.* Ioannis Evangelium tres praefationes praecedunt. Initio autem caret quod pagina abſciſſa fuerit; quamquam initium reiectum eſt in finem, ubi & alia ſunt Evangeliorum apoſpaſmatia, quae in certis feſtis leguntur. In fine Evangelii: *Verſ. MDCCC.* Vltimum eſt Evangelium legendum in feſto S. Caeciliae, poſt quod hi verſus habentur:

Accipito parvum munus Caecilia ſanctum,
Quod tibi Ioannes devote presbyter offert
Et Bene qui dictus coeleſti dogmate comptus.

CXI. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae Laurentianae, *Plut. XVII. numer. 26.* ſcriptus ſaeculo XIV. continet IV. Evangelia. Praecedunt Canones Euſebii, & Prologi, ſicut quodlibet Evangelium praecedunt Prologus & ſeries capitum. In fine: *Scripſit haec Evangelia IV. Hermannus pro duodecim Biſanctios, & pro redemtione animae ſuae, & omnium fidelium defunctorum, ut Deus, & Dominus noſter Ieſus Chriſtus, concedat eis requiem & vitam aeternam Amen. Pater noſter.* Diſtinctio capitum, eſt in minora, & maiora, ut de quibusdam animadvertit *Simonius P. I. Hiſt. Critic. cap. XXXIII.* & ut paſſim contingit in his ipſis Codicibus, quos recenſeo, tam Graecis quam Latinis; & ipſe ſaepe adnotavi.

CXII. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae Laurentianae, *Plut. XXVI. num. 3.* ſcriptus ſaeculo XV. continet Expoſitiones D. Thomae Aqui-

natis in IV. Evangelia. In principio, & fine Codicis leguntur hi verſus:

Anno milleno quater CCCC. ter quoque deno
Parthveidi vocatus Panveltus de Gambia natus,
Huius conventus pro tunc lector bene tentus.
Hunc librum ſtruxit manu ſua propria ſcripſit,
Et huic donavit conventui, rite legavit
Anniverſario pro perpetuo facituro,
Ac pro florenis Senenſium bis quoque denis,
Ad Chriſti laudem animae ſuaeque ſalutem,
Et in ſolamen animabus omnibus. Amen.

CXIII. CODEX membranaceus in 4. Bibliothecae Riccardianae, *Plut. L. Ord. IV. num.* 29. ſcriptus ſaeculo XIV. continet *C. Vetii Aquilii Iuvenci heroico carmine de Vita Chriſti ſecundum Lucae Evangelium Libros quatuor; & Sedulii Poëtae ſacrorum carminum libros IV.* ut habet inſcriptio. *Iuvencus* de Ioannis Baptiſtae veſte loquens ait:

Texta camelorum fuerant velamina ſetis,
Et zonae pellis medium cinxere prophetam.

Poſt librum IV. Sedulii *ſequitur paratherium carmen, ideſt, repercuſſorium, ubi vetus Teſtamentum figurat novum*, ut titulus habet. Initium autem tale eſt:

Cantemus, Socii, Domino cantemus honorem;
Dulcis amor Chriſti perſonet ore pio.
Primus ad ima ruit magna de luce ſuperbus,
Sic homo contumuit, primus ad ima ruit &c.

CXIV. CODEX chartaceus in 8. Bibliothecae Laurentianae, *Plut. XXVI. n.* 20. ſcriptus ſaeculo XV. continet Iuvenci Sacra Carmina. In fine: *Verſus tria millia ſeptingenti.*

CXV. CODEX chartaceus in 8. Bibliothecae Riccardianae, *Plut. K. Ord. IV. num.* 34. ſcriptus ſae-

ſaeculo XV. continens Monoteſſaron Evangelicum. Incipit a prooemio B. Lucae, diviſumque eſt in capita CL., & brevia quaedam ſcholia diverſo charactere idemtidem interſeruntur. Titulus autem primi capitis ita habet: *Capitulum primum unius Evangelii ex quatuor*. In fine ita ſcriptum eſt: *Finit unum ex quatuor Magiſtri Iohannis Gerſonis, exceptis dumtaxat, quod ubi Evangeliſtae videntur in ſenſu eadem dicere (maxime iuxta litteram) aliqua tacuimus, quae Magiſter praenominatus non tacet, & quod in ſingulis verbis non poſuimus nomen Evangeliſtae loquentis*. Deinde ſequuntur rubricae omnium capitum CL. cum indicio Evangeliſtarum quae ſingula capita conficiunt, & eſt veluti IV. Evangeliorum σύντομος harmonia. In calce Codicis legitur: *Ad uſum fratris Timothei Bergomenſis*.

CXVI. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae S. Crucis, *Plut. II. num.* 19. ſcriptus ſaeculo XIV. complectitur IV. Evangelia cum gloſſis interlinearibus & ſcholiis.

CXVII. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae S. Crucis, *Plut. III. n...* ſcriptus ſaeculo XIII. vel XIV. continet IV. Evangelia cum ſcholiis. Sed Evangelium Matthaei ſcriptum eſt diverſa manu, & ut videtur, antiquiori. In fine Evangelii Ioannis deſunt verſus quidam ab illis verbis: *Quid ad te, tu me ſequere*, uſque in finem.

CXVIII. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae S. Crucis, *Plut. IV. num.* 40. ſcriptus ſaeculo X. ſatis eleganter, continet IV. Evangelia cum ſuis Prologis. Praecedit Praefatio Hieronymi, & Canones Euſebiani; qui & in margine ſuis locis adſcripti ſunt. Praemittitur etiam cuilibet Evangelio ſeries capitum. In fine eſt Evangeliſtarium to-

tius anni. Poſt Evangelium Marci eſt imago Chriſti de Cruce pendentis, qui & quatuor clavis confixus eſt, & ſuppedaneum habet, in quo pedes quieſcunt. Hinc inde, Mariae, & Ioannis imagines.

CXIX. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae S. Crucis, *Plut. IX. num.* 94. ſcriptus ſaeculo XIV. continet IV. Evangelia cum ſcholiis, hoc ordine: Matthaeum, Marcum, Iohannem, & Lucam. Conſule ſuperius *pag.* 147.

CXX. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae S. Crucis, *Plut. IX. num.* 107. ſcriptus ſaeculo XIV. continet concordantiam, ſeu harmoniam IV. Evangeliorum, cuius titulus ita habet: *Incipit prologus in concordantiam Evangeliorum compilata a Fratre* P. Recentiori autem manu in fronte paginae ſcriptum eſt: *Iſtam hiſtoriam IV. Evangeliorum in unum ordinem compilavit quidam frater Ordinis Minorum nomine frater Philippus Vulturnenſis, qui fuit maximae ſcientiae, lector excellens phyſicus, legalis, in pluribus ſtudiis generalibus multis annis.*

Codices alicuius ex Evangeliis.

§. III.

CXXI. CODEX membranaceus, privatae Bibliothecae *Gab. Riccardii*, ſcriptus ſaeculo X. continet Evangelium S. Lucae, cum gloſſis interlinearibus, & ſcholiis. Diſtinctio capitum eſt a vulgatis diverſa. Nullus Prologus praecedit.

CXXII.

CXXII. CODEX membranaceus, Bibliothecae Divi Marci, continens Evang. Ioannis cum ſcholiis. Scriptus ſaeculo XI.

CXXIII. CODEX membranaceus, Bibliothecae eiusdem, Evang. Matthaei, ſcriptus ſaeculo XII. cum ſcholiis, & diſtinctione capitum.

CXXIV. CODEX membranaceus eiusdem Bibliothecae, continens Evangelium Ioannis, cum ſcholiis & gloſſis interlinearibus, ſaeculo XII. ſcriptus in quo etiam habetur: *Et ſine ipſo factum eſt nihil.* cum puncto.

CXXV. CODEX membranaceus in folio Bibliothecae Riccardianae, *Plut. K. Ord. III. n....* continens duo Evangelia Latina vulgatae editionis Matthaei videlicet, & Ioannis, undecimo, ut videtur, ſaeculo ſcriptus, lineis inter ſe lato ſpatio diſtantibus, & ora undequaque ampla relicta, ad Gloſſas interlineares, ut vocant, inſcribendas, & ſcholia adſcribenda; quod & factum eſt, excepto B. Ioannis Evangelio, quod gloſſam & ſcholia in duabus primis tantum paginis habet. Matthaei Evangelio praemittitur Prologus conſuetus, cuius auctor non indicatur, & incipit: *Matthaeus ex Iudaea ſicut in ordine primus ponitur, ita Evangelium in Iudaea primus ſcripſit &c.* Scholia ita incipiunt: *Quum multi ſcripſiſſe Evangelia legantur, ſoli quatuor Evangeliſtae Matthaeus, Marcus, Lucas, Iohannes, apud maiores noſtros pondus auctoritatis comprobati ſunt obtinere &c.* Ita autem ſcholia Praefationis deſinunt: *Sciendum eſt quidem etiam diſtantiam locorum & temporum inter Evangeliſtas fuiſſe; quia nec uno loco, nec uno tempore Evangelium deſcripſere. Matthaeus enim ſcripſit in Iudaea ſub tempore Gaii Galliculae. Marcus Romae ſub tempore Neronis. Lucas vero Achaiae Boeo-*

tiaeque partibus rogatus a Theophilo. Et Iohannes Epheſi in Aſia minori ſub tempore Nervae principis. Qui etiam nec una lingua ſcripſerunt. Matthaeus Ebraico ſcripſit Evangelium, ſed ceteri Graeco. Et ſciendum eſt quia omnis canon, & omnis ſeries Novi Teſtamenti Graeco ſermone edita eſt, excepta Epiſtola P. A. & Evangelio B. Matthaei. Dignum enim erat, ut ea lingua ederetur ſacra ſcriptura, ad quam currebant omnes quaſi ad fontem omnis doctrinae. Ceterum Evangeliorum contextus in capita non eſt diſtributus, ſed continuo ductu conſcriptus eſt per commata, & cola, quae ſolis punctis diſtinguuntur. Apud Matthaeum in fine orationis Dominicae recentiori manu additum eſt *Amen*. Ioannis Evangelio nulla Praefatio praefigitur.

CXXVI. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae Laurentianae, *Plut. XIX. num.* 19. ſcriptus ſaeculo XII. complectitur Evangelium ſecundum Ioannem, cum gloſſis interlinearibus & ſcholiis. Praecedit Prologus: *Hic eſt Ioannes Evangeliſta &c.* Legitur cum interpunctione: *Et ſine ipſo factum eſt nihil. Quod factum eſt &c.*

CXXVII. CODEX membranaceus in 4. Bibliothecae Laurentianae, *Plut. XIX. num.* 21. continet Evangelium Ioannis cum gloſſis interlinearibus, & ſcholiis. Scriptus ſaeculo XII.

CXXVIII. CODEX membranaceus in 4. eiusdem Bibliothecae eodem *Pluteo num.* 20. continens Evangelium Ioannis cum gloſſis interlinearibus; & ſcholiis. Prologus in fine ſcriptus eſt. Scriptio ſaeculi XI.

CXXIX. CODEX membranaceus in 4. eiusdem Bibliothecae eodem *Pluteo num.* 18. ſcriptus ſaeculo XII. continet Evangelium ſecundum Ioannem cum

cum prologo, gloſſis interlinearibus, & ſcholiis; & inſuper Apocalypſin.

CXXX. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae Laurentianae, *Plut. XX. num. 22.* ſcriptus ſaeculo XI. continet commentarium ſatis prolixum in Evangelium ſecundum Matthaeum. Textus ſcribitur litteris maiuſculis. Titulus: *In nomine Sanctae Trinitatis incipit expoſitio Evangelii ſecundum Mattheum*. Initium: *Admonendi ſumus ut ſpiritale opus ſpiritali intentione adgrediamur*. Finis: *Quos ſervos producet per formam ſervi, ut liberi contemplentur formam Domini*. In fine exſtat Epiſtola Cleri & populi Florentini ad Alexandrum Papam de miraculo S. Petri Ignei, hoc titulo: *Incipit textus miraculi, quod Dominus ad deſtructionem ſimoniacae hereſis operari dignatus eſt in Epiſcopatu Florentino anno ab incarnatione ſua milleſimo LXVIII. Idus Februario, feria IV. primae ebdomadae in quadrageſima in Monaſterio de Septimo....*

CXXXI. CODEX membranaceus in 4. Bibliothecae Laurentianae, *Plut. XXI. num. 35.* ſcriptus ſaeculo XII. continet Evangelium Lucae cum gloſſis interlinearibus, & ſcholiis, & Prologo. In fine ſcriptum eſt diverſa manu: *Liber Laurentii, & Ioannis Petri Franciſci de Medicis. N. LXXII....*

CXXXII. CODEX membranaceus in 4. Bibliothecae Laurentianae *Plut. XXI. num. 34.* ſcriptus ſaeculo XIII. continet Evangelium Lucae cum Prologo, gloſſis interlinearibus, & ſcholiis. Initio haec leguntur: *Lectorem obſecro ſtudioſe paginas recenſentem libri huius, ea quae in cauſae contra eas ſtili percurrentes deſignata veſtigio ſunt, non meo coniungat errori. Sed peto meae ignoſcere ignorantiae. Et quia obſtinatio legentis ampliata virtus excitat, ad*

purum dociles mentis ſuis favoribus meique memor benigne.

CXXXIII. CODEX membranaceus in 4. Bibliothecae Laurentianae, *Plut. XXI. num.* 37. ſcriptus ſaeculo XII. continet Evangelium Marci cum gloſſis interlinearibus, & ſcholiis.

CXXXIV. CODEX membranaceus in folio, eiusdem Bibliothecae, *Plut. XXI. n.* 33. ſcriptus ſaeculo XII. continet Evangelium Matthaei cum gloſſis interlinearibus, & ſcholiis.

CXXXV. CODEX membranaceus in 4. eiusdem Bibliothecae, eodem *Pluteo num.* 36. ſcriptus ſaeculo XII. continet Evangelium Marci cum gloſſis interlinearibus, & ſcholiis.

CXXXVI. CODEX membranaceus in 4. Bibliothecae S. Crucis, *Plut. IV. n.* 38. ſcriptus ſaeculo XIII. comprehendit Evangelium ſecundum Matthaeum cum ſcholiis. In fine: *Liber S. Crucis, quem habebat frater Bartholomaeus.*

CXXXVII. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae S. Crucis, *Plut. IV. n.* 37. ſcriptus ſaeculo XIII. continet Evangelium Matthaei cum ſcholiis.

CXXXVIII. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae S. Crucis, *Plut. IV. n.* 39. ſcriptus ſaeculo XII. continet Evangelium Matthaei una pagina initio mutilum, rubrica ſcriptum, cum perpetuis commentariis. In fine ſunt excerpta quaedam ex libris moralium Ariſtotelis ad Nicomachum; & deinde Evangeliſtarium ſecundum Matthaeum.

CXXXIX. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae Coenobii Feſulani, ſcriptus ſaeculo XV. continet Commentarios B. Hieronymi in Evangelia Matthaei & Marci, & in Epiſtolas Pauli ad Galatas, ad Epheſios, ad Titum, & ad Philemonem. Initio

haec

haec ſcripta habentur: *Coſma Medicus ſummus ac praeſtantiſſimus vir, & divini cultus obſervantiſſimus, poſteaquam pro ſua ſingulari virtute maximis ſumtibus hoc monaſterium condidit, ac Canonicis regularibus ea omnia paravit, quae ad bene vivendum neceſſaria erant, ne optimorum librorum copia deeſſet, hoc Hieronymi volumen monaſterio dono dedit. Pro cuius ſingulari pietate Deus, qui omnium meritorum eſt retributor, digna ei praemia perſolvere velit.*

CXL. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae Coenobii S. Bartholomaei Feſulani, ſcriptus ſaeculo XV. cum Mediceae gentis inſignibus, continet varia S. Ambroſii opera, & inter alia eius commentarium in Evangelium Lucae. Initio Codicis ſcriptum eſt: *Quanta ſit obſervantia divini cultus & in hos religioſos viros Canonicos regulares beneficentia Clariſſimi Viri Coſmae de Medicis, tum hae ſacrae aedes ab eo magnificentiſſime conditae, tum haec librorum copia & alia permulta, quae ad horum religioſorum vitam neceſſario pertinent, documento eſſe poſſunt. Quare multis precibus Deum rogamus ut pro tantis tamque egregiis meritis illud Prophetae ſibi adeſſe velit: Longitudine dierum replebo eum & oſtendam illi ſalutare meum.* Similia elogia & grati animi monumenta, paſſim & in aliis Codicibus habentur.

CXLI. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae S. Bartholomaei Feſulani, ſcriptus ſaeculo XV. continet Evangelia Marci & Ioannis cum catena Patrum a D. Thoma Aquinate concinnata. Textus ſcriptus eſt maioribus litteris. Inſignia Mediceae gentis inſunt.

CXLII. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae Sancti Bartholomaei Feſulani, ſcriptus ſaeculo XV. continet Evangelium Lucae cum catena

Tho-

Thomae Aquinatis. Textus maioribus litteris ſcribitur.

CXLIII. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae S. Bartholomaei Feſulani, ſcriptus ſaeculo XV. continet Evangelium Matthaei cum Catena Thomae Aquinatis, eodem modo ac ſuperiores. In fine: *Expliciunt Evangelia ſuper Matthaeum ordinata a Fratre Thoma de Aquino.*

CXLIV. Codex Chartaceus in folio Bibliothecae Riccardianae Plut. K. Ord. III. n. XXXI. continens narrationem evangelii secundum Matthaeum ab Anonymo compositum.

Codices Evangeliſtariorum.

§. IV.

CXLIV. CODEX membranaceus, in folio, Bibliothecae Laurentianae, *Plut. XVII. num.* 18. ſcriptus ſaeculo XIV. eleganter, continet Evangeliſtarium cum hoc titulo: *Incipit Evangeliſtarium ſecundum conſuetudinem Romanae Curiae.* Prima littera picturata & variis figuris inſignis, complectitur etiam inſigne Columnenſium, cui galerus rubeus Cardinalitius ſuperpoſitus eſt.

CXLV. CODEX membranaceus in folio, eiusdem Biblioth. *Plut. XVIII. num.* 20., ſcriptus initio ſaeculi X. continet Evangeliſtarium eleganter exaratum. In Evangelio Ioannis: *Et ſine ipſo factum eſt nihil. Quod factum eſt. In ipſo vita erat*, ita interpungitur.

CXLVI. CODEX membranaceus in folio eiusdem Bibliothecae, & *Plutei*, *num.* 19. ſcriptus ſaecul. XII. continens Evangeliſtarium. In fine legitur. *Liber Petri de Medicis Coſ. F.*

CXLVII.

CXLVII. CODEX membranaceus in folio eiuſdem Biblioth. & *Plutei*, *num.* 2. ſcriptus ſaeculo XV. ſatis eleganter & ornate, continens Epiſtolare, & Evangeliſtarium, ad uſum Romanae Curiae, & orationes, ac miſſas, quae in Feſtis dicuntur, aliiſque diebus.

CXLVIII. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae Laurentianae, *Plut. XVII. n.* 21. continet Evangeliſtarium, & ſcriptus eſt ſaeculo XIII. In fine. *Liber Iuliani de Medicis Petri Fil.*

CXLIX. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae Coenobii Feſulani, ſcriptus ſaeculo XV. continet Epiſtolare, & Evangeliſtarium, in fine mutilum. Inſignibus Mediceae gentis exornatur.

Codices Actuum Apoſtolorum, Epiſtolarum, & Apocalypſeos.

§. V.

CL. CODEX chartaceus in folio, Bibliothecae Laurentianae, *Plut. XIX. num.* 8. ſcriptus ſaeculo XV. continet Epiſtolas Pauli, Actus Apoſtolorum, Epiſtolas Catholicas, Apocalypſin, Parabolas Salomonis, Eccleſiaſten, Sapientiam, Eccleſiaſticum, & Cantica Canticorum. Initio praecedunt Prologi, & ſeries capitum omnium Epiſtolarum Pauli. Aliis libris Novi Federis ſingulis Prologus & index capitum praemittitur. In fine eſt Epiſtola cum hoc titulo: *Narrat & Didimus Bragmanorum didaſta, vel in Epiſtola quam magno illi Alexandro reſcripſit,*

hic

hic dicens: Nos Bragmini nullas, magne Rex, turpes cogitationes habemus &c. Haec Epiſtola etiam in Bibliotheca Riccardiana adſervatur MSS. In prima huius Codicis pagina legitur: *Prefatio che Meſſer Bernabò de Biſconti da Milano fece cantare a tutti i ſuoi Preti ſotopoſti, mentre che egli ebbe guerra colla Chieſa. E dice così.* Deus qui oppreſſorum & iuſte precantium pias voces exaudis, concede quaeſumus per tuam ſanctam paſſionem, qua ſanctos patres a limbo miſerabiliter liberaſti, paſtores Eccleſiae Sanctae tuae, qui opprimunt & regunt tyrannica pravitate, tuo iuſto iudicio conterere. Haec ex aegritudine & perturbatione agitati animi, non ex recto iudicio, Principis proceſſiſſe quis non videat?

CLI. CODEX membranaceus in 4. Bibliothecae Laurentianae, *Plut. XXI. num.* 38. ſcriptus ſaeculo X. continet Actus Apoſtolorum, Apocalypſin, & Epiſtolas Catholicas: Libros inſuper Salomonis, & Sapientiam, atque Eccleſiaſticum Ieſu Siracidae. Adſcriptas habet in margine interdum variantes lectiones, & pluria correcta in textu reperiuntur. In Epiſtola I. Ioannis *Cap. V.* deeſt *verſ.* 7. qui deinde in ora libri ſuperiori ſcriptus fuit, & textus poſteriori manu interpolatus eſt. Textus primigenius ita habebat: *Quia tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, aqua & ſanguis & caro &c.* In fine Epiſtolae Iudae quaedam adnotantur ex Auguſtino & Ambroſio. Canticum canticorum ita ſcriptum eſt, ut Dialogus eſſe intelligatur. Tractim enim perſonae, quae interloquuntur, cinnabari in medio textu adnotantur. Poſt Canticum Canticorum habentur quaedam ſuper certis Eccleſiae ritibus obſervata, & ſuper ieiunio quadrageſimali, & ea non contemnenda. Deinde ſubſequuntur XV. ſigna quae

diem

diem Iudicii praecedere debent, quaeque ex Hieronymi Annalibus Ebraeorum excerpta dicuntur. Initio diverſa manu ſcriptum eſt: *Iſte liber eſt Monaſterii S. Bartholomaei de Bono Solatio . . . . . &c.*

CLII. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae S. Crucis, *Plut. II. num.* 21. ſcriptus ſaeculo XIV. continet Actus Apoſtolorum Epiſtolas Catholicas & Apocalypſim; cum gloſſis interlinearibus, & ſcholiis.

CLIII. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae S. Crucis, *Plut. IV. num.* 41. ſcriptus ſaeculo XIV. continet Apocalypſin, Epiſtolas Canonicas, & Actus Apoſtolorum cum ſcholiis In fine codicis additus eſt diverſa manu Prologus in Epiſtolas Canonicas, qui ibi Hieronymo tribuitur.

CLIV. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae S. Crucis, *Plut. IX. num.* 95. ſcriptus ſaeculo IX. vel X. continet Actus Apoſtolorum, Epiſtolas canonicas, Apocalypſin, & Epiſtolas Pauli. Praecedunt ſingula Prologus, & ſeries capitum. Iacobus, & Iudas in titulis Epiſtolarum dicuntur Apoſtoli. Ioannis Epiſtolae I. *Cap. V. verſ.* 7. ita interpolatus eſt, & eraſus, ut facile adpareat poſteriori manu multa eſſe addita & confuſa, quare ita nunc habet: *Quoniam tres ſunt, qui teſtimonium dant in celo, ſpiritus, aqua, & ſanguis. Et tres unum ſunt. Et tres ſunt qui teſtimonium dant in celo, Pater, & Filius, & Spiritus* (ſupra *filius* recentiori manu ſcriptum fuit, *Verbum;* & *Sanctus* additus voci *Spiritus*) & hi *tres unum ſunt*. Hic additur recentiori manu: *Et tres ſunt qui teſtimonium dant in terra ſpiritus, aqua & ſanguis*. Mox antiqua ſcriptura eraſa eſt, ſed e veſtigiis adhuc legitur: *Et hi tres in vobis unum ſunt*. In fine

ex-

exſtat hiſtoria adparationis S. Michaëlis Archangeli hoc titulo: *In Natalitiis S. Michaëlis*. Incipit: *Memoriam Beati Michaëlis Arcangeli toto orbe venerandam &c.* Adparet eſſe lectiones Officii Divini.

Codices Actuum Apoſtolorum.

§. VI.

CLV. CODEX membranaceus Bibliothecae D. Marci, Actus habet Apoſtolorum cum ſcholiis, ſcriptus ſaeculo XII. In fine poſt *fine probibitione* haec leguntur: *Quia hic Ieſus Chriſtus filius Dei, per quem incipiet totus mundus iudicari.*

Codices Epiſtolarum Pauli.

§. VII.

CLVI. CODEX membranaceus Bibliothecae D. Marci, continens Epiſtolas Pauli cum Gloſſis, ſcriptus eſt ſaeculo XII. Habent omnes argumenta.

CLVII. CODEX memb. Bibliothecae D. Marci, continet Epiſt. Pauli cum gloſſis, ſaec. XII. ſcriptus.

CLVIII. CODEX chartaceus in 8. Bibliothecae S. Mariae, continens Epiſtolas Paulinas, ſaeculo XVI. ſcriptus. Adſcripta ſunt ſcholia quaedam, & argumenta brevia. Omnes praecedit Epiſtola Interpre-

tis

tis ad Pontificem Maximum, qui vulgatam interpretationem, & Fabri, & Eraſmi etiam, irridet atque elevat, quaſi barbaras & incultas; & ipſe Latiniorem feciſſe ſibi videtur atque ornatiorem. Nuncupatoriam Epiſtolam, & eius translationis ſpecimen, hic edo.

Paulus Chriſti Apoſtolus adit Te, Beatiſſime Pater, Principem Chriſtianorum ſuis ſcriptis, ut cum per negocia licuerit videat Sanctitas Tua, candidiora ne illa ſint, & faciliora nunc Latinitate mea donata, quam umquam fuerint ante hac. Auctoritas ipſa viri ſatis per ſe commendatur apud Sanctitatem Tuam, atque ita ſuas partes tueri poteſt, ut nemini mirum videri debeat ſi Paulus Apoſtolus cum Pontifice Romano Latine loquatur. Verum haec quae ſcripta ſunt, dicat Sanctitas Tua, Epiſtolas ne illas, quae paſſim leguntur in Eccleſiis, a tot tantiſque viris retractatas? Has inquam, Pater Beatiſſime, quas nimirum Faber Latinitate donare voluit. Sed quia Licinia & Mutia lege impediretur haud longius ab antiqua ſede dimovit. Eraſmus autem parum fortaſſe memor tales nos in alteros eſſe debere, quales nobis illos exoptamus, Paulum in eam Latinitatem reſtituit, quam ne Moria quidem ſua admiſiſſet. Peream ſi quis in re Latina quantumvis inſtitutus ita in legendis iſtis interpretationibus non offendat, ut vix in una ſententia ſtare poſſit: imo ſuo hoc illi more interpretati ita ſtudioſos Religionis doctos homines deterruerunt, ut Paulum ipſum, qui ſecundum Evangelia Chriſtianos omnium optime inſtruit atque corroborat, in manus ſumere non audeant. Atqui non ornatum orationis requiro, neque de elegantia diſputo. Illud enim οὐ κρινόμεν ſi qua utuntur illi ratione interpretandi κατὰ αὐτὶ λέξιν verbum reddere verbo curioſius conſectantes, facilius vera ſententia eruatur.

tur. Omitto barbariam ineptiaſque, quas in ſingulis verbis eiuſmodi interpretes reponunt, qui contra auctoritatem Senecae faciem adplicationis, non vim exprimunt verborum, qualia ſunt: Acceptabile, Salvator, Genimina, Paſſio, Vnanimitas, Vivificatio, *atque alia id genus infinita, nimis iam patienter inter latina verba recepta. Iam quod tenebras certe obducant, atque ita aliud ſaepe occurrat quam ſenſerit auctor, quilibet legendo experitur. Quis enim vel totius latinitatis peritus, ſit alter Varro, ſi iuſtificationes (Verbi cauſa) legis, ideſt,* τὰ δικαιώματα νόμου, *exaudiat, ſanctiones illas intelligat, & quod continetur in lege? Aut cuiuſmodi illud eſt Argyropuli in* 3. Ethicorum, *ut faciunt qui extremis manibus lucrantur,* ὥσπερ οἱ ἀκροχειριζόμενοι, *de praeludiis intelligatur. Sed haec in complexione orationis abſurda magis exeunt. Nam quum unumquodque idioma ac dialectus ſuas habeat dicendi figuras, ſi ea lege transferantur omnia ad verbum, fiet, ut quamquam redundet oratio, ut in negationibus patet, quanquam manca ſit, ut ſaepe in comparatione, plerumque nihil certi eliciatur. Poteritne Latinus homo illud aequis auribus accipere: Ita gaudium erit in caelo ſuper uno peccatore poenitentiam agente, quam ſupra nonaginta novem? At hic loquendi modus bene habetur apud Graecos,* Βύλομ' ἐγὼ λαὸν σόον ἔμμεναι, ἢ ἀπολέσθαι. *Quid illud? In virga venio ad vos, an in caritate! ita ut non glorietur omnis caro. Apud Marcum etiam legimus: Amen dico vobis ſi dabitis generationi iſti ſignum. Quae cum aliis quam plurimis Latinitas abhorret, neque ex iis firmam certamque ſententiam excudere poteſt. Iſti tamen neſcio qua ſuperſtitione devincti in dictionum numero diligentiores, ſententias negligunt, quaſi vero myſteria in verbis magis quam in ſententiis verſentur. Contra*

ma-

maiores noſtri; omnis eorum in transferendo labor in ſententias tantum incumbebat. Verbis modo paucioribus, modo pro re nata pluribus. Quod multa quae adhuc ſuperſunt carmina Ennii, Pacuvii, Ciceronis, declarant. Elegantia vero orationis non video quam ob cauſam in genere aliquo philoſophiae damnari poſſit. In qua re longiores ad refellendam quorumdam hominum ruſticitatem, ne dicam barbariam, eſſemus, niſi huius cauſae pluribus in locis Cicero patrocinium ſuſcepiſſet. Sed & Baſilius ille Magnus dum apud Libanium inconditam ſuam orationem defendit, quoniam diſcipulus piſcatoris, ita tamen interea loquitur, ut praeceptor ille ſuus vim & ornatum orationis ita admiretur, ut obſtupeſcat. Nec me vero praeterit nonnullas eſſe voces, quae quum per ſe myſticae ſint commutari aut praeteriri ſine piaculo non poſſint. Sed has facile videbit fidus interpres, diligenterque ſervabit, ut ſine ſacrorum iactura, ſuorum civium auribus linguas accomodet externorum. Quod nos Tibi in Paulo ſi non effecimus, conati certe ſumus. Hoc igitur noſtrum interpretandi genus ſi probabitur abs te, maiorem mihi ex ea re fructum cepiſſe videbor, quam putaram: nam eum ſatis haberem, ſi hac veluti occaſione me quam deditiſſimum Tuae Sanctitati declararem ...... eſt, quam ob rem alii rhetores extimeſcant quaecumque fuerint eius iudicio comprobata.

Vt autem huius interpretationis ſpecimen praebeam, ἀποσπασμάτιον ex Epiſtola I. ad Corinthios huc transferam, quod ita habet:

Grates ago Deo meo, quod veſtrum abluerim neminem, Criſpo, Caioque exceptis, ne quis me functum hoc munere ſub meo nomine dicat. Stephanae quoque domum baptiſmate initiavi; praeterea, quem ſciam, neminem. Non enim eius rei cauſa delegavit me

Chriſtus, ſed ut Evangelium praedicarem; neque id quidem cum verborum ſapientia, ne Chriſti crux evaneſcat. Nam qui ſermo de cruce habetur, pereuntibus quidem ſtultitia, nobis vero qui ſalvamur, vis eſt Dei. Scriptum eſt enim ſapientiam perdam ſapientum, & prudentum deprimam prudentiam. Vbi nunc ſapiens, ubi Litterator? Vbi diſputator huius ſaeculi? Nonne Deus ſapientiam orbis huiuſce ſtultam reddidit? Quum enim per ſapientiam Dei, non adgnoſceret mundus ſua ſapientia Deum, decrevit Deus ſtultitia praeconii ſervare credentes. Quoniam quidem Iudaei miracula efflagitant; Graeci vero ſapientiam requirunt; nos vero Chriſtum crucifixum praedicamus; Iudaeis quidem offenſionem; Graecis vero ſtultitiam; iis autem qui vocati ſunt & Iudaei, & Graeci, Chriſtum potentiam, ſapientiam Dei; nam quod ſtultum eſt apud Deum (crux enim ſalutem orbi conciliavit, ſapientes autem circa orbis quaeſtiones verſantur) ſapiens eſt magis omnibus hominibus; & quaecumque Dei infirmitas firmior eſt toto humano genere (nam crucem nulla adhuc vis humana demoliri potuit) Conſiderate ſiquidem fratres evocationem veſtram, quoniam non multi ſunt inter vos ſapientia humana praediti, quia pauci potentes, quia pauci nobiles. Sed, quod in mundi ſtultitia cenſetur, ſelegit Deus, ut validiora deturbaret; ignobiliora orbis terrarum & expoſita Deus adlegit, quaeque enim nulla ſunt, ut quod aliquid eſſe videatur, deſtrueret, ne quid humanum apud illud gloriari poſſit. Ex eo nempe manatis vos per Chriſtum Ieſum, qui ſapientia nobis eſt a Deo, iuſtitiaque, & ſanctimonia, & recuperatio noſtra, ut quemadmodum ſcriptum eſt: Qui gloriatur in Domino glorietur. Maius eſt hoc quam ſi diceret, quod ſapientia & ſanctitate nos adfecit.

CAP. II.

C A P. I I.

Nec minus & ego Fratres delatus ad vos, non orationis, ſapientiaeve, excellentia inſtructus teſtimonium vobis Dei adnunciavi. Nihil enim magis apud vos noviſſe curavi quam Ieſum Chriſtum & ipſum quidem crucifixum. Ego quoque parum firmus, meticuloſuſque, & in maximo pavore vobis verſatus ſum; oratio autem praeconiumque meum non ſuaſoria verba humanae ſapientiae, ſed ſpiritum potentiamque prae ſe tulit, ut fides veſtra non ex humana ſapientia pendeat, ſed ex potentia Dei. Quamquam apud eos qui perfecti ſunt ſapientiam loquimur, eam ſane quae non eſt huiuſce ſaeculi, neque principum terrenorum, qui diffinguntur. Sed ſapientiam Dei tractamus in myſterio deliteſcentem, quam Deus ante ſecula deſtinavit in gloriam noſtram, quam nullus huius orbis princeps cognovit; nam ſi cognitam habuiſſent, nequaquam gloriae Dominum cruci adfixiſſent &c.

CLIX. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae Riccardianae, *Plut. K. ord. II. n.* 4. eiusdem librarii, & eiusdem antiquitatis ac Codex Evangeliorum Matthaei & Iohannis, de quo ſuperius §. 3. *n.* 125. loquuti ſumus, complectens Epiſtolas Paulinas XIV., Latinas, vulgatae editionis. Eodem modo ac Evangelia illa ſcripta ſunt, ora lata vacua relicta, latoque interſtitio lineis diſtantibus, ut gloſſae interſeri poſſint, & ſcholia adnotari, id quod fere fit in pleriſque Novi Teſtamenti Codicibus MSS. Latinis paulo antiquioribus. In nulla capita diſtinctae ſunt, ſed Epiſtola ad Romanos crebras habet litteras initiales rubras, quae initium capitis, aut ſubdiviſionis, denotare videntur; ſed quae certe ca-

pita vulgatae diviſioni minime reſpondent, frequentiora ſunt: quare alia manu rubrica opportune in textu, & ora libri, adnotatum fuit, unde capita quaelibet iuxta conſuetam ſeriem inchoarentur. Id quod de Epiſtola ad Romanos dictum eſt, de aliis quoque Epiſtolis intelligendum; niſi quod in quibusdam initia illa rubrica notata tam frequentia non ſunt. Quamquam deprehendi rubrica illa uſum eum, qui unciales & picturatas litteras cuiuſque Epiſtolae exordiis adpoſuit, & primas voces deſcripſit, quae deerant, ut in Evangelio Ioannis obſervare eſt. Ille igitur, inquam, & ubi in contextu ſpatium hiabat, & initialis littera deerat, rubrica litteram exaravit. Hic autem rudioribus ſaeculis vixiſſe videtur, & quidem poſt XI., quum Gotthica ſcriptura utatur: quin primam Epiſtolae ad Ebraeos vocem ita ſcripſit: *Multifarie*, quum alias *Multifariam* habeamus. Ceterum ſcholia & gloſſae eiusdem methodi ſunt, ac illae Evangeliorum Matthaei & Iohannis: quamquam heic interdum ex *Auguſtino* & *Ambroſio*, eorum nomine adſcripto, deſumuntur. Scholiaſtes hic ad Epiſtolam ad Ebraeos haec ſcribit inter alia: *Scripſit autem hanc Epiſtolam Ebraica lingua, cuius ſenſum & ordinem Lucas retinens, poſt exceſſum eius Graeco ſermone compoſuit.*

CLX. CODEX membranaceus, in 4. Bibliothecae Mediceae Palatinae, Epiſtolas D. Pauli, Catholicaſque, complectitur.

CLXI. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae Laurentianae, *Plut. XX. num.* 13. ſcriptus ſaeculo XII. continet Epiſtolas Pauli hoc ordine, ad Romanos, ad Ebraeos, ad Titum, ad Philemonem, ad Galatas, ad Epheſios, ad Coloſſenſes, ad Theſſalo-

ſalonicenſes, ad Timotheum II. ad Corinthios II. cum perpetuis commentariis, quorum initium: *Haec tria videntur eſſe conſideranda in unaquaque harum Epiſtolarum, &c.* Textus rubrica ſcriptus eſt, commentarii, ex Ambroſio praecipue repetuntur, hoc eſt Ambroſiaſtro, ſeu Hilario Diacono, ut puto. Epiſt. I. ad Corinthios *Cap. I.* ad illud. *Videte enim vocationem veſtram* &c. ait: *Vere per ſtultitiam praedicationis fecit Deus ſalvos credentes. Nam vos fecit ſalvos per idiotas Apoſtolos &c.* Hic Codex conſtat paginis CCCLX.

CLXII. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae Laurentianae, *Plut. XXIII. num.* 5. ſcriptus ſaeculo XIII. continet Epiſtolas D. Pauli cum gloſſis interlinearibus & ſcholiis.

CLXIII. CODEX membranaceus in folio, eiuſdem Bibliothecae, *Plut. XXIII. num.* 13. ſcriptus ſaeculo XII. continet Epiſtolas D. Pauli cum gloſſis interlinearibus & ſcholiis eodem modo. In fine codicis ſic legitur. *Mitia fata mihi. Franciſci Saſſetti Thomae filii civis Florentini.*

CLXIV. CODEX membranaceus in folio, eiuſdem Bibliothecae, eodem *Plut. num.* 9. ſcriptus ſaeculo XV. continet Epiſtolas Pauli cum perpetuis & prolixis commentariis. Textus maioribus litteris diſtinguitur.

CLXV. CODEX membranaceus in 8. eiuſdem Bibliothecae, eodem *Pluteo num.* 96. ſcriptus ſaeculo XV. continet Epiſtolas Pauli elegantiſſime ſcriptas, & frequentibus picturis Pauli vitam & res geſtas exhibentibus ornatas, picturiſque aliis cuiuslibet capitis initio decoratas.

CLXVI. CODEX membranaceus in 4. eiuſdem Bibliothecae, & eodem *Pluteo num.* 11. ſcriptus ſae-

culo XII. continet Epiſtolas Pauli cum gloſſis interlinearibus, & ſcholiis.

CLXVII. CODEX membranaceus in 4. eodem *Plut. num.* 10. ſcriptus ſaeculo XIII. eadem continet.

CLXVIII. CODEX membranaceus in folio minori *num.* 7. eadem continet. Scriptus eſt ſaeculo XIII.

CLXIX. CODEX membranaceus in folio, *n.* 12. eadem continet. Scriptus ſaeculo XIII.

CLXX. CODEX membranaceus in folio, *num.* 8. eadem continet. In fine: *Liber Petri de Medicis Coſ. Fil.* Scriptus eſt ſaeculo XIII.

CLXXI. CODEX membranaceus in folio, eiuſdem Bibliothecae, *Pluteo XXIV. num.* 2. ſcriptus ſaeculo XIII. continet Epiſtolas D. Pauli excepta Epiſtola ad Ebraeos, cum expoſitionibus Beati Remigii. Initium. *Incipit Prologus Beati Remigii in Epiſtolam ad Romanos. Achaiae regionis Graecorum ſcripſit Apoſtolus Paulus Romanis hanc Epiſtolam &c.* Textus rubrica ſcriptus eſt.

CLXXII. CODEX membranaceus in folio, eodem *Pluteo num.* 3. eadem continens, ſed elegantiſſime ſaeculo XVI. ſcriptus iuſſu, ut videtur, vel Leonis X. vel Clementis VII. nam Medicum inſignia inſunt cum tiara Pontificia ſuperpoſita. Titulus eſt. *Incipit S. Remigii Archiepiſcopi & Confeſſoris ſuper Epiſtolas Pauli enarratio.* Textus cinnabari ſcriptus eſt.

CLXXIV. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae S. Crucis, *Plut. II. n.* 20. ſcriptus ſaeculo XIV. complectitur Epiſtolas omnes Divi Pauli cum commentariis contextis ex SS. Patribus, quorum ſingula nomina citantur in margine, catenarum ritu.

CLXXV.

CLXXV. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae S. Crucis, *Plut. IV. num.* 42. ſcriptus ſaeculo XII. continet Epiſtolas Pauli cum ſcholiis.

CLXXVI. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae S. Crucis, *Plut. IV. n.* 43. ſcriptus ſaeculo XIII. continet Epiſtolas Pauli cum commentariis. In tegumento Codicis ſcriptum eſt: *Magiſter ſententiarum ſuper Epiſtolas Pauli.*

CLXXVII. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae S. Crucis, *Plut. IV. n.* 44. ſcriptus ſaeculo XIII. continet Epiſtolas Pauli cum ſcholiis.

CLXXVIII. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae S. Crucis, *Plut. XIII. n.* 148. ſcriptus ſaeculo XI. continet Expoſitiones S. Ambroſii in Epiſtolam ad Romanos; S. Remigii, in reliquas Epiſtolas Pauli; & in Epiſtolas ad Titum, & Philemonem, exſtat Commentarius B. Hieronymi.

CLXXIX. CODEX membranaceus in folio, eiuſdem Bibliothecae, *Plut. XIV. numer.* 160. ſcriptus ſaeculo XIII. continet Commentarios Hieronymi in Epiſtolas Pauli. Forte Expoſitiones Pelagii ſunt. Incipit: *Epiſtolae ad Romanos cauſa haec eſt.*

CLXXX. CODEX membranaceus in folio, eiuſdem Bibliothecae, *Plut. XIV. num.* 155. ſcriptus ſaeculo X. continet Commentarios, Ambroſii, Hieronymi, & Remigii, in Epiſtolas Pauli.

CLXXXI. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae Coenobii S. Bartholomaei Feſulani, ſcriptus ſaeculo XIV. continet Epiſtolas Pauli cum commentariis. Initio indicatur hunc codicem ex hereditate Ioannis Coſmae Medicis Filii proveniſſe.

Codices Epiſtolarum Catholicarum, & Apocalypſis.

§. VIII.

CLXXXII. CODEX membranaceus, Bibliothecae D. Marci, continens Epiſtolas Catholicas, & Apocalypſin Evangeliſtae Ioannis cum gloſſis, ſcriptus ſaeculo XII.

CLXXXIII. CODEX membranaceus, Bibliothecae D. Marci, comprehendit Actus Apoſtolorum, Epiſt. Cath. & Apocalypſin, cum gloſſis, ſcriptus ſaeculo XIV.

Codices Epiſtolarum Catholicarum.

§. IX.

CLXXXIV. CODEX membranaceus, Bibliothecae D. Marci, continens Epiſtolas Catholicas, ſcriptus ſaeculo XI. cum gloſſis; & nullis capitibus diſtinguitur.

CLXXXV. CODEX membranaceus, Bibliothecae D. Marci, Epiſtolas Catholicas cum gloſsis comprehendit. Saeculo XII. ſcriptus eſt.

CLXXXVI. CODEX membranaceus in 4. Bibliothecae Laurentianae, *Plut. XVII. n.* 17. ſcriptus ſaeculo

culo XI. continet Epiſtolas Catholicas, cum ſcholiis. In fine. *Liber Petri de Medicis Coſ. F.*

CLXXXVII. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae Laurentianae, *Plut. XIX. n.* 22. ſcriptus ſaeculo XIII. continet Apocalypſin cum gloſſa interlineari, & ſcholiis. Diviſa eſt in capita cum ſubdiviſionibus.

CLXXXVIII. CODEX membranaceus in 4. Bibliothecae Laurentianae, *Plut. XIX. n.* 23. ſcriptus ſaeculo XI. continet Apocalypſin cum ſcholiis, & gloſſis interlinearibus. Praecedit ſeries capitum; textus autem nullam habet diviſionem. In fine: *Liber Petri de Medicis Coſ. Fil.*

CLXXXIX. CODEX membranaceus in 4. Bibliothecae Laurentianae, *Plut. XIX. num.* 24. continens Epiſtolas Catholicas, cum gloſſis interlinearibus, & ſcholiis. Iacobus, & Iudas, in titulis dicuntur Apoſtoli. Scriptus ſaeculo XII.

CXC. CODEX membranaceus in 4. Bibliothecae Laurentianae, *Plut. XX. num.* 49. ſcriptus ſaeculo XIII. continet Epiſtolas Catholicas cum gloſſis interlinearibus, & ſcholiis. Eodem Codice habentur quoque Synonyma Iſidori Hiſpalenſis, Eccleſiaſtes Salomonis, Liber Iobi mutilus in fine, & Acta quaedam Concilii Lateranenſis ſub Innocentio III. celebrati.

Codi-

Codices Apocalypſeos.

§. X.

CXCI. CODEX membranaceus Latinus Bibliothecae D. Marci, continens Apocalypſin cum Gloſſis, ſcriptus ſaeculo XII.

Codices Epiſtolarium & Lectionariorum.

§. XI.

CXCII. CODICES duo membranacei in folio, Bibliothecae privatae *Gab. Riccardii*, ſcripti ſaeculo XIV. ſatis eleganter, complectuntur Lectionarium ad uſum Fratrum Minorum, in quo Lectiones quaedam ex Novo Teſtamento, in Officio divino recitari conſuetae.

CXCIII. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae Coenobii Feſulani, ſcriptus ſaeculo XV. & Mediceae gentis inſignibus depictus, Lectionarium complectitur.

CXCIV. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae S. Bartholomaei Feſulani, ſcriptus ſaeculo XIV., continet Miſſale. Initio & fine caret.

Adi ſuperius *§. IV. N. CXLVII.*

CODI-

CODICES NOVI TESTAMENTI ORIENTALES.

SECTIO III.

§. I.

Codices quatuor Evangeliorum.

CXCIII. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae Laurentianae, *Pluteo I. num.* 40. continet quatuor Evangelia Syriace; de quo Codice ita commentatus eſt Vir Cl. & doctiſſimus *Petrus Ambarachi* ſeu *De Benedictis*, Maronita, & nunc Societatis Ieſu Presbyter: *Codex Evangeliorum Syriacus uncialibus litteris exaratus, & optime conſervatus. Editio recentior, quam Thomae Heracleenſi tribuunt quidam recentiores*, Gregorii Bar-Ebraei *auctoritatem ſequuti, qui in* Praefatione *ſui* Theſauri *ſic ſcribit:* Novum Teſtamentum ex Geaeco in Syriacum iterum converſum eſt in urbe Mabug in diebus Philoxeni a Thoma de Charkel. *At Charkel non eſt Heraclea, quae ſemper per . . . . effertur & ſcribitur, ſed pagus in Meſopotamia. Et Gregorii teſtimonio teſtimonium ipſius Thomae praeferendum eſt, qui verſionem ſub Philoxeno adornatam tantum emendaſſe ſe ſcribit, numquam vero ſuae verſionis meminit. Eiusdem confeſſionem hic ſubiicio, quam ex Codice ipſius Thomae manu exarato deſcriptam ad me*

miſit

Digitized by Google

miſit de hac re conſultus doctiſſimus idemque amiciſſimus Dominus Fauſtus Naironus. Collatus eſt autem Codex iſte cum duobus Codicibus authenticis. Converſus eſt autem liber iſte quatuor Sanctorum Evangeliſtarum ex lingua Graeca in Syriacam perexacte & magno cum labore; primum quidem in urbe Mabug in diebus Domini mei Philoxeni Epiſcopi eiusdem Vrbis. Collatus eſt poſthaec magna cum diligentia a me Thoma paupere cum tribus Codicibus Graecis probatis & authenticis in Anton Alexandriae magnae Civitatis, Sancti Monaſterii Antonii, ubi etiam illum ſcripſi mihi ad utilitatem animae meae peccatricis, & plurimorum eorum, qui diligunt & quaerunt ſinceritatem & αὐθεντίαν illam utilem divinorum librorum ſcire & ſervare. Scriptus eſt autem & collatus in praedicto loco anno nongenteſimo vigeſimo ſeptimo Alexandri. (hoc eſt, Chriſti DCXVII.)

Amanuenſis nota in fine Codicis: Explicit Codex iſte Evangeliorum in civitate Orphae, quae eſt in Meſopotamia in templo Apoſtolorum Sanctorum in eadem civitate Orphae, menſe Decembri, anni milleſimi ſexageſimi octavi Alexandri, Indictione duodecima. Eſt autem ſanctiſſimi & Dei amantis atque venerabilis Domini mei B. Abrahami, qui praeeſt ſancto coetui Monaſterii S. Iacobi, quod eſt in oppido Karmuk, quod eſt in regione Orphae. Quem Codicem ſibi adornavit ipſe, veluti in ſpiritualem utilitatem ſuam, & eorum omnium qui illum legerint. *Deducta igitur Alexandri Epocha ad noſtrum computum, ſcriptus fuit hic Codex anno Chriſti DCCLIX. in quem incidit indictio XII. ab Amanuenſi notata.*

Cano-

Canones Euſebianos, & lectionum tabulam ſub initium exhibet. Sed haec adiecta videntur recentiori manu, nec character, licet & ipſe perantiquus, aetatem Codicis aequat.

Hactenus Vir Clariſſimus, ex cuius verbis corrigi debet Catalogus *Wilb. Langii*, qui in anno Codicis adnotando a veritate longius aberrat. Hic ipſe Codex collatus fuiſſe videtur cum Graeco exemplari, nam in ora paginarum voces quaedam Graecae idemtidem adſcribuntur, uncialibus litteris, ut exempli gratia in Evangelio ſecundum Matthaeum. ΗΝ ΡΑΜΑ. ΑΡΧΕΛΑΟΣ. ΑΚΡΗΔΕΣ. Atque ita paſſim in hoc, & in aliis Evangeliis. In Evangelio Ioannis adnotatur: ΠΡΟΒΑΤΗΚΗ. Sed quum exploratum ſit exemplar Thomae cum tribus Codicibus Graecis collatum fuiſſe, num hae Graecae adnotationes ex illo exemplari deſumtae fuerint? Certe eae recentiori manu, licet antiqua, ſcriptae eſſe videntur; ſed quum utrumque eſſe poſſit, rem in medium relinquimus.

CXCVI. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae Laurentianae, *Pluteo I. num. 56.* quatuor Evangelia Syriaca complectitur. De hoc Codice ſtatim laudatus Vir Clariſſimus haec commentatur: *Numero 56. ſacroſancta quatuor Evangelia Syriaca, Chaldaico Stranghelo charactere deſcripta capitalibus litteris in pergameno, cum harmonia Ammonii, & Euſebii Epiſtola. Additae ſunt recentiori manu tabulae lectionum ad uſum Eccleſiae Maronitarum, quibus reſpondent ad marginem notae nova manu adpoſitae. Aliae ſunt, & ab his diverſae, in corpore eiusdem cum ipſo Codice antiquitatis, quae lectionum tempus, & ordinem deſignant, & cum illis, quae in Polyglottis exhibentur, non ſemper conveniunt.*

Nota

Nota Amanuenſis: Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto, nunc, & ſemper, & in ſaeculum ſaeculorum, qui adiuvit ſervum ſuum peccatorem miſerabilem & imperfectum Rabulim librarium, & ſcripſit. Finem habuit iſte codex die 6. menſis Februarii Indictione IV. anno octingenteſimo nonageſimo ſeptimo Alexandri. Domine da pacem Eccleſiae tuae in omnibus locis. Scriptus & completus eſt hic in Coenobio ſancto domus Domini mei Sancti Ioannis in Zagba in diebus Dei amantis Sergii Presbyteri & Abbatis &c. *& paucis interiectis:* Quicumque autem legerit in iſto Codice, oret pro ſanctis, & Dei amantibus, & bona memoria dignis, Ioanne Presbytero Monaſterii de Larbio, & Iſahac Diacono de Stainata, qui migravit de hoc ſaeculo ad Dominum, quoniam labore eorum & eorum opera initium habuerunt hi Codices, & pro excellenti Chriſtophoro Lugente, & Martyrio presbytero eiuſdem Monaſterii, & nobili Domino meo Damiano Legisperito de domo Protogenis, qui ſtetit, & curavit, & perfecit poſt eos, & in ordinem redegit, & coniunxit, contulit, & poſuit eosdem Codices in eodem Monaſterio Domus Domini mei Sancti Iohannis in Zagba.

Inferius recentiori manu: Poſt obitum Romani presbyteri & viſitatoris Antiochiae, datus fuit hic Codex Evangeliorum Eccleſiae S. Georgii, ut ſit bona memoria his presbyteris Romano, & Conſtantino, & ſociis eorum. Et ſi aedificabitur alia Eccleſia in urbe, hic liber Eccleſiae, quae aedificabitur, eſto.

Ad initium & finem Codicis notantur varia legata pia, & donationes factae Monaſterio S. Mariae de Kannubin, in quo reſident hoc tempore Patriarchae

Ma-

Maronitarum, aliaque monumenta ad eoſdem ſpectantia. Inſigne prae ceteris eſt ſequens, quod quum Eccleſiaſticae hiſtoriae fragmentum ſit, ne periret huc tranſcribendum putavimus.

Anno milleſimo quadringenteſimo & nonageſimo Seleucidarum (*Chriſti* 1179.) die nona menſis Februarii, veni ego humilis Ieremias de oppido benedicto de Damalſa ad Monaſterium Sanctae Dominae noſtrae Mariae de Maiphux in Valle de Ailig Provinciae Botoron ad Dominum meum Petrum Patriarcham Maronitarum, & proclamatus fui ab eius ſanctis manibus Metropolita ſuper Monaſterium ſanctum de Chephtun, quod aedificatur ad ripam fluminis (*Adonius*) & permanſi ibi quatuor annos, in diebus Monachorum habitantium in Monaſterio, & ſunt, Monachus Stezechiel & ſocius eius Iſahias, & &c. & elapſo quadriennio poſtulavit me Regulus Bybli, cum Epiſcopis & Eccleſiarum Rectoribus & presbyteris καὶ ἔδωκαν κλήρους, καὶ ἔπεσεν ὁ κλῆρος ἐπ᾽ ἐμέ, & crearunt me Patriarcham in Sancto Monaſterio de Chalat; & deinde miſerunt me ad Civitatem magnam Romae, & reliqui fratrem noſtrum Epiſcopum Theodorum, qui gregem regeret & moneret. *Iſte Ieremias interfuit Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. Eius effigies adhuc viſitur in templo S. Petri in Vaticano; & eiusdem Innocentii ad eumdem exſtat diploma. Nota interim ex hoc teſtimonio auctoritatis inelúctabilis invincibiliter refelli fabuloſa cuiusdam fratris Gryphonis acta, quae in Chronicis Fratrum Minorum circumferuntur, in quibus ab eodem Maronitas Chriſtiana primum ſacra ſuſcepiſſe cum ſumma Catholicae ab immemorabili aevo nationis iniuria vulgatum eſt. Haec forſan* παρὰ τὸ ἰδοῦ. Sed ὅπου τις ἀλγεῖ, κἀκεῖ καὶ τὸν νοῦν ἔχει.

Le-

Lectionum tituli antiqui variant aliquando a deſcriptis in tabulis, quas ad initium Codicis adiectas diximus ſupra, & utrique ab editis in Polyglottis. In his omnibus tamen cultus Sanctorum, defunctorum memoria, ſacrorum hominum χειροτονία, ieiuniorum obſervantia, aliique Eccleſiaſtici ritus, laudantur. Hinc praeter Eccleſiaſticae traditionis αὐθεντίαν colligitur etiam Syriaci ritus antiquitas, ad cuius canones ordo lectionum in hoc Codice exigitur; nec proinde ſacras Syrorum ordinationes adeo eſſe recentes, ut ſaeculo ſexto, quo hic liber deſcriptus legitur, antiquiores non ſint, ſicut a nonnullis perperam exiſtimatum eſt.

Ad haec hiſtoriam adulterae non habet. Verba Chriſti Il Il Lamaſabaktani, *in textu S. Matthaei non interpretatur, ſed ſolum in Marco, & Luca. Deeſt pericope ex primo capite S. Matthaei, uſque ad verſum vigeſimum tertium. Antiquitas* Codicis *raro aliam parem inveniet, quum ſuperet milleſimum. Annus in ſubſcriptione notatus a Librario fuit Chriſti quingenteſimus octogeſimus ſextus, in quem ferme incidit indictio quarta ab eodem deſignata ſub Pelagio Secundo Summo Pontifice, & Imperatore Mauritio.*

Monuimus ſupra Evangelici textus diſtinctionem aliam placuiſſe Syris, & quidem a Graecis & Latinis diverſam. Haec autem duplex eſt altera per lectiones . . . . . altera per oracula ſeu ſententias . . . . Prima notatur in corpore textus, ſecunda ad calcem cuiuſcumque Evangeliſtae explicatur adiecta epigraphe, quam in editis praetermiſſam hic reddo.

Finem habuit deſcriptio Evangelii *Matthaei*, qui loquutus eſt Ebraice in Palaeſtina; in eo autem ſunt oracula bis mille quingenta & viginti duo.

Marci: Finem habuit deſcriptio Evangelii praedicationis Marci Apoſtoli, qui loquutus eſt & praedicavit

cavit & ſcripſit Romane in Vrbe Romae. In eo ſunt oracula mille ſexcenta & ſeptuaginta quinque.

Lucae: Finem habuit deſcriptio Evangelii praedicationis Lucae, qui Ionice ſeu Graece loquutus eſt in magna Alexandria. Sunt autem in eo tria millia & octoginta tria oracula.

Iohannis: Finem habuit deſcriptio Evangelii Iohannis, qui loquutus eſt & ſcripſit Ionice in Epheſo. In eo autem ſunt mille nongenta & triginta octo oracula. Omnium oraculorum ſeu ſententiarum, quae ſunt in quatuor Evangeliis, ſumma novem millia ducenta viginti quatuor.

Quod Graecis eſt Στίχος, & nobis Verſus, Syris eſt . . . . Phetgoma, nempe ſententia, oraculum, ſermo, vox Syriae αὐτόχθων etſi primo adſpectu videatur τοῦ ἑλληνικοῦ κόμματος & ἀπὸ τοῦ φθέγγεσθαι deducta. Nam Danielis tempore, cui vox haec frequens eſt, nondum Helleniſmus aliarum linguarum fines invaſerat.

Conſulto has Epigraphes integras fideliter ex Syriaco retuli, ut vel hinc diſcant Cenſores quidam τὴν ἀλαζονείαν καὶ τὸν τύφον deponere, ſciantque non adeo novam eſſe Romanorum ſententiam, quod Matthaeus Ebraice ſcripſerit, & Marcus Latinis hominibus Latinum dederit Evangelii textum, ut iactare poſſint, quod nullum extat *huius rei* apud veteres veſtigium praeterquam apud Damaſum in vita Petri. *Habent hic in noſtro codice antiquam traditionem, cui etiam conſonant alia Syriaca exemplaria quamplurima, atque his Arabica, a quibus praeter illud quod Nirſtenius laudat antiquiſſimum in vitis Evangeliſtarum, alia duo ex Vaticano & Coptorum editione Arabica, quae penes nos, dictis conſentiunt.* Hic Codex elegantiſſimus ornatur picturis variis, & imaginibus res geſtas, quae in novo Teſtamento narrantur, repraeſentan-

 tibus;

tibus; ex quibus, utpote perantiquis, hiſtoria Eccleſiaſtica, & opiniones veterum lucem non modicam mutuare poſſunt. Ipſe quidem hic eas delineatas exhibere non poſſum iniquis ſpatiis excluſus; ſed *Ant. Fr. Gorius V. Cl.*, cui eas indicavi, aeri incidendas ſe curaturum recepit, & in opere Chriſtianorum monumentorum, quod molitur, publici iuris facturum. *Langius* iis res geſtas etiam Veteris Teſtamenti exhiberi ait, ſed fallitur.

CXCVII. CODEX membranaceus in folio, eiuſdem Bibliothecae, *Plut. I. num.* 58. qui continet, ut laudatus Vir Clariſſimus ait, *Sanctum I. C. Evangelium editionis eiusdem cum ſuperiore, Syro ſermone, & charactere, deſcriptum, cum Canonibus Euſebii & eiusdem Epiſtola ad Carpianum (corrigendus interpres, qui ad marginem Lacraſinum pro Carpiano repoſuit.) Literarum maieſtas, ſcripturae vetuſtas, operis forma, ſuperioris Codicis aetatem aequare videntur, de qua quominus certi aliquid decernamus abſtulit idem, qui ultimas paginas diſtraxit ab illis verbis Chriſti* Regnum meum non eſt de hoc mundo. *Ne tamen illa periret omnino fecit uſus Orientalium omnia familiae monumenta gravioris momenti in ſacris codicibus deſcribendi. In hoc codice ſicut in aliis ſupra recenſitis quamplurima huius generis exhibentur. Unum do ad rem noſtram.*

In nomine Cauſae omnium. Anno milleſimo quingenteſimo octavo filii Archipresbyteri Clementis diviſerunt inter ſe menſes, quibus miniſtrare deberent Eccleſiis ſuis S. Baſilii, & S. Lucii, & fuit pars Barſumae December, Ianuarius, Iunius, & Iulius, quatuor menſes; & Salomonis & Philippi alii octo menſes. *Hinc apparet huius Codicis aetas quadringentis annis maior cum Alexandri Epocha hoc anno milleſimo*

ſex-

ſexcenteſimo nonageſimo octavo numeret annum a ſecundo milleſimo, nonum. Sed multo vetuſtiorem eſſe Codicem oſtendit quae ſequitur nota.

In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Accidit terraemotus die . . . Aprilis exeunte Feria ſexta maiori, & ineunte Sabbato maiori . . . . . . & continuit, & depoſuit maria, & aedes evertit, anno trecenteſimo primo ſub imperio Alhaſiae...., ſub Praeſide Damaſci Saif.... Ego Simon Bar Habaiſc. auctor huius notulae Arabs. *Arabum epocha utitur, quae deducta ad noſtrum computum, huius Codicis aetatem octingentorum annorum dabit.*

A praefati Archipresbyteri heredibus ad Monachos S. Mariae de Kannubin translatus ad uſum Patriarcharum Maronitarum fuit. Liquet ex Epigraphe Arabica adiecta.

Cenſuram horum trium Codicum ex Langio *deſumtam habes in* Prolegomenis Bibliorum *Londinenſium & in* Biblioth. Orientali Hottingeri. *Sed utrobique error in ſupputatione aetatis primi Codicis irrepſit & pro anno Alexandri milleſimo trigeſimo octavo, annus milleſimus ſexageſimus octavus ſuppoſitus.*

§. II.

CXCVIII. CODEX chartaceus in folio, Bibliothecae Laurentianae, *Plut. I. numer. 11.*, quem Evangelia litteris & lingua Armena exarata continere falſo adſerit *Langius*, Miſſale eadem lingua complectitur. Haſce autem notitias omnes, quae Codices Orientales attinent, mecum perhumaniter

Digitized by Google

communicavit Vir eruditiſſimus *Ant. Mar. Biſcionius*, ſchedis Petri Ambarachi laudati mihi liberaliter commodatis; ex quibus & ipſe hauſit ea, quae ſuo generali Bibliothecae Laurentianae Catalogo de his ipſis Codicibus inſeruit.

CODICES ITALICI NOVI TESTAMENTI.

SECTIO IV.

§. I.

Codices totius Novi Teſtamenti.

CXCIX. CODEX chartaceus in folio, Bibliothecae Riccardianae, *Plut. P. Ord. I. Cod. I.* continet integrum Novum Teſtamentum Italice converſum. Praefigitur ei index Evangeliorum, quae per annum leguntur. Deinde titulus ita habet: *Al Nome di Dio Amen. Quì ſi cominciano i Santi Vangieli, e del noſtro Signore & Salvatore Ieſu Chriſto, figliuolo di Dio; fatti per quattro Santi Evangeliſti.* Et prima *il Vangelio di S. Matteo hordinato per XXVIII. capitoli, come per inanzi ſi vedrà. Prologo di S. Girolamo Dottore ſopra il Vangelio di S. Matteo.*

Matteo ſiccome nell' ordine primo ſi pone, così il Vangelio prima in Iudea ſi ſcriſſe. La cui vocazione &c. Et hic Prologus idem eſt atque is, qui Evangelio Matthaei vulgo in MSS. Codicibus praefigitur,

tur, ut ſuperius quidem indicavimus, non tamen integer, ſed mutilus in medio, & in fine. In fine autem Evangelii Matthaei ſcriptum eſt: *Compiuto il Vangelio di Santo Matteo, comincia il Prolago del Vangelio di S. Marco fatto da S. Girolamo.*

Marco Evangeliſta eletto di Dio, e nel batteſimo figliuolo di Pietro, e nel divino ſermone diſcepolo &c. In fine: *Compiuto il Vangelio di S. Marco, comincia il Prolago di Santo Girolamo ſopra il Vangelio di Santo Luca.*

Luca Siro, per nazione Antiocciano, nell' arte Medico, diſcepolo degli Apoſtoli, &c. Et abſoluto Prologo: *Prolago di Santo Luca a Teofilo.* Et mox: *Compiuto il Prologo di Santo Luca a Teofilo, cominciaſi il ſuo Santo Evangelio.* In Evangelii fine: *Compiuto il Prolago del Vangelio di Santo Luca in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Amen. Incominciaſi il Prolago di Santo Girolamo ſopra il Vangelio di San Giovanni.*

Queſto è Giovanni Evangeliſta uno de' Diſcepoli di Dio, lo quale vergine eletto da Dio, e il quale dalle nozze, vogliendo ammogliare, chiamò Iddio alla verginità &c. Obſervandum autem eſt cum *R. Simonio P. II. Hiſt. Crit. N. Teſt. Cap....* hoſce omnes Prologos Evangeliis praefixos eſſe apocryphos atque ſuppoſititios, & Hieronymi nomen mentiri. Animadverſione ergo dignum eſt initium Evangelii Ioannis, quod ita Italice convertitur. *Nel principio era lo figliolo di Dio, e 'l figliuolo di Dio era apo Dio, e era Iddio il figliuolo di Dio.* Abſolutis Evangeliis eo, quo diximus, ordine, Epiſtolae Pauli ſuccedunt, quarum, quae ad Galatas eſt, hunc titulum praeſefert: *Qui comincia la Piſtola di Santo Paolo mandata a quegli di Galatia, i quali erano Greci.* Id au-

tem forte dictum videatur, quod *Galli* etiam Graecis Γαλάται dicuntur; quare ad distinctionem additum eſt, *i quali erano Greci*. Epiſtola autem ad Coloſſenſens ita praenotatur: *Qui comincia la piſtola di Santo Paulo mandata in Laudocia a coloro di Coloſſenſi*. Cur id dicatur intelligi poteſt ex iis, quae tempeſtive adnotavi ſuperius *Capite X. pag. 166*. Epiſtola Iacobi ita incipit: *Iacopo Apoſtolo ſervo di Dio, e del noſtro Signore Ieſu Chriſto &c.* In fine autem ita ſcriptum eſt: *Compiuta la Piſtola di S. Iacopo Apoſtolo*. Poſt Epiſtolas Canonicas ſequuntur Actus Apoſtolorum, atque ita inſcribuntur: *Qui comincia il Prologo degli Atti degli Apoſtoli, che fe Frate Domenico da Piſa dell'Ordine de' Frati Predicatori, recbò in volgare.*

Volendo a petizione e per divozione di certe divote perſone recare a comune e chiaro volgare lo divoto libro degli Atti degli Apoſtoli, lo quale Santo Luca Evangeliſta, poiche ebbe ſcritto lo ſuo Evangelio, compilò e ordinò, cominciando maſſimamente a parlare di quelle coſe, che ſeguitarono dopo l' Aſcenſione di Criſto, inſino alla quale ordinoe e terminò lo ſuo Evangelio, ſecondo ch' egli medeſimo moſtra nel principio di queſta opera degli Atti degli Apoſtoli, la quale ſcriſſe, e mandò e intitolò a uno ſuo amico ch' ebbe nome Teopilo; do a intendere che per le parole ſcritte in Gramatica, non ſi poſſono arroveſciare a modo di panni, e recarle volgare per la profondità delle ſentenzie loro, e per la moltiplice ſignificazione e intenzione della ſanta ſcrittura. Muto in cierti, ma in pochi, luoghi l' ordine delle parole per più chiaramente eſpremere in volgare la ſentenzia e l' intendimento di Santo Luca, e delle parole del detto libro, alcuna parola pongo da me per meglio exprimere alcuna parola del detto

to libro &c. Heic Actus Apoſtolorum in XXXII. capita diſtribuuntur: cui libro ſuccedit Hiſtoria Paſſionis Apoſtolorum Petri & Pauli, hoc titulo: *Incomincia il Martirio degli Apoſtoli di Santo Piero, e Santo Paolo;* quae ea eſt, quae Marcello vulgo tribuitur, & de qua egimus ſuperius *Cap. XI. pag.* 186. Hanc ſtatim ſequitur Apocalypſis Sancti Ioannis Evangeliſtae, quae in XXII. capita dividitur, & in cuius fine ſcriptum habetur: *Compiuta l'Apocalis di Santo Giovanni evangeliſta, la quale è di tanta profondità, e di tanta ſottigliezza, che ogni parola contiene in ſe molte ſentenze.* Scriptio huius Codicis eſt XV. ſaeculi. Hic opportune quaerendum eſſet an hic *Dominicus a Piſis* Ordinis Praedicatorum, idem ſit ac *Dominicus Cavalca*, qui pariter Piſanus aliquando dicitur; & ipſe putarem adfirmandum, quum Codices Actuum Apoſtolorum, ſaeculo XIV. ſcripti reperiantur, ut inferius adnotabimus, in quibus pariter nomen *Dominici a Piſis* poſitum eſt, & medio circiter XIV. ſaeculo alium Dominicum a Piſis Dominicanum, qui libris Latinis in Italicam linguam vertendis operam daret, floruiſſe non invenimus. *Dominicum* autem *Cavalcam* varia in Italicum ſermonem e Latino tranſtuliſſe, teſtatur Chronicon MS. Coenobii S. Catharinae Piſani, ut videre eſt in erudita Praefatione Libri Dominici Cavalcae, qui inſcribitur *Specchio di Croce*, quam compoſuit doctiſſimus Praeſul *Io. Bottarius*, & ſuae memorati Operis eleganti editioni praemiſit; omnia enim Dominici Cavalcae opuſcula iterum typis excudenda curat, ſed ad MS. Codices prius exacta, &, quae viri eſt diligentia, correctiſſima.

CC. CODEX chartaceus in folio, Bibliothecae Bargiacchianae, ſcriptus ſaeculo XIV. conti-

net partem antiqui Teſtamenti, ab Eccleſiaſtico ſcilicet uſque in finem; & integrum Novum, Italice converſum. Nulli Prologi Evangeliis praecedunt, quae ita diſponuntur; Evangelium Matthaei, Lucae, Marci, Iohannis. Evangelium tamen Matthaei finit in iis verbis: *Chiunque e' diſpregia me, diſpregia quelli che mandò me*. Et ſtatim ſequitur Evangelium Lucae, ita tamen ut a capite XV. incipiat. Nam haec Evangelia in capita diſtinguuntur, ſed diviſione a vulgata diſſimili. Deſinit igitur Evangelium Matthaei in XXXV. Capite, Vulgatae Verſionis XXIII. Lucae autem XXX. capita recenſentur; Marci XV. Ioannis XXV. Evangelia excipiuntur ab Epiſtolis Canonicis, quarum prima incipit. *Iacopo Apoſtolo ſervo di Dio, e del noſtro Signore Ieſu Criſto, alle dodici ſchiatte &c.* Iudae autem Epiſtola incipit: *Iuda Apoſtolo di Ieſu Criſto, e fratello di Iacopo &c.* Deinde ſuccedunt Epiſtolae Paulinae, quarum nonnullis breviſſimi Prologi praefiguntur, rubrica ſcripti: & has excipiunt Actus Apoſtolorum, poſteaque exſtat Apocalypſis. Interpretatio nec fida, nec exacta eſt, ut ex initio etiam Evangelii Ioannis conſtare poteſt: *Nel cominciamento era il figliuolo di Dio, e il figliuolo di Dio era appo Dio, e Iddio era il figliuolo di Dio &c.* Quanquam paulo inferius: *E la parola ſi è fatta carne*. In margine huius Codicis frequentes ſunt *Ant. Mar. Salvinii*, viri doctiſſimi, adnotationes, & in prima pagina ſcriptum eſt: *Queſto libro è d' Vbertino di Roſſello degli Strozzi proprio*.

Codi-

Codices IV. Evangeliorum.

§. II.

CCI. CODEX membranaceus in quarto, Bibliothecae Riccardianae, *Pluteo P. Ordine I. numer. II.* complectens quatuor Evangelia Italice converſa, exaratus ſaeculo XV. Horum Interpres hunc Prologum praemittit. *Priego ogni uomo, che queſto libro de' Vangeli volgarizzati vorrà traſcrivere, che guardi di conſervare il parlare a littera, ſecondo che truova iſcritto, e non lo vada mutando, peroche piccola ſillaba, e piccolo articolo, come ſono, lo, la, lo profeta, la ſcrittura, e così fatte dizioni, e parole, e ſillabe, anno molto a variare la ſentenza, più che altri non crede, ponendovele, o levandovele. E non baſta la ſola Gramatica a volgarizzare, ma ſi richiede la Teologia, e ſpoſizione de' Santi Dottori. Però addunque vi diciamo tutto queſto, acciò che la fatica non ſia perduta. Anche perche la Scrittura in molti luoghi parla mozzo, e mancandovi parole, che vi ſi debbono intendere, e ſupplire per aiutare l' idioti. E perche altri non ſi maravigli, e non creda che ſia mutata la ſubſtanzia del teſto, quando ſuppliremo, o dichiareremo alcuna parola che ſarà neceſſaria, e che vi s' intende, vergolerò di ſotto a quella cotale parola, o paraula, accio che ſi conoſca quella che ſta nel teſto, e quella che no &c.* Ita igitur vertit, ut interdum paraphraſis potius, quam interpretatio videatur: immo ea, quae intermiſcet, ita aliquando prolixa ſunt,

ut ſcholia ipſa, quae melius in ora libri adnotaviſſet, textui ipſi interſeruerit. Exemplum adferam ex initio Evangelii Ioannis, quod tamen promiſſis lineis non diſtinxit; ipſe eas autem adponam, quemadmodum alibi ſunt. Nel principio, *cioè eternalmente innanzi a tutte le coſe*, Era, *non fu*, *perocche ſempre fu*, *ed è*, *e ſarà*, *e ſempre fu*, *e ſarà generato*, *ſempre ſi genera*, lo Verbo, *cioè il figliuolo di Dio generato e prodotto nella mente eterna e divina*, *e conceputo per modo di ſapienza*, *e notizia amoroſa*, *sicche è ſuſtantifico e ſubſtanziale &c.* Evangelium Matthaei in XXVIII. capita dividitur. Evangelio Marci, quod in capita XVI. diſtribuitur, Prologus, qui ſequitur praemiſſus eſt. *Pero che San Marco è uno abbreviatore del Vangelo di San Matteo*, *e non dice altro quaſi*, *o molto poco*, *che dice Matteo*; *poſto che dica altrimenti*, *cioè più mozzo*, *e più rozzo. Perche lo Spirito Santo volle porgere le ſue parole così in ſemplicità*, *come in ſottilità di parlare*. *Pero che non abbiamo curato nel volgarizzare di dichiararlo troppo*, *nè di cavarlo fuori del modo ſuo*, *giugnendovi*, *o ſponendovi parole neceſſarie*, *perche paia la diverſità ſua da quella di Matteo*. *Chi intende Matteo*, *che è il diſteſo*, *intende Marco*, *che è l'abbreviato*. Evangelium Lucae in Capita XXIV. ſcinditur, & eius Prologus ita παραφράζεται: *Comincia il Prologo*, *che fece Santo Luca al ſuo Vangelio*.

Però che molti ſi ſono sforzati, cioè di loro capo ſenza inſpirazione di Dio, *d'ordinare*, e di componere *la ſpiegazione delle coſe*, cioè Evangeliche, *le quali ſono compiute in noi*, cioè Criſtiani. *Come ci anno porto quelli*, *che vidono dal principio*, cioè, della predicazione per li Apoſtoli, o dal principio della concezione per la Vergine, dalla quale Luca impre-

preſe molte coſe che ſcriſſe, *eſſi ſteſſi*, *e ſono ſtati miniſtri del ſermone*, cioè della dottrina Evangelica; *e' mi è paruto anche a me aſſecuto dal principio ogni coſa*, cioè pienamente informatone, *di ſcriverſi diligentemente per ordine tutte le coſe*, cioè che lo Spirito Santo mi fa ſcrivere, *acciocbe tu*, *o Teofilo ottimo*, fu uno Santo Veſcovo d'Antiochia a cui ſcrive, *conoſca più certamente e più pienamente* tu e tutti gli altri *la verità delle parole*, *delle quali tu ſe' ammaeſtrato*. Ex his elucet, etſi exacta hiſtoriae notitia Interpres anonymus deſtituatur, utpote qui ad Theophilum Antiochenum Evangelium Lucae ſcriptum adſerit, quum Theophilus ille Antoninorum aetate vixerit; tamen iudicio ſemper non carere, & antiquorum lectione aliquatenus profeciſſe. Evangelium Ioannis, XXI. capitibus conſtat.

CCII. CODEX chartaceus in folio, Bibliothecae Riccardianae, *Plut. Q. Ord. I. num. II.* continens quatuor Evangelia Italice converſa cum Commentariis Simonis a Caſſia, de quo alibi loquuti ſumus. In fine: *Scritto per mano di . . . . . Buono . . . . del popolo di S. Niccolò del quartiere di S. Spirito del Gonfalone della Scala di Firenze. Compiuto a dì X. di Novembre anno* 1410. *amen.*

CCIII. CODEX chartaceus in folio, Bibliothecae *della Cruſca*, continens expoſitiones Evangeliorum Simonis a Caſsia. Titulus eſt: *Incomincia il Prolagho di Frate Giudaſal*, *de libro inteſcritto &c.* Scriptus ſaeculo XIV.

CCIV. CODEX membranaceus in 4. Bibliothecae *della Cruſca*, ſcriptus ſaeculo XIV. continens harmoniam quamdam Evangeliorum, uti etiam indicat inſcriptio: *In nome del Padre*, *e del Figliuolo*, *e dello Spirito Santo Amen*. *Queſto è il Santo Vangelo*

gelo di Gesù Chriſto, compilato e ordinatamente tratto da tutti quattro i Vangeli.

CCV. EVANGELIA Italice converſa apud Franciſcum Marinoctium Florentinum, indicantur in Faſcicul. VIII. ſcripturarum eiusdem Bibliothecae.

CCVI. EVANGELIA Italice converſa, quibus uſus Petrus Franciſcus Cambius memorantur in eodem Faſcicul. VIII.

CCVII. CODEX chartaceus, forma folii, Bibliothecae privatae *Gab. Riccardii*, Viri ampliſſimi, ſcriptus ſaeculo XIV. continens quatuor Evangelia, ita in Italicam linguam converſa, ut harmonia quaedam quatuor Evangeliſtarum facta videatur: nam quod uni deeſt ex alio ſuppletur in eiusdem facti narratione. Inſuper non adeo verbis inhaeret, ut fidus interpres videatur, ſed nonnulla de ſuo addit. Ecce Matthaei *Cap. IX.* illa; *Et adſcendens in naviculam transfretavit, & venit in civitatem ſuam. Et ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto &c.* ita vertit: *Salendo Iddio nella navicella, paſsò e venneſene nella Città ſua. Ecco quattro uomini che portavano uno, il quale era parletico, &c.* Illud *Iddio* addidit; illud vero, *Ecco quattro uomini, &c.* ex *Marco Cap. II. verſ.* 3. ſupplevit. In Evangelio Ioannis ita interpretatur haec: *Tutte le coſe ſon fatte per lui, e nulla coſa è fatta ſenza lui. queſto che è fatto in lui era vita &c.* Eodem Codice alia quaedam habentur, & inter alia Epiſtolae Pauli ad Senecam, & Senecae ad Paulum, Italice.

CCVIII. CODEX chartaceus, forma folii, Bibliothecae ejusdem, ſcriptus ſaeculo XIV. continens Evangelia, cum Commentariis Italicis *F. Simonis Fidati a Caſſia* qui anno MCCCXLVIII. naturae conceſſit, ut apud *Caveum* videre eſt. Interpres

Ita-

Italicus horum Commentariorum, qui eſt *Fr. Aegidius* quidam, ut ſe in Prologi titulo nominat, haec inter cetera in eodem Prologo ſcribit: *Vedendo alcune perſone figliuole in Chriſto del mio venerabile Padre Fratre Simone da Chaſcia, il quale non ſono dengnio di chiamare Padre, perciocche non lo aſſomiglio, come legittimo figliuolo, affamate diſioſe di leggere e d' avere continuamente alchune parole del Vangielo, ſecondo che egli le predicò e laſciò a me iſcritte per lettera; fui coſtretto a mutare proponimento, e a volgarizzare alcune ſue ſpoſizioni con alcune agiunzioni de' detti de' ſanti, ſecondo il mio piccolo intelletto, ſengniando le ſue parole così:* Fra Simone. *Sono alcune perſone, alle quali forſe non pare ben fatto che io abia fatto queſto, e ſpezialmente a pitizione di femmine. A' quali ſi potrebbe riſpondere per molti modi chi voleſſe diſputare e contendere e leticare. Ma queſte cotali perſone non pare che ſappiano, o vero non penſano, che in alcune contrade è volgarizzata tutta la Bibbia &c.* Hic Codex fuit olim *Ant. Mar. Salvinii* V. C. qui ſcholia crebra in ora libri adſcripſit, & tanto quidem Viro digna. In fine Codicis recentiori manu ſcriptum eſt: *Queſti libro è de' poveri yheſuati habitanti a Firenze a San Giuſto alla Porta a Pinti.*

CCIX. CODEX chartaceus in folio eiusdem Bibliothecae continens praeter alia, Evangelia; ſed ea initio carent; atque ita Italice converſa ſunt, ut potius harmonia quaedam quatuor Evangeliſtarum videantur, uti etiam de ſuperioribus Codicibus adnotavi. Codex ſcriptus eſt ſaeculo XIV.

CCX. CODEX chartaceus in folio, Bibliothecae Laurentianae, *Plut. XXVII. num.* 12. ſcriptus ſaeculo XV. continet harmoniam quamdam IV. Evan-

vangeliorum Italice converſam. In fine: *Qui finiſce il S. Evangelio di Ieſu Chriſto concordato inſiememente in uno, quello che ſcriſſero tutti e quattro i Santi Evangeliſti. Deo gratias.*

CCXI. CODEX chartaceus in 4. Bibliothecae Laurentianae, *Plut. XXVII. num.* 14. ſcriptus ſaeculo XIV. idem continet. In fine: *Finito il libro de' Vangieli aprovati per la Chieſa di Roma, tratti e rechati di gramatica in volghare Fiorentino. Deo gratias. Scritto per Andrea di Neri Vittori.* Eodem Codice Vitae quaedam Sanctorum comprehenduntur.

Codices alicuius Evangelii.

§. III.

CCXII. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae Riccardianae, in quo inter alia exſtat Evangelium Matthaei Italice converſum, & picturis ornatum. Scriptio eſt ſaeculi XIV. Exſtant inſuper in eodem Codice, Italice pariter reddita, Apocalypſis Ioannis, & Epiſtola Iacobi, quae incipit: *Iacopo Apoſtolo ſervo de Dio. &c.* & duae Petri Epiſtolae.

CCXIII. CODEX chartaceus in folio, Bibliothecae Riccardianae, *Pluteo P. Ord. I. num. XXVI.* continens Expoſitionem brevem Ioannis Chryſoſtomi in Evangelium Matthaei, Italice expreſſam. Ita autem inſcribitur: *Breve Eſpoſizione di Giovan Criſoſtomo Arciveſcovo di Conſtantinopoli nello Evangelio di San Matteo, dalla lingua Greca nella Latina da Criſtofa-*

no

Digitized by Google

no Serarrighi da Foriano : e da quella in queſta nuovamente tradotta da Guglielmo Perlano da Bibbiena. Deinde haec ſcripta habentur: *P. Franc. Riccius Praepoſitus Pratenſ. Coſ. Med. electi a Deo Floren. Senarum ac totius fere Etruriae regni Ducis alumnus, innumerabilia & inuſitata mala perpeſſus, ab invidis, ambitioſiſſimis civibus extorribus, potentioribus, Regibus, Ducibus, Regulis, Antiſtitibus, Magnis, aliiſque diverſi generis hominibus, inſidiis circumventus, & de falſo crimine accuſatus; tandem poſt X. annos Dei Opt. Max. iuſtitia & benignitate, aliquantiſper renaſcens, hoc memorabile ponendum curavit, anno Domini MDLXIII. Initium ſaeculi aurei per M. ANN. duraturi, ut teſtantur ſacrae litterae Prophetarum Ieſu Chriſti, & teſtimonio Apocalypſis Ioann. Evangel.* Scriptio eſt ſaeculi XVI. Textus Matthaei rubrica ſcriptus eſt. Hic *Cap. XIV.* illud: *Non eſt Propheta inhonoratus, niſi in patria ſua:* vertitur: *Non è profeta ſenza onore ſe non in caſa ſua.* Et quoniam Chriſtophori Serarrighii mentio incidit, hic etiam adnotabo ab eodem tres eiusdem Chryſoſtomi libros *De Providentia* è Graeco in Tuſcanicum idioma converſos fuiſſe, eoſque manu exaratos exſtare in memorata Riccardiana Bibliotheca, & Coſmo I. Etruriae Magno Duci eſſe inſcriptos, nuncupatoria Epiſtola praemiſſa, qua Mediceae gentis praeconia, & non ſupra meritum quidem, celebrantur, idque in primis ob favorem & praeſidia, quibus litteras, bonas artes, doctoſque homines, laudabiliter magnificenterque iuverunt.

Codi-

+ Codex chartaceus in folio Bibliothecae Ricardianae Pluteo O. ord. III. n. XV. complectens Evangelia, quae per anni curriculum in Ecclesia leguntur, versibus Italicis rythmicis expressa, totidem scilicet Epigrammatis. In eo est quoque Initium Evangelii secundum Matthaeum.

Codices Evangeliſtariorum

§. IV.

prosa oratione Italica convertuntur; sunt et Evangelia quae extra Quadragesimam leguntur ternariis versibus reddita, et Passio Christi binariis rythmicis exposita a Dulcibene.

CCXIV. CODEX chartaceus in folio, eiusdem Bibliothecae, continens Evangeliorum ſectiones, quae Quadrageſimae tempore leguntur, verſibus Italicis περιφραστικῶς expoſitas; cuius rei ſpecimen ſunto ex Evangelio Feriae V. Hebdomadae Paſſionis, quae ſequuntur:

Ieſu rimaſe in tonicha ſuccinto,
Le maniche s' alzò ſino al brodone,
Dinanzi ſi faſciò d' un 'biancho linto,
E ſe venir dell' acqua in un conchone.
E a Sampiero lo pone
A' piedi, acciò che ſi debba ſchalzare
Per volerli lavare
E' piedi, & per mondarlo di pecchato.

Scriptus eſt Codex ſaeculo XIV.

CCXV. CODEX membranaceus in 4. Bibliothecae Riccardianae, *Plut. P. Ord. III. numer. XIX.*, continens Evangelia quae leguntur a Dominica Palmarum, ad Dominicam Reſurrectionis, cum expoſitionibus F. *Simonis a Caſſia.*

CCXVI. CODEX chartaceus in folio, Bibliothecae Riccardianae, *Pluteo O. Ord. III. num. XV.* continens Evangelia, quae per annum leguntur, Italicis verſibus expreſſa, forte ab *Antonio Puccio* Florentino, ſaltem ex parte. In eodem exſtat Paſſio Ieſu Chriſti verſibus pariter Italice reddita a *Dulcibene*.

CCXVII.

CCXVII. CODEX chartaceus in folio, Bibliothecae Riccardianae, *Plut. Q. Ord. I. n. IV.* ſcriptus ſaeculo XIV. continet Evangelia, quae per annum leguntur, Italice converſa, & picturis monochromaticis ornata.

CCXVIII. CODEX chartaceus in folio, Bibliothecae Riccardianae, eodem *Pluteo n. III.* continens Evangelia, Epiſtolas, & alias lectiones, quae per annum leguntur, Italice converſas. Scriptus eſt ſaeculo XV.

CCXIX CODEX chartaceus in folio, Bibliothecae Riccardianae, *Plut. Q. Ord. I. num. II.* continens Evangelia, quae per annum leguntur, Italice converſa. Initium Evangelii Ioannis ita transfertur: *Nel cominciamento era il figliuolo di Dio, e il figliuolo di Dio era appo Dio, ed era Iddio il figliuolo di Dio. Queſti era nel cominciamento appò Dio. Tutte le coſe ſono fatte per lui. e neuna coſa è fatta ſenza lui. Queſto che è fatto in lui era vita.* In fine Codicis cinnabari nomen librarii, & annus, quo Codex ſcriptus eſt, ita adnotatur. *Ego Paynus quondam Bartolome dni Payni de Carmignano Notarius Spinae Giannis de Spinis de Florentia Poteſtatis magnifici Communis Florentini hunc librum ſcripſi MCCCCLXXI. Indict. X. die X. Febr. VI. die Carniſprivii.*

CCXX. CODEX chartaceus, Bibliothecae Riccardianae, *Plut. P. Ord. I. num. III* continet Evangelia, Epiſtolas, & Lectiones, quae per annum in Eccleſia leguntur, Italice converſas, exaratus anno MCCCCLXIII. †

CCXXI. CODEX chartaceus in folio, Bibliothecae Odei della Cruſca, ſcriptus ſaeculo XIV. continet Evangelia & Lectiones, quae per annum leguntur.

X CCXXII.

† alibi tamen legitur: Finito il detto libro a dì diciotto di Febbraio 1472. per me Niccolaio di Giovanni da Vedrarano [illegible] nel Castello di Fucchino [illegible]

CCXXII. CODEX membranaceus in folio, Bibliothecae Laurentianae, *Plut. XXVII. num.* 8. ſcriptus ſaeculo XV., continet Evangelia quae per annum leguntur, Italice, ſed mutilus eſt.

CCXXIII. CODEX chartaceus in 4. Bibliothecae Laurentianae, *Plut. XXVII. num.* 11. ſcriptus ſaeculo XV. continet Evangeliſtarium, & Lectionarium, Italice converſa. In fine: *Io Piero di Gieri del Teſta Girolami coll' aiuto di Dio ho fatto queſto libro di mia propria mano, il quale ho finito di ſcrivere queſto dì XX. di Dicembre dell' anno MCCCCLXXV.*

Codices Actuum Apoſtolorum.

§. V.

CCXXIV. CODEX membranaceus, forma quarti, Bibliothecae privatae D. *Gab. Riccardii* Marchionis & Canonici Florentini, ἀκέφαλος, in quo deſunt tria prima Actorum capita, ſcriptus ſaeculo XIV. Acta Apoſtolorum in XXXII. capita dividuntur, nullaque habetur verſuum diſtinctio. Eſt potius paraphraſis, quam fida converſio, cuius ſpecimen erit initium capitis IV. iuxta vulgatam, quinti, iuxta hanc tranſlationem. *E dicendo Elli queſte paraule al populo, ſopravvennono li Sacerdoti, e li Maeſtri del Templo, e li Sadducei*, li quali erano una ſetta, che nega la reſurrezione de' morti, *dolendoſi che li Apoſtoli ammaeſtraſſero lo populo, e predicaſſono la reſurrezione di Criſto.* In qua interpretatione quaedam inſerta ſunt, quae in archety-

po

po non habentur, & minus vere quaedam vertuntur, ut *la reſurrezione di Criſto*, pro *reſurrectionem ex mortuis*. Poſt Actus Apoſtolorum hiſtoria quaedam exſtat enarrans ea, quae egit Paulus poſtquam Romam pervenit, uſque ad martyrium, atque inſuper S. Petri paſſionem: hiſtoria videlicet *Marcelli*, qua de ſuperius *pag.* 311. & paulo infra agimus. Hic Codex olim fuerat *Ant. Mar. Salvini* V. C.

CCXXV. CODEX chartaceus, forma quarti, eiuſdem Bibliothecae, ſcriptus ſub exitum ſaeculi XIV. &, ut videtur, ex ſuperiori translatione exſcriptus, eadem Acta pariter complectitur. Deſunt in fine pauci quidam verſus, & paulo negligentius ac minus integre exaratus eſt.

CCXXVI. CODEX chartaceus in folio, Bibliothecae Riccardianae, ſcriptus ſaeculo XIV. *Pluteo Q. Ord. I. numer. VIII.* continet Actus Apoſtolorum Italice converſos. Actus excipit hiſtoria martyrii Petri & Pauli a Marcello ſcripta; in fine enim legitur: *Io Marcello diſcepolo dell' Apoſtolo S. Piero, queſte coſe vidi, e ho ſcritte.* Eſt interpretatio *F. Dominici a Piſis*, de quo ſuperius *pag.* 310. *& ſeq.* egimus.

CCXXVII. CODEX chartaceus in folio, eiusdem Bibliothecae, *Pluteo* eodem, *num. VII.* eodem ſaeculo ſcriptus, eadem continet. Praecedit Prologus Interpretis, hoc eſt, *Fr. Dominici* a Piſis Ordinis Praedicatorum, ut exprimitur in aliis Codicibus eiusdem Bibliothecae, quos recenſuimus ſub *num. CIC.* & antecedenti.

CCXXVIII. CODEX chartaceus in folio, Bibliothecae Laurentianae, *Plut. XXVII. num.* 6. ſcriptus ſaeculo XIV. continet Actus Apoſtolorum, & Martyrium Petri & Pauli Marcello tributum, Italice converſa. Interpres Fr. *Dominicus a Piſis* Domini-

 canus

canus hic eſſe cognoſcitur, licet nomen Interpretis inſcriptum non ſit.

CCXXIX. CODEX chartaceus, Bibliothecae *Io. Vinc. Capponii*, Marchionis, & αἰδεσιμωτάτου Eccleſiae Florentinae Canonici Sacerdotis, ſcriptus ſaeculo XIV., anno circiter MCCCLX., complectitur praeter alia Actus Apoſtolorum Italice verſos a *Fr. Dominico a Piſis*.

CCXXX. IN BIBLIOTHECA della Cruſca, *Faſcic. VIII.* exſtat memoria Actuum Apoſtolorum a *Fr. Dominico a Piſis* Italice converſorum, qui fuerant apud Petrum Franciſcum Cambium.

Codices Epiſtolarum.

§. VI.

CCXXXI. CODEX chartaceus, Bibliothecae Riccardianae, *Pluteo Q. Ordine I. numer. IV.* complectens Epiſtolas Catholicas Iacobi, Petri, Ioannis, & Iudae, atque inſuper Pauli Epiſtolas, licet non integras; nam deeſt pars Epiſtolae ſecundae ad Timotheum, & cetera quae ſequi deberent. Omnia Italice converſa. Scriptus videtur ſaec. XV.

Codex Membraneus Bibliothecae Riccardianae Pluteo S. Ord. III. n. XXXXVII. complectens Apocalypsim B. Ioannis, et Epistolas Iacobi, Petri, Italice conversas. Scriptus est Saeculo XIV.

Codi-

Codices Epiſtolarum D. Pauli.

§. VII.

CCXXXII. CODEX membranaceus, Bibliothecae Riccardianae, *Plut. I. Ordine I. num. V.* in quo Epiſtolae Paulinae Italice converſae exſtant. Scriptio ſaeculi XV.

CCXXXIII. CODEX chartaceus in folio, Bibliothecae Riccardianae, *Plut. N. Ord. IV. Num. XXX.* complectens Epiſtolas Pauli in Italicam linguam verſas; quarum unumquodque caput Epiſtola inſcribitur, inſolita quidem ratione, ita ut quaelibet Epiſtola tot Epiſtolae dicatur, quot capita habet. Verbi gratia Epiſtolae ad Romanos caput nonum inſcribitur: *Nona Piſtola di S. Pagolo mandata a' Romani*. Et ſic de ceteris. Scriptus eſt ſaeculo XIV.

Codices quarumdam Epiſtolarum Pauli.

§. VIII.

CCXXXIII. CODEX chartaceus in folio, Bibliothecae Riccardianae, *Plut. S. Ordine III. n. XLIII.*, ſcriptus ſaeculo XV. continet Epiſtolam Pauli ad Philemonem Italice converſam. Philemon perperam redditur *Filomene*.

Codex membraneus Bibliothecae Riccardianae Plut. S. Ord. III. n. XXXXVII. habet Apocalypſin Italice converſam

Codices Apocalypſeos.

§. IX.

CCXXXIV. CODEX chartaceus in folio, Bibliothecae Riccardianae, *Plut. P. Ord. I. N. VI.* Apocalypſin Beati Ioannis Italice converſam continens.

CCXXXV. APVD Silvanum Razium Apocalypſis Ioannis Italice converſa exſtabat, ut ex *Faſcicul. VIII.* ſcripturarum de la Cruſca liquet.

Codices Epiſtolarium.

§. X.

CCXXXVI. CODEX chartaceus in folio, Bibliothecae Riccardianae, *Plut. Q. Ordine I. num. XXVII.* ſcriptus ſaeculo XV. continet inter alia *περικοπάς* quaſdam Epiſtolarum SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, & Ioannis, quae leguntur in Eccleſia, Italice converſas, ſed Veneta dialecto. *Paulus* vertitur conſtanter *Polo*, aut *Pollo*; *Ioannes*, *Zoane*; *ſilius*, *ſio*.

Adpen-

Adpendix ad §. II. Sectionis huius.

§. XI.

CCXXXVII. CODEX chartaceus, Bibliothecae Guadagnianae, Expoſitiones Evangeliorum à Simone a Caſſia concinnatas, & a F. Aegidio Italice converſas, continet.

CCXXXVIII. CODEX chartaceus, Bibliothecae Guadagnianae, ſolitam Evangeliorum Harmoniam Italice complectitur.

Adpendix ad Sectionem II. §. I.

§. XII.

CCXXXIX. CODEX membranaceus in 4. Bibliothecae privatae *Gab. Riccardii*, ſcriptus ſaeculo XV. univerſa Biblia complectitur.

CCXL. CODEX chartaceus in 4. Bibliothecae Laurentianae, *Pluteò III.* ſcriptus ſaeculo XV. univerſa Biblia continet, & e Sina adlatus perhibetur.

Et haec quidem ipſe habui, quae de Codicibus Florentinis Novi Federis MSS. adnotarem, plures quidem etiam deſcripturus, ſi vel temporis anguſtiae, vel negotiorum copia, vel poſſeſſorum huma-

nitas, paſſa fuiſſent. Bibliothecas, quibus uſus ſum, hic ordine commemorare fert animus.

Bibliotheca Laurentiana, quae habet Codices MSS. N. T. Graecos LVI. Latinos L. Orientales IV. Italicos VII.

Gazophylacium Mediceum Graecos II.

Bibliotheca Palatina Latinum I.

\# Bibliotheca Riccardiana Graecos III. Latinos X. Italicos XXVII.

Bibliotheca S. Mariae Benedictinorum Graecos VII. Latinos I.

Bibliotheca S. Marci Dominicanorum Graecos V. Latinos XXII.

Bibliotheca Sanctae Crucis Franciſcanorum Latinos XXVI.

Bibliotheca Sancti Bartholomaei Feſulani Latinos XI.

Bibliotheca S. Michaëlis Teatinorum Latinum I.

Bibliotheca Odei de la Cruſca Italicos VI.

Capponiana Italicum I.

Guadagniana Italicos II.

Bargiacchiana Italicum I.

Omnes Codices manuſcripti, quos recenſui, ſunt CCXL. = Graeci LXXIII. = Latini CXXI. = Orientales IV. = Italici XXXXII.

\# Bibliotheca Magliabechiana Latinos III V. Italicum I.

Incar-

Incarnationis oeconomiam, & rationes Divinae Providentiae admirabiles, in Apoſtolis ſuis ignorantiam & humilitatem ſapientiſſime popoſciſſe.

CAPVT XIV.

AT non mirum ſi Deus optimus maximus humiles, imperitos, & illitteratos, humanae redemtionis praecones Apoſtolos elegit; quum mirabilis ſit *in adinventionibus ſuis; mirabilis in conſiliis ſuper filios hominum*, ut Oracula coeleſtia eloquuntur, & *vocet ea quae non ſunt, tamquam ea quae ſunt, filios Iſraël ex lapidibus ſuſcitans*. Nam ſi umquam vere Deo exſuperantiſſimo dictum fuit, *in adinventionibus tuis non eſt qui ſimilis ſit tibi*, tunc certe apte & congruentiſſime diceretur, quum de plane admiranda, & inaudita, generis humani redemtione loqueremur, in qua vias omnes, omnes rationes mundanae ſapientiae deſpexit atque confudit, & potentiam ſuam infinitam, incomprehenſibilemque virtutem, eo potiſſimum oſtendere voluit, quo, modo omnino παράδοξῳ, & omni humanae prudentiae contrario, homines univerſos a peccati ſervitute redemit, & caſtis Evangelii ſui legibus ſubiugavit. Quum enim oculos, animoſque, hominum facile trahant, poteſtatis oſtentatio, divitiarum adfluentia, dignitatis & magnificentiae ſplendor & amplitudo; & unuſquiſque & Dominum, & Principem, & Regem, imo Deum ipſum, huiuſmodi hominem, promte & lubenter ad-

adgnoſcens revereatur; ipſe filium ſuum, quum *ſervi formam* accepiſſet nobis ſimilis per omnia factus excepto peccato, inter nos verſaturum miſericorditer miſit, pauperem, abiectum, invenuſtum, deſpectum, calumniis obnoxium, pleriſque omnibus exoſum, caſtigandum praeterea, illudendum, capite denique, in crucem actum, inique & crudeliter puniendum. Et tamen id omne evenit, quod & iuſtus, & ſanctus, & Dominus, & Rex, & Deus, tamdem ipſe credi vellet, & coli, quod quidem mirabiliter conſequutus eſt; & non divitiarum copia, ſplendore gloriae, dignitatis amplitudine, munificentiae & voluptatis illecebris ſui ſequax genus humanum attraxit; ſed ignominia ipſa, infamia, humilitate, contemtione, inopia, pudenda atque infami morte poſtremum, quae omnia hominibus horrorem incutiunt, eorumque animos in primis avertunt atque deterrent, gentes omnes ad ſui cultum adlexit, populis ſe Deum eſſe perſuaſit, ſuis legibus puris & caſtis orbem terrarum univerſum parere coëgit. Contrariam igitur viam, rationem incredibilem, atque omni prudentiae repugnantem, Deus Opt. Max. Chriſtus inivit, ut ſuae potentiae admirabilitatem patefaceret, & omnia ſuae voluntati obedire demonſtraret, id enim *ſtultum eſt Deo, quod ſapientius eſt hominibus*, in quo quidem Dei virtus ac ſapientia maxime elucet atque eminet. Egregie quidem ac praeclariter conterraneus noſter *Laur. Magalottius* hanc rem totam evolvit, & de mira in hoc divinae providentiae ratione diſſertat, *Par. II. Epiſt. Famil. VI.* Quum itaque tam inſolite & *παραδοξότατα* Deus humani generis redemtionem operatus ſit, & legem Evangelicam ſtabiliverit, ut potentiam ſuam atque ſapientiam oſtenderet; conſentaneum quoque fuit ut ca-

eadem ratione & Evangelium ſuum gentibus manifeſtaret, & humanum genus ad ſuum cultum perduceret; ut inſcrutabiles ſuae providentiae & ſapientiae vias clare & perſpicue manifeſtaret, & virtutem ineffabilem univerſis aperiret; adeoque per humiles, & rudes, indoctoſque, homines Evangelicam praedicationem inſtituere debuit, & iis, veluti firmiſſimis fundamentis, Chriſtianam religionem, & ſui veri cultus aedificium, mirabiliter ſuperſtruere; ut homines pudore ſuffunderet, & virtutem ſuam exereret, idque omne opus tantum divinum eſſe manifeſtiſſime revinceret. Non me quidem latet *Arnobium lib. I. Adverſ. Gentes* id propterea a Deo inſtitutum fuiſſe adfirmare, quod vana fere ac inutilis ſit omnis elegantia ſermonis, omnia Rhetorica artificia, & verborum ſtrophae, ad perſuadendum; quum veritas nuda ac ſimpliciter prolata magis placeat, & humanos animos attrahat. *Sed ab indoctis*, inquit, *hominibus & rudibus, ſcripta ſunt, & idcirco non ſunt facili auditione credenda. Vide ne magis haec fortior cauſa ſiat, cur illa ſint nullis coinquinata mendaciis, mente ſimplici prodita, & ignara lenociniis ampliare. Trivialis & ſordidus ſermo eſt. Numquam enim veritas ſectata eſt fucum, nec quod exploratum & certum eſt, circumduci ſe patitur orationis per ambitum longiorem. Collectiones, enthymemata, definitiones, omniaque illa ornamenta, quibus fides quaeritur adſertionis, ſubſpicantes adiuvant, non veritatis liniamenta demonſtrant. Ceterum qui ſcit quid ſit illud quod dicitur, nec definit, nec colligit, neque alia ſectatur artificia verborum, quibus capi conſueti ſunt audientes; & ad conſenſum rei circumſcriptionis neceſſitate traduci. Barbariſmis, ſoloeceſmis, obſitae ſunt, inquit, res veſtrae, & vitiorum defor-*

deformitate pollutae. Puerilis ſane atque anguſti pectoris reprehenſio: quam ſi admitteremus, ut vera ſit, abiiciamus ex uſibus noſtris quorumdam fructuum genera, quod cum ſpinis naſcantur, & purgamentis aliis, quae nec alere nos poſſunt, nec tamen impediant perfrui nos eo, quod principaliter antecedit, & ſaluberrimum nobis voluit eſſe natura. Quid enim officit, o quaeſo, aut quam praeſtat intellectui tarditatem, utrumne quid grave, an hirſuta cum aſperitate promatur? inflectatur, quod acui; an acuatur, quod oportebat inflecti? Aut qui minus id, quod dicitur, verum eſt, ſi in numero peccetur, aut caſu, praepoſitione, participio, coniunctione? Pompa iſta ſermonis, & oratio miſſa per regulas, concionibus, litibus, foro, iudiciiſque ſervetur, deturque illis imo, qui voluptatum dilinimenta quaerentes, omne ſuum ſtudium verborum in lumina contulerunt. Quum de rebus agitur ab oſtentatione ſubmotis, quid dicatur ſpectandum eſt, non quali cum amoenitate dicatur: nec quid aures commulceat, ſed quas adferat audientibus utilitates; maxime quum ſciamus etiam quoſdam ſapientiae deditos non tantum abieciſſe ſermonis cultum, verum etiam quum poſſent ornatius atque uberius eloqui, trivialem ſtudio humilitatem ſequutos, ne corrumperent ſcilicet gravitatis rigorem, & ſophiſtica ſe potius oſtentatione iactarent. Eadem diſputat *Minutius Felix*, atque eamdem ſententiam exponit, ita Octavium loquentem inducens: *Nihil itaque indignandum vel dolendum; ſi quicumque de divinis quaerat, ſentiat, proferat; quum non diſputantis auctoritas, ſed diſputationis ipſius veritas requiratur: atque etiam quo imperitior ſermo, hoc illuſtrior eſt: quoniam non fruitur pompa facundiae & gratiae, ſed, ut eſt, recti regula ſubſtinetur.* Sed licet iſthuc quoque ipſum eſſe po-

potuerit, tamen praecipua cauſſa in oſtentatione divinae virtutis collocanda eſt, quod & alibi *Arnobius* ipſe ſapienter adſtruit; ut inferius patebit, & quod nos late demonſtraturi ſumus: Adpoſite igitur *Paulus* ad Corinthios ſcribens in harum omnium rerum confirmationem ſapientiſſime dicebat: *Scriptum eſt: Perdam ſapientiam ſapientium & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi ſapiens? ubi ſcriba? ubi conquiſitor huius ſaeculi? Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi? Nam quia in Dei ſapientia non cognovit mundus per ſapientiam Deum: placuit Deo per ſtultitiam praedicationis ſalvos facere credentes. Quoniam & Iudaei ſigna petunt, & Graeci ſapientiam quaerunt. Nos autem praedicamus Chriſtum crucifixum, Iudaeis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam.* QVOD STVLTVM EST DEI, SAPIENTIVS EST HOMINIBUS, ET QVOD INFIRMVM EST DEI, FORTIVS EST HOMINIBVS. *Videte enim vocationem veſtram, Fratres, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles;* SED QVAE STVLTA SVNT MVNDI ELEGIT DEVS, VT CONFVNDAT SAPIENTES, ET INFIRMA MVNDI ELEGIT DEVS VT CONFVNDAT FORTIA, ET IGNOBILIA MVNDI ET CONTEMTIBILIA ELEGIT DEVS, ET EA QVAE NON SVNT, VT EA, QVAE SVNT DESTRVERET: VT NON GLORIETVR OMNIS CARO IN CONSPECTV EIVS. *Ex ipſo autem vos eſtis in Chriſto Ieſu, qui factus eſt nobis ſapientia a Deo; & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemtio: ut quemadmodum ſcriptum eſt:* QVI GLORIATVR, IN DOMINO GLORIETVR. *Et ego quum veniſſem ad vos, Fratres, veni non in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiae, adnuntians vobis teſtimonium Chriſti. Non enim*

iudi-

indicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum. Et egi in infirmitate, & timore, & tremore multo fui apud vos: & ſermo meus, & praedicatio mea non in perſuaſibilibus humanae ſapientiae verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis: VT FIDES VESTRA NON SIT IN SAPIENTIA HOMINVM, SED IN VIRTVTE DEI. Hinc recte ac ſapienter *Origenes Tom. I. in Evangelium Ioannis* litteris mandavit: Ἴσχυσε τὰ τῆς ἀληθείας μυστήρια, καὶ ἡ δύναμις τῶν λεγομένων οὐκ ἐμποδιζομένη ὑπὸ τῆς εὐτελοῦς φράσεως φθᾶσαι ἕως περάτων γῆς, καὶ ὑπαγαγεῖν τῷ Χριστοῦ λόγῳ οὐ μόνον τὰ μωρὰ τοῦ κόσμου, ἀλλ' ἔστιν ὅτε καὶ τὰ σοφὰ αὐτοῦ. βλέπομεν γὰρ τὴν κλῆσιν, οὐχ ὅτι οὐδεὶς σοφὸς κατὰ σάρκα, ἀλλ' ὅτι οἱ πολλοὶ σοφοὶ κατὰ σάρκα. ἀλλὰ καὶ ὀφελέτης ἐστὶ Παῦλος καταγγέλλων τὸ Εὐαγγέλιον, οὐ μόνον βαρβάροις παραδιδόναι τὸν λόγον, ἀλλὰ καὶ Ἕλλησι· καὶ οὐ μόνον ἀνοήτοις τοῖς εὐχερέστερον συγκατατιθεμένοις, ἀλλὰ καὶ σοφοῖς. Ἱκάνωτο γὰρ ὑπὸ Θεοῦ διάκονος εἶναι τῆς καινῆς διαθήκης. χρώμενος ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως, ἵνα οἱ τῶν πιστευόντων συγκατάθεσις, μὴ ᾖ ἐν σοφίᾳ ἀνθρώπων, ἀλλ' ἐν δυνάμει Θεοῦ. ἴσως γὰρ εἰ κάλλος καὶ περιβολὴν φράσεως ὡς τὰ παρ' Ἕλλησι θαυμαζόμενα εἶχεν ἡ γραφή, ὑπενόησεν ἄν τις οὐ τὴν ἀλήθειαν κεκρατηκέναι τῶν ἀνθρώπων, ἀλλὰ τὴν ἐμφαινομένην ἀκολουθίαν καὶ τὸ τῆς φράσεως κάλλος ἐψυχαγωγηκέναι τοὺς ἀκροωμένους, καὶ ἠπατηκὸς, αὐτοὺς προσειληφέναι. *Potuerunt veritatis myſteria, & virtus eorum, quae dicebantur, nihil obſtante tenuitate dictionis, ad fines terrae pervenire, & Chriſti doctrinae non fatua ſolum mundi, ſed & ſapientes interdum, ſubiugare. Videmus enim vocationem, non quod nullus ſapiens ſecundum carnem, ſed quod multi ſecundum carnem ſapientes. Sed & debitor ac obligatus eſt Paulus praedicans Evangelium non ſolum Barbaris eius ſermonem tradere, ſed & Graecis; nec ſolum imperitis, qui protinus adſentiuntur, ſed & peritis: factus enim a Deo erat idoneus miniſter Novi Teſtamenti,* VTENS DEMONSTRA-

STRATIONE SPIRITVS ET POTENTIAE, VT CREDENTIVM ADSENSIO NON SIT AB HVMANA SAPIENTIA, SED A POTESTATE DEI. *Si enim elegantiam & dictionis adparatum, ut ſcripta illa quae Graecis admirationi ſunt, divinae litterae habuiſſent, exiſtimaſſet aliquis non homines viciſſe veritatem, ſed adparentem conſequutionem, & dictionis ſplendorem audientes prolectaſſe, & illecebris delinitos circumveniſſe.* Hactenus ille, qui pariter *Lib. I, contra Celſum* in eamdem ſententiam ita ſcriptum reliquit: Τοῖς δυναμένοις φρονίμως καὶ εὐγνωμόνως ἐξετάζειν τὰ περὶ τοὺς Ἀποστόλους τοῦ Ἰησοῦ, φαίνεται ὅτι δυνάμει θείᾳ ἐδίδασκον οὗτοι τὸν χριστιανισμὸν καὶ ἐπετύγχανον, ὑπάγοντες τοὺς ἀνθρώπους τῷ λόγῳ τοῦ θεοῦ. οὐ γὰρ ἡ εἰς τὸ λέγειν δύναμις καὶ τάξις ἀπαγγελίας κατὰ τὰς Ἑλλήνων διαλεκτικὰς ἢ ῥητορικὰς τέχνας ἦν ἐν αὐτοῖς ὑπαγομένη τοὺς ἀκούοντας. δοκεῖ δέ μοι ὅτι σοφοὺς μέν τινας ὡς πρὸς τὴν τῶν πολλῶν ὑπόληψιν, καὶ ἱκανοὺς πρὸς τὸ νοεῖν καὶ λέγειν ἀρέσκοντας πλήθεσιν ἐπιλεξάμενος, καὶ χρησάμενος αὐτοῖς διακονοῖς τῆς διδασκαλίας ὁ Ἰησοῦς, εὐλογώτατα ἂν ὑπενοήθη ὁμοίᾳ φιλοσόφοις κεχρῆσθαι ἀγωγῇ αἱρέσεώς τινος προϊσταμένοις. Καὶ οὐκ ἔτ' ἂν ἡ περὶ τοῦ θεῖον εἶναι τὸν λόγον ἐπαγγελία ἀνεφαίνετο; ἅτε τοῦ λόγου ὄντος καὶ τοῦ κηρύγματος ἐν πειθοῖ τῇ ἐν φράσει καὶ συνθέσει τῶν λέξεων σοφίας. Καὶ ἦν ἂν ἡ πίστις ὁμοίως τῇ τῶν τοῦ κόσμου φιλοσόφων, περὶ τῶν δογμάτων πίστει, ἐν σοφίᾳ ἀνθρώπων. καὶ οὐκ ἐν δυνάμει θεοῦ. νυνὶ δὲ τίς βλέπων ἁλιεῖς καὶ τελώνας μηδὲ τὰ πρῶτα γράμματα μεμαθηκότας, ὡς τὸ Εὐαγγέλιον ἀναγράφει περὶ αὐτῶν, καὶ ὁ Κέλσος κατὰ ταῦτα πεπίστευκεν αὐτοῖς ἀληθεύουσι περὶ τῆς ἰδιωτείας αὐτῶν, τεθαῤῥηκότως οὐ μόνον Ἰουδαίοις ὁμιλοῦντας περὶ τῆς εἰς τὸν Ἰησοῦν πίστεως, ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς λοιποῖς ἔθνεσι κηρύσσοντας αὐτὸν καὶ ἀνύοντας, οὐκ ἂν ζητήσαι πόθεν ἐν αὐτοῖς δύναμις πιστική. οὐ γὰρ ἡ νενομισμένη τοῖς πολλοῖς. Καὶ τίς οὐκ ἂν λέγοι ὅτι τό, δεῦτε ὀπίσω μου, καὶ ποιήσω ὑμᾶς ἁλιεῖς ἀνθρώπων, δυνάμει τινὶ θείᾳ ἐπλήρωσεν ἐν τοῖς Ἀποστόλοις αὐτοῦ ὁ Ἰησοῦς.

σοῦς; ἥν τινα καὶ ὁ Παῦλος περισὰς ὡς καὶ ἐν τῇ ἀνωτέρω εἴρηκα μὲν φησι· Καὶ ὁ λόγος μου, καὶ τὸ κήρυγμά μου οὐκ ἐν πειθοῖς σοφίας λόγοις, ἀλλ' ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως, ἵνα ἡ πίστις ἡμῶν μὴ ᾖ ἐν σοφίᾳ ἀνθρώπων, ἀλλ' ἐν δυνάμει θεοῦ. *Qui prudenter & candide poſſunt de Apoſtolis Ieſu inquirere, his ſatis adparet illos divina virtute Chriſtianam pietatem docuiſſe, & rem effectam dediſſe, quum homines divino ſermoni ſubiugarent. Non enim facultas dicendi & orationis compoſitio ad Dialecticam aut Rhetoricam Graecorum artem exacta in ipſis erat, quae audientes quo vellet perduceret. Et mihi quidem videtur, ſi hominum opinione ſapientes aliquos & ad intelligendum dicendumque idoneos & apud multitudinem gratioſos delegiſſet, iiſque doctrinae ſuae adminiſtris uſus eſſet Ieſus, merito certe exiſtimaretur eadem uſus diſciplina cum philoſophis ſectae alicuius principibus; neque promiſſum de divinitate doctrinae repraeſentatum eſſet; quaſi ſermo Dei & praedicatio eius eſſet in perſuaſione loquutionis, & erudita elegantique ſtructura dictionum: & fides ad morem illius, quam de ſuis dogmatis habent philoſophi ſaeculi,* ESSET IN SAPIENTIA HOMINVM, NON IN DEI VIRTVTE. *Nunc vero quis quum videat piſcatores, & publicanos, qui nec elementa didiciſſent, ut de ipſis teſtatur Evangelium, & Celſus ob eam rem iis credidit de ſua inſcitia vere profitentibus, magna cum fiducia non ſolum ad Iudaeos de fide in Ieſum ſermonem habere, ſed & in reliquis gentibus ipſum praedicare & perſuadere, non quaerendum putet unde illa in ipſis vis perſuadendi; nec enim ea eſt, quam multi opinantur. Ecquis vero non dicat verba illa, Sequimini me, & faciam vos piſcatores hominum, Chriſtum Ieſum* VIRTVTE DIVINA *in Apoſtolis impleviſſe? quam Paulus Apoſtolus urgens, ut in ſuperioribus diximus, ait:*

Et ſermo meus & praeconium meum non in perſuaſoriis ſapientiae verbis, ſed in demonſtratione ſpiritus & potentiae, ut fides veſtra ſit non in ſermone hominum, ſed in potentia Dei. Capite vero I. Philocaliae ita legitur: Ἀλλ' ὥσπερ οὐ χρεοκοπεῖται ἡ πρόνοια διὰ τὰ μὴ γινωσκόμενα παρὰ τοῖσγε ἅπαξ παραδεξαμένοις αὐτὴν καλῶς. οὕτω οὐδὲ ἡ τῆς γραφῆς θειότης διατείνουσα εἰς πᾶσαν αὐτὴν, διὰ τὸ μὴ καθ' ἑκάστην λέξιν δύνασθαι τὴν ἀσθένειαν ἡμῶν παρίστασθαι τῇ κεκρυμμένῃ λαμπρότητι τῶν δογμάτων ἐν εὐτελεῖ καὶ εὐκαταφρονήτῳ λέξει ἀποκειμένῃ. ἔχομεν γὰρ θησαυρὸν ἐν ὀστρακίνοις σκεύεσιν. ἵνα λάμψῃ ἡ ὑπερβολὴ τῆς δυνάμεως τοῦ θεοῦ, καὶ μὴ νομισθῇ εἶναι ἐξ ἡμῶν τῶν ἀνθρώπων. εἰ γὰρ αἱ καθημαξευμέναι τῶν ἀποδείξεων ὁδοὶ παρὰ τοῖς ἀνθρώποις, ἐναποκείμεναι τοῖς βιβλίοις, κατίσχυσαν τῶν ἀνθρώπων, ἡ πίστις ἡμῶν εὐλόγως ἂν ὑπελαμβάνετο ἐν σοφίᾳ ἀνθρώπων καὶ οὐκ ἐν δυνάμει θεοῦ. νῦν δὲ τῷ ἐπάραντι τοὺς ὀφθαλμοὺς, σαφὲς ὅτι ὁ λόγος καὶ τὸ κήρυγμα παρὰ τοῖς πολλοῖς οὐ δεδύνηται ἐν πειθοῖς σοφίας λόγοις, ἀλλ' ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως. *Sed quemadmodum apud eos, qui ſemel providentiam probe perceperunt, non minuitur aut perit fides providentiae ob ea, quae non comprehenduntur; ita neque ſcripturae divinitati per eam totam diffuſae quidquam detrahitur, ex eo quod ad ſingulas dictiones imbecillitas noſtra non poſſit adeſſe arcano ſplendori doctrinae, qui in tenui & comtemta locutione deliteſcit. Habemus enim theſaurum in fictilibus vaſis: ut luceat exſuperatio & celſitas poteſtatis Dei, nec a nobis, qui homines ſumus, eſſe exiſtimetur. Si enim protritae & uſitatae apud homines viae demonſtrationum ſanctis libris comprehenſae valuiſſent ad vincendos homines*, MERITO QVIS EXISTIMARET FIDEM NOSTRAM IN HVMANA SAPIENTIA, NON IN VIRTVTE DEI SITAM ESSE. *Nunc vero cuilibet oculos attollenti perſpicuum eſt, verbum Dei, & praeconium Evangelii apud populum non in-*

valuiſſe ſuaſoriis ſapientiae verbis, SED DEMONSTRATIONE SPIRITVS, ET POTESTATIS. At praetereunda non ſunt quoque illa praeſignia eiusdem Alexandrini Catechiſtae verba, quae *Lib. III.* contra memoratum Celſum ita habent: Πιστεύομεν δὲ καὶ ταῖς προαιρέσεσι τῶν γραψάντων τὰ Εὐαγγέλια, καταστοχαζόμενοι τῆς εὐλαβείας αὐτῶν καὶ τοῦ συνειδότος, ἐμφαινομένων τοῖς γράμμασιν οὐδὲν νόθον καὶ κυβευτικὸν, καὶ πεπλασμένον ἐχόντων. Καὶ γὰρ παρίσταται ἡμῖν ὅτι οὐκ ἂν ψυχαὶ μὴ μαθοῦσαι τοιαῦτα ὁποῖα διδάσκει ἡ παρ' Ἕλλησι πανοῦργος σοφιστεία πολλὴν ἔχουσα τὴν πιθανότητα, καὶ τὴν ὀξύτητα, καὶ ἐν τοῖς δικαστηρίοις κυλινδουμένη ῥητορικὴ οὕτω πλάσαι οἷοί τε ἦσαν πράγματα ἀφ' ἑαυτῶν ἔχειν τι πρὸς πίστιν καὶ τὴν ἀνάλογον τῇ πίστει ἀγωγόν. οἶμαι δὲ καὶ τὸν Ἰησοῦν, διὰ τοῦτο βεβουλῆσθαι διδασκάλοις τοῦ δόγματος χρήσασθαι τοιούτοις, ἵνα μηδεμίαν ἔχῃ χώραν ὑπόνοια πιθανῶν σοφισμάτων· λαμπρῶς δὲ τοῖς συνιέναι δυναμένοις ἐμφαίνεται, ὅτι τὸ ἄδολον τῆς προαιρέσεως, τῶν γραψάντων ἐχούσης τὸ ἵνα οὕτως εἴπω ἀφελές. ἠξιώθη θειοτέρας δυνάμεως πολλῷ μᾶλλον ἀνυούσης, ἤπερ ἀνύειν δύνασθαι δοκεῖ περιβολὴ λόγων καὶ λέξεων σύνθεσις, καὶ μετὰ διαιρέσεων, καὶ Ἑλληνικῆς τεχνολογίας ἀκολουθία. *Sed & eorum, qui Evangelia ſcripſerunt, inſtitutis credimus; ad eorum & religionem & conſcientiam adſpicientes, quae adparet in ſcriptis, in quibus nihil ſpurium, nihil temere aut caſu poſitum, nihil fictum eſt. Apertum enim planumque eſt, mentes iis non informatas, quae docet Graecorum verſuta & inanis ſapientia, quae tantum habet probabilitatis & acuminis; tum & eorum ignaras, quae tradit illa in acie forenſi verſata Rhetorica, non ſic potuiſſe fingere & excogitare res eiuſmodi, quae ex ſe aliquid haberent ad fidem, & ad ea, quae fidei conveniunt, illecebrae ac perſuaſionis. Hinc arbitror Ieſum propterea voluiſſe fidei doctoribus eiuſmodi uti, ut in iis ne minimus eſſet ſubſpicioni locus de vi & facultate perſuadendi, ſed*

&

& evidenter adpareret intelligentibus ingenuum illud ac liberale ſcriptorum inſtitutum, in quo tanta eſt ut ita dicam ſimplicitas, DIGNVM FVISSE HABITVM DIVINIORI VIRTVTE *quae multo plus efficit, quam efficere poſſe videatur ambitus orationis, & verborum compoſitio, & cum partitione ac Graeco artificio ſeries & contextus*. Sed & *Arnobius* laudatus *Lib. I. Adverſus gentes*, ea diſerte diſputat, quae Origenis ſententiae mirifice adſtipulentur; de Chriſto enim & Apoſtolis loquens ita infit: *Quum videret futuros vos eſſe geſtarum a ſe rerum, divinique operis, abrogatores, ne qua ſubeſſet ſuſpicio, magicis ſe artibus munera illa beneficiaque largitum, ex immenſa illa populi multitudine, quae ſuam gratiam ſectabatur admirans, piſcatores, opifices, ruſticanos, atque id genus elegit imperitorum, qui per varias gentes miſſi, cuncta illa miracula ſine ullis fucis atque adminiculis perpetrarent*. Et quamquam ex intervallo de Evangelii ſcriptoribus agens, quod ſuperius etiam produximus, *Sed ab indoctis*, dicat, *hominibus, & rudibus ſcripta ſunt, & idcirco non ſunt facili auditione credenda. Vide ne magis haec fortior cauſſa ſit, cur illa ſint nullis coinquinata mendaciis, mente ſimplici prodita, & ignara lenociniis ampliare. Trivialis & ſordidus ſermo eſt. Numquam enim veritas ſectata eſt fucum, nec quod exploratum & certum eſt circumduci ſe patitur orationis per ambitum longiorem. Collectiones, enthymemata, definitiones, omniaque illa ornamenta, quibus fides quaeritur adſertionis, ſuſpicantes adiuvant, non veritatis liniamenta demonſtrant. Ceterum qui ſcit quid ſit illud, quod dicitur, nec definit, nec colligit, neque alia ſectatur artificia verborum, quibus capi conſueti ſunt audientes, & ad conſenſum rei, circumſcriptionis neceſſitate traduci &c.*

 quaſi

quaſi his, ut iam animadvertebamus, naturalem magis quamdam rationem adſerat, cur Apoſtoli inerudiii fuerint, quam divinam atque ſublimiorem, quod & *Minutium* feciſſe vidimus; tamen *Lib. II.* eiusdem Operis ita ad rem noſtram adpoſite diſputat: *Perſonarum contemtio non eſt eloquentiae viribus, ſed geſtorum operum virtute, pendenda. Ille non eſt dicendus auctor bonus, qui ſermonem candidule promſit; ſed qui quod pollicetur divinorum operum proſequitur ſponſione. Argumenta vos nobis, & ſubſpicionum argutias, profertis, quibus ipſe ſi Chriſtus, cum pace hoc eius & cum venia dixerim, populorum in conventibus uteretur, quis adquieſceret, quis audiret, quis eum promittere operae aliquid indicare? aut quis caſſa & nuda iactantem, quamvis eſſet imprudens & facilitatis ſtolidae, ſequeretur? Virtutes ſub oculis poſitae, & inaudita illa vis rerum, vel quae ab ipſo fiebat palam, vel ab eius praeconibus celebrabatur in orbe toto: ea ſubdidit adpetitionum flammas, & ad unius credulitatis adſenſum mente una concurrere gentes, & populos fecit, & moribus diſſimillimas nationes.* Hactenus ille; cui iam ſuccedat Latinorum Patrum longe praeſtantiſſimus *Auguſtinus*, qui *Lib. XXII. De Civit. Dei Cap. V.* ita acutiſſime de more ſuo & diſertiſſime ſcriptum reliquit: *Et ipſe modus quo credidit mundus, ſi conſideretur, incredibilior invenitur. Ineruditos liberalibus diſciplinis, & omnino quantum ad iſtarum artium doctrinas impolitos, non peritos Grammatica, non armatos Dialectica, non Rhetorica inflatos, piſcatores Chriſtus cum retibus fidei ad mare huius ſaeculi pauciſſimos miſit: atque ita ut ex omni genere tam multos piſces, & tanto mirabiliores, quanto rariores, etiam ipſos philoſophos cepit. Duobus illis incredibilibus, ſi placet, imo, quia pla-*

tere debet, addamus hoc tertium. Iam ergo tria ſunt incredibilia, quae tamen facta ſunt. Incredibile eſt Chriſtum reſurrexiſſe in carne; & in caelum adſcendiſſe cum carne. Incredibile eſt mundum rem tam incredibilem credidiſſe. Incredibile eſt homines ignobiles, infirmos, pauciſſimos, imperitos, rem tam incredibilem tam efficaciter mundo, & in illo etiam doctis, perſuadere potuiſſe. Horum trium incredibilium primum nolunt iſti, cum quibus agimus, credere: ſecundum coguntur & cernere; quod non inveniunt unde ſit factum, ſi non credant tertium. Reſurrectio Chriſti & in caelum cum carne, in qua reſurrexit, adſcenſio, toto terrarum orbe praedicatur & creditur: ſi credibilis non eſt, unde toto terrarum orbe iam credita eſt? Sed multi nobiles, ſublimes, docti, etiam vidiſſe dixerunt, & quod viderunt, diffamare curarunt: eis mundum credidiſſe non mirum eſt: ſed iſtos adhuc credere nolle, praedurum eſt. Si autem, ut verum eſt, paucis, obſcuris, minimis, indoctis, eam ſe vidiſſe dicentibus & ſcribentibus credidit mundus; quum pauci obſtinatiſſimi, qui remanſerunt, ipſi mundo iam credenti adhuc uſque non credunt, qui propterea numero exiguo ignobilium, infirmorum, imperitorum, hominum credidit, quia in tam contemtibilibus teſtibus multo mirabilius divinitas ſe ipſa perſuaſit. Atque ita quidem ille, qui & in anteceſſum *Lib. XVIII.* eiusdem Operis *Cap. II.* ſcripſerat: *Elegit diſcipulos, quos & Apoſtolos nominavit, humiliter natos, inhonoratos, illitteratos, ut quidquid magnum eſſent & facerent, ipſe in eis eſſet & faceret.* † Sed omnium maxime audiendus eſt diſertiſſimus *Ioannes Chryſoſtomus Homil. III. in I. Epiſtol. ad Corinth. Cap. I.* qui graviter ornate copioſe rem totam exſequitur: Σὺ δὲ ἐκεῖνό μοι δεῖξον ὅτι Πέτρος λόγιος ἦν καὶ Παῦλος. ἀλλ' οὐκ ἂν ἔχοις.

† Vedi S. Agostin de Verbo Domini Serm. 59 e S. Ambros: Lib. V. in Lucam ad illud Cap. 6. Elegit duodecim

ἔχοις. ἰδιῶται γὰρ ἦσαν καὶ ἀγράμματοι . . . . τὸ γὰρ ζητούμενον ἦν δειχθῆναι τοῦ χριστοῦ τὴν δύναμιν, οὐ διὰ ἔξωθεν σοφίαν ἐκβάλλεσθαι τῆς πίστεως τοὺς προσιόντας. *Tu autem illud mihi oſtende, an doctus & eloquens eſſet Petrus & Paulus, ſed non potes: erant enim idiotae, & rudes, & illitterati . . . . Quod quaerebatur enim erat, ut ſubſpiceretur Chriſti virtus: non ut per externam ſapientiam a fide eiicerentur, qui accedebant.* Et ex intervallo de Apoſtolis pariter loquens: Οὗτοι δὲ ἰδιῶται καὶ ἀγροικοί, καὶ ἀμαθεῖς τοὺς σοφοὺς καὶ δυνατοὺς, καὶ τοὺς τυράννους, καὶ τοὺς ἐπὶ πλούτῳ καὶ δόξῃ καὶ τοῖς ἔξωθεν πᾶσι κομπάζοντας, ὡς οὐδὲ ἄνδρας οὕτω κατηγωνίσαντο, ὅθεν δῆλον ὅτι μεγάλη ἡ τοῦ σταυροῦ δύναμις καὶ οὐκ ἀνθρωπίνη ἰσχὺς ταῦτα ἐγίνετο. *Iſti enim rudes & agreſtes & imperiti expugnarunt ſapientes, & potentes, & tyrannos, & qui gloriabantur divitiis & gloria, & omnibus externis, perinde ac ſi non eſſent viri. Vnde eſt perſpicuum magnam eſſe crucis potentiam, & humanis viribus iſta non fieri.* At tota haec eloquentiſſimi Antiſtitis homilia huc transferenda eſſet, nihil enim excogitari poteſt, quod aptius, concinnius, robuſtius, adſertionem meam ſtabiliat ac firmet; ſed id facere omittimus, quia brevitati conſulimus. In eadem vero ſententia eſt etiam *Petrus de Riga*, & quidem prudentiſſime, cuius verſiculi, qualeſcumque illi ſint, a nobis tempeſtive capite ſuperiori in hunc finem exſcripti & prolati fuerunt *Sect. II. §. 11. pag.* 271. Quum autem res ita ſe habeat, quis divinam & inſcrutabilem ſapientiam, qua Deus mundum Chriſtianum effecit, non demiretur, quum in ipſa difficultate, & ratione incredibili, & inepta, & contraria, facilitatem tantam ſui conſilii exſequendi poſuerit, ut gentes omnes ad filii ſui leges & ri-

tus

int, quo toto ostendant ex praedicatione inutilium et despicabilium hominum veritatem Christianae religionis confirmari pariter

tus mirabiliter traxerit, id quod *Plinius* celeberrima Epiſtola ad *Traianum* potuit indicare; & *Hieronymus* Epitaphio Nepotiani, atque alibi iure iactare.

De Spiritus Sancti in Apoſtolos inlapſu, & divinorum Scriptorum adflatu.

CAPVT XV.

SED mihi quoſdam obſtrepentes, & vociferantes videre videor, atque in haec fere verba prorumpentes: *Quomodo Apoſtoli indocti homines, ac ruſticani dici poſſunt, quum eis inlapſus Spiritus Sanctus veritatem omnem iuxta Chriſti promiſſionem docuerit, & ut variis noviſque linguis loquerentur effecerit? Certe ad ſummum dici poterit antequam coelitus divina chariſmata acciperent, & ſuperna ac divina inſtitutione erudirentur, doctrinarum rudes, & litterarum expertes ignorantesque, fuiſſe; ſed poſtea & cultos, & doctos, & eloquentes, evaſiſſe, velis nolis fatendum eſt.* At quid tanto impetu, quid facto agmine, in me ruunt iſti Orgeones, Bacchico, ut videtur, quodam furore correpti? quod tamen falſo, & per ſummam calumniam, Apoſtolis Spiritu in eos ſuperne delapſo calefactis & agitatis, & iam Chriſti ſapientiam praedicantibus, variiſque linguis extemplo mirabiliterque loquentibus, obiiciebatur. Id enim omne quod ex divinis Oraculis, & Sanctorum Patrum dictis atque ſententiis hactenus diſputatum eſt, contrarium facile perſuadeat; quum illi omnes ruſticitatem & imperitiam Apoſto-

lis perſpicue adſerant, poſtquam Spiritus Sancti munera receperunt, quum iam Chriſtum per orbem praedicarent, & populos novis orgiis initiarent; ſtultum enim, atque exſibilandum plane eſſet, de eorum doctrina, quum adhuc piſcationem, & viles artes exercerent, exquirere. Lenius igitur id totum, ac pacatius agendum, & in liquidam ſinceramque veritatem omni animi adfectu & perturbatione depoſita amice dociliterque inquirendum. Tria ſunt quae nobis diſcutienda, & penſiculatius examinanda veniunt; Primum quid Chriſtus Apoſtolis, eos ex divini Spiritus inlapſu accepturos eſſe, promiſerit: Secundum, quam eis vere ſcientiam Spiritus Sanctus infuderit: Tertium, quid illud linguarum donum eſſet, quo Apoſtoli aucti fuerunt, & a populis diverſorum climatum & regionum concionantes intelligebantur.

Et quod primum attinet, exploratae fidei eſt Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, quum ipſe quoque non alia de cauſa in hunc mundum carne adſumta veniſſet, quam ut vitae innocentiam, verumque Dei cultum, & religionem, homines ab errore & ſuperſtitione avocatos edoceret, non aliis cognitionibus, & doctrina Apoſtolos ſuos atque diſcipulos inſtruxiſſe, quam iis, quae illuc perducerent, & aptos idoneoſque Evangelii ſui praecones efficerent. Sufficit Evangeliſtarum Commentarios evolvere, ut id ſtatim pateat; quare inutile eſt ac ſupervacaneum rem manifeſtam & evidentem pluribus diducere, & exquiſitis divinorum Eloquiorum teſtimoniis adſtruere. Clarum etiam perſpectumque eſt Ieſum Chriſtum arcana quadam & congruenti omnino ratione, ſapientique conſilio, nobis haud nimis curioſe venando & veſtigando, non omnia, quae ad Apoſtolicam praedicationem neceſſaria erant,

Apo-

Apoſtolis revelaviſſe; eiſque occultaſſe pluria, utpote forte eorum nondum ſatis idoneis auditoribus. Hinc illa apud *Ioannem Cap. XVI. verſ.* 12. ἔτι πολλὰ ἔχω λέγειν ὑμῖν, ἀλλ' οὐ δύνασθε βαστάζειν ἄρτι. *Adhuc multa habeo vobis dicere; ſed non poteſtis portare modo*. Quid igitur ſtatim ſubiungit? Ὅταν δὲ ἔλθῃ ἐκεῖνος τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν. *Quum autem*, inquit, *venerit ille Spiritus veritatis, deducet vos in omnem veritatem*. Sed quam omnem veritatem? Omnem veritatem videlicet, quae vobis ad Eccleſiae aedificationem, ad propagationem Evangelii, ad vitae & morum ſanctitudinem, & Eccleſiae regimen, conferat; uno verbo, omnem veritatem eius generis, cuius erat doctrina reliqua, quam vobis tradidi in anteceſſum. Hinc illa ſtatim ſubduntur: *Quaecumque audiet loquetur, & quae ventura ſunt adnuntiabit vobis. Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, & adnunciabit vobis*. Non Philoſophiam, non Mathematicen, non Rhetoricen, divinum Spiritum illis infuſurum promittit, non Graecam eruditionem, & curioſarum cognitionum adparatum: ſed *quae ventura ſunt*, inquit, *adnuntiabit vobis: ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & adnunciabit vobis*. Ne autem huiuſmodi interpretationem, meam eſſe quis credat, praecellentes Eccleſiae Patres ita in hunc Evangelii locum commentantes tempeſtive audiat, & *Didymum* in primis, cuius verba ſunt: *Quum autem venerit Spiritus veritatis, diriget vos in omnem veritatem, ſua doctrina & inſtitutione vos transferens a morte litterae ad ſpiritum vivificantem: in quo ſolo omnis ſcripturae veritas poſita eſt*. *Chryſoſtomus* vero ita loquitur: *Deinde oſtendens quam dixerit omnem veritatem, in quam Spiritus Sanctus adducet, ſubiungit: Ille me cla-*

clarificabit. Quae poſtrema Evangelii verba explicans *Auguſtinus* hanc eorum rationem reddit: *Quia diffundendo in credentium cordibus caritatem, ſpiritaleſque faciendo, declaravit eis, qualiter patri filius eſſet aequalis, quem ſecundum carnem prius tantummodo noverant, & hominem ſicut homines cogitabant. Vel certe quia per ipſam caritatem fiducia repleti & timore depulſo, adnunciaverunt hominibus Chriſtum, ac ſic fama eius diffuſa eſt toto orbe terrarum.* Similia ad haec commentatur *Beda;* commentantur & alii, & inter recentiores doctiſſimus *Bern. Lamius Lib. V. Harm. Evangel. cap XXIV.* Ὁδηγήσει, *inquit, diriget, ducet in omnem veritatem. Revera Spiritu Sancto illuſtrante cognoverunt omnem veritatem ad bonum regimen Eccleſiae; unde dicunt in actis: Viſum eſt nobis & Spiritui Sancto.* Sed in primis *Franc. Toletus* Cardinalis hunc Ioannis locum explicans audiendus eſt: *Secundo adnotandum eſt, Spiritum Sanctum multipliciter diſcipulos in omnem deduxiſſe veritatem. Principio multa, quae a Chriſto audierant & obliti erant, in memoriam perfecte reducendo: quo Spiritu Evangeliſtae dicta & facta Chriſti perfectiſſime ſcripſerunt, ut nec verbum excideret. Deinde Chriſti verba & facta, quorum multa prius non intellexerunt, explicando & declarando. Tum multa alia, quae Chriſtus non expreſſit nec docuit, docendo & illuſtrando, ſive quae ad dogmata, ſive quae ad mores, ſive quae ad regimen Eccleſiae pertinebant. Demum veteres ſcripturas, & prophetias, &c.* Ecce igitur, quaecumque Spiritus Sanctus Apoſtolos docturus erat; nonniſi ea, quae Chriſti praedicationis reliqua eſſent, & ad Eccleſiae aedificationem & regimen pertinerent, eſſe debuerant. Id etiam clarius indicatur *Cap. XIV.* eiusdem Ioannis *Verſ.* 25. ubi Chri-

ſtus

ſtus Apoſtolis ait: *Ταῦτα λελάληκα ὑμῖν παρ' ὑμῖν μένων. ὁ δὲ παράκλητος, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ὃ πέμψει ὁ πατὴρ ἐν τῷ ὀνόματί μου, ἐκεῖνος ὑμᾶς διδάξει πάντα, καὶ ὑπομνήσει ὑμᾶς πάντα ἃ εἶπον ὑμῖν. Haec loquutus ſum vobis apud vos manens. Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quaecumque dixi vobis.* Hic evidenter enunciat non alterius generis eſſe debere, quae Spiritus Sanctus docturus eſt, quam ea eſſent, quae ipſe docuerat. Quare ad rem *Io. Chryſoſtomus* ſcribit: *Quia vero eorum quae dixerat, quaedam manifeſta erant, & quaedam non intellexerunt, ut non turbarentur ſubiungit: Haec loquutus ſum vobis &c.* Paulo quidem aliter *Theophylactus*, ſed in noſtram ſententiam ſemper: *Spiritus itaque Sanctus & docuit, & commemoravit: docuit quidem quaecumque non dixerat eis Chriſtus, tamquam non valentibus portare; commemoravit vero quaecumque Dominus dixerat, ſed obſcuritatis cauſa, vel intellectus tarditate, commendare memoriae nequiverunt.* Nihil igitur aliud Spiritus Sanctus Apoſtolos docuit, quam quae diximus; nec alia docturus promiſſus fuerat; id quod enucleatius eruditiſſimus *Didymus* confirmare pergit, ita ſcribens: *Iſte autem Spiritus Sanctus, qui venit in nomine filii, docebat omnia eos, qui in fide Chriſti perfecti ſunt. Omnia autem illa quae ſpiritualia ſunt, & intellectualia veritatis & ſapientiae ſacramenta.* Hinc *Dominicus Soto* litteris mandavit naturalium doctrinarum non aliud Apoſtolos noviſſe, quam quae ad revelationem fidei pertinerent, cuius verba ſuperius *cap.IX. p. 136.* tempeſtive produximus. *Franciſcus* autem *Toletus Commentar. in Ioan.* ad locum adlegatum ita ſcribit: *Aliqua ſunt adnotanda breviter. Pri-*

mum

mum eſt illud verbum, docebit vos omnia, *referendum eſſe ad ea, quae ad myſteria adventus Chriſti, & doctrinam eius pertinent, & quae ad Eccleſiae inſtructionem, & erectionem, neceſſaria erat:* Et recte inſuper animadvertit, illud *omnia* aliter apud *Tertullianum De Praeſcriptionibus* intelligendum non venire, id quod & ea quae praecedunt, & quae conſequuntur, facillime perſuadent. Inquit enim: *Solent dicere, non omnia Apoſtolos ſciſſe, eadem agitati dementia qua rurſus convertunt, omnia quidem Apoſtolos ſciſſe, ſed non omnia omnibus tradidiſſe, in utroque Chriſtum reprehenſioni ſubiicientes, qui aut minus inſtructos, aut parum ſimplices Apoſtolos miſerit. Quis enim integrae mentis credere poteſt aliquid eos ignoraſſe, quos magiſtros Dominus dedit, individuos habitos in comitatu, in diſcipulatu, in convictu, quibus obſcura quaeque ſeorſim diſſerebat, illis dicens datum eſſe cognoſcere arcana, quae populo intelligere non liceret.* Sed clarius & apertius *Libro De Velandis Virginibus: Quum propterea Paracletum miſerit Dominus, ut quoniam humana mediocritas omnia ſemel capere non poterat, paulatim dirigeretur, & ordinaretur, & ad perfectum perduceretur diſciplina, ab illo vicario Domini Spiritu Sancto. Adhuc inquit, multa habeo loqui vobis, ſed nondum poteſtis ea baiulare; quum venerit ille Spiritus veritatis deducet vos in omnem veritatem, & ſupervenientia renunciabit vobis. Sed & ſupra de hoc eius opere pronunciavit.* QVAE EST ERGO PARACLETI ADMINISTRATIO NISI HAEC QVOD DISCIPLINA DIRIGITVR, QVOD SCRIPTVRAE REVELANTVR, QVOD INTELLECTVS REFORMATVR, QVOD AD MELIORA PROFICITVR? Hinc iure *Hieronymus Vida*, Poëta ſacer & elegans, non alia Apoſtolos

ſtolos edoctos ſatis indicat, quum *Hymno Spiritus Sancti* ita canit:

Quique modo indociles vitam piſcoſa ſecundum
Flumina venatu tenui ſine more trahebant,
Edocti nunc mira canunt praecepta per urbes,
Continuo penetrant aulas, & limina regum,
Contra ſtare auſi ſoliorum edicta ſuperba;
Biſſenique hominum genus id, te praeſide freti
Exſtincti ducis, ac devicta a morte reducti,
Nobile per gentes omnes vexere tropaeum,
Et factum egregium totum ſparſere per orbem.

Libro autem *I. Chriſtiados* ita ab eo Deus filium Ieſum adloquens inducitur:

Hi quos cernis enim vix nunc tua iuſſa ſequutos
Indociles, fandi ignaros, (mora non erit) altos
Pectore concipient ſenſus, doctoque verendas
Ore canent leges adflati numine noſtro,
Et vaſtum in melius referent hortatibus orbem.

Sed etſi adſeverarem non omnia, quae ad religionem ſpectant, *immediate* Spiritum Sanctum certo conſilio docuiſſe, & eumdem *Tertullianum*, & *Auguſtinum*, adſtipulantes haberem; immo Apoſtolos ipſos: nam Paulus Ieroſolyma adſcendit ut Apoſtolos conſuleret, quod ipſe Epiſtola ad *Galatas Cap. II.* ſcribit. Et D. *Lucas* ipſo prooemio edoctum ſe ab aliis ea, quae ſcripturus erat, declarate profitetur. Et quidem *Tertullianus Lib. IV. adverſ. Marcionem Cap. II.* & *Auguſtinus Lib. XXVIII. contra Fauſtum Manich. Cap. IV.* obſervant Apoſtolum opus habuiſſe alios Apoſtolos convenire & conſulere, ut praedicationis concordiam & conſenſionem adſtrueret, atque inde ſibi quaereret auctoritatem.

Iam patuit arbitror, quid Chriſtus per Spiritus Sancti adflatum Apoſtolis repromiſerit, quidque illi per eiuſ-

eiusdem Spiritus inlapſum acceperint, apertiſſimis Sanctorum Patrum teſtimoniis in medium adductis, quod ſecundo loco fuerat demonſtrandum. Vnum tantum heic addam, ipſorum Apoſtolorum ingenuam confeſſionem, qua ſe non humanas litteras, non liberales diſciplinas, non profanas doctrinas, a divino Spiritu edoctos, ſed coeleſti tantum divinaque ſapientia, & Dei myſteriorum intelligentia, inſtructos fuiſſe, candide diſerteque fatentur. Itaque *Paulum* Apoſtolum ita *Epiſt. I. ad Corinthios Cap. II.* loquentem audiamus: *Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, ut ſciamus quae a Deo donata ſunt nobis: quae & loquimur non in doctis humanae ſapientiae verbis, ſed in doctrina ſpiritus ſpiritualibus ſpiritualia comparantes.* Id quod etiam re ipſa oſtenderunt, quum in eorum commentariis nihil aliud occurrat, quam rerum divinarum expoſitio, & inculpatae vitae praecepta, ac cultus divini commendatio & inſtitutio. Hinc eſt quod *Lucas* in *Actis Apoſtolorum Cap. IV.* de Petro & Ioanne loquens, & de iis quidem poſtquam iam Spiritus Sancti munus acceperant, eos illitteratos, & ruſticanos homines fuiſſe ait, *ἰδιώτας καὶ ἀγραμμάτους*; non enim eis divinus Spiritus cultum illum animi, quam nos eruditionem & litteraturam adpellamus, illis inlabens contulerat, ſed coeleſtium arcanorum intellectum, & morum ſanctitatem, animique robur ac virtutem, tantum inſuderat. Egregie *Hieronymus Epiſtola ad Paulinum*: *Phariſaei ſtupent in doctrina Domini, & mirantur in Petro & Ioanne, quomodo LEGEM ſciant, quum litteras non didicerint. Quidquid enim aliis exercitatio, & quotidiana in lege meditatio tribuere ſolet, illis hoc Spiritus Sanctus ſuggerebat, & erant iuxta quod ſcriptum eſt,*

θεο-

θεοδίδακτοι. Quod ſi antiquo Scriptori apud *Euſebium Lib. II. Cap. I.* credendum eſſet, Ieſum ipſum ſcilicet poſt reſurrectionem ſcientiae munere Iacobum iuſtum, Petrum, & Ioannem, impertiviſſe, atque ex eis iſthuc ipſum in reliquos Apoſtolos defluxiſſe; non alia tamen ſcientia & doctrina hic intelligenda veniret, quam ea, de qua hactenus tam multa diſputavimus.

Quare in tertium noſtrae diſquiſitionis caput ſenſim delapſi ſumus, & quomodo, quis dicat, id conſtare poteſt, ſi omnium linguarum cognitionem, & uſum, Spiritus Sanctus illis indulſit, itaut nulla prope eſſet ſub coelo natio, quae eos praedicantes non intelligeret, ut *Lucas* Actorum Apoſtolicorum ſcriptor egregius luculente ac perſpicue teſtatur? Quid & quale igitur huiuſmodi linguarum donum eſſet ſedulo a nobis examinandum eſt; & probabilitatem rationemque ſectantes, & ſanctorum Patrum veſtigiis perpetuo inſiſtentes, ne a regia via ad divortia declinare videamur, rem tantam, & tantopere agitatam, iuſta lance perpendere adgrediemur. Quid igitur, ſi cum quibusdam doctiſſimis Viris adfirmemus, linguarum donum Apoſtolis collatum nihil aliud fuiſſe, quam perpetuum quoddam divinae potentiae miraculum, quo, ut Apoſtoli quacumque lingua Evangelium, & Chriſti fidem, populis praedicarent, a gente qualibet, linguae diverſiſſimae licet, intelligerentur, efficiebat? Id evidenter deducitur ex prima Petri, quae ipſa die, qua Spiritus Sanctus Apoſtolos illapſus eſt, habita fuit, concione; eam enim habuit una tantum lingua, Syriaca ſcilicet ut videtur, loquendo; & tamen, ut *Lucas* ait, ab omnibus fere gentibus, quae ſub caelo ſunt, eius oratio intellecta, atque ani-

animo cmprehenſa eſt. Ecce ipſa *Lucae* verba *Cap. II. Act. Apoſtol. Stupebant autem omnes, & mirabantur, dicentes: Nonne ecce omnes iſti, qui loquuntur, Galilaei ſunt? Et quomodo nos audivimus unuſquiſque linguam noſtram, in qua nati ſumus? Parthi, & Medi, & Aelamitae, & qui habitant Meſopotamiam, Iudaeam, & Cappadociam, Pontum & Aſiam, Phrygiam & Pamphyliam, Aegyptum & partes Libyae, quae eſt circa Cyrenem, & advenae Romani, Iudaei quoque, & Proſelyti, Cretes, & Arabes: audivimus eos loquentes noſtris linguis magnalia Dei.* Atque eo ſenſu, quo diximus, intelligendum eſſe illud quod praecedit: *Et repleti ſunt omnes Spiritu Sancto, & coeperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis;* manifeſtant ea quae ſtatim ſequuntur: *Erant autem in Ieruſalem habitantes Iudaei, viri religioſi ex omni natione quae ſub caelo eſt. Facta autem hac voce, convenit multitudo, & mente confuſa eſt quoniam audiebat unuſquiſque lingua ſua illos loquentes.* In tanta enim multitudine & tumultu populi, quomodo ſtatim Apoſtoli dignoſcere poterant, cuias unuſquiſque eſſet, ut cum illo ſua dialecto loquerentur? Nec mirabilitas turbam illam adeo perculſiſſet, ſi ſingillatim & apte cum quolibet peregrino ſermone loquuti fuiſſent Apoſtoli; nam ſubſpicari quis potuiſſet linguam illam alias eis notam fuiſſe, & non ſtatim ſaltem tanto ſtupore corripi, ut mens eius confunderetur. Sed portentum ingens, quod ſenſus audientium attonuit, ut *Beda* etiam inferius advocandus animadvertit, fuit, unica lingua utentes & ad omnes ſimul loquentes a turba adeo miſta & confuſa, & tot diverſarum gentium hominibus conſtante, & ab unoquoque eorum, eodem tempore audiri

&

Digitized by Google

& intelligi. Nec rem aliter ſe habuiſſe ipſe *H. Graveſonius De Myſt. & Ann. Chriſti Diſſert. XXIII.* fateri compellitur, dum ita ſcribit: *Convenit promiſcua populi multitudo, perplexis animis quaerens, quid hoc eſſet novae rei; quod quum ex tam diverſae linguae regionibus eſſent collecti, tamen unuſquiſque ſic intellexiſſent illos loquentes, quaſi non una quapiam omnibus, ſed ſingulo cuique ſua vernacula lingua fuiſſent loquuti? Qui igitur fieri poteſt, inquiebant omnes attoniti, ut tam multi diverſae linguae homines, quoties audimus unum aliquem loquentem, nihilo ſecius intelligamus, quam ſi ſuam quiſque linguam, in qua natus eſt, audiret, quum ex tam diverſis regionibus multitudo conflata ſit &c.* Alia ratio eſt, quia ſi per Spiritus Sancti adflatum Apoſtoli linguarum omnium cognitione & uſu inſtructi fuiſſent, non tanta Graeci ſermonis imperitia, & ſtili barbaries, in eorum ſcriptis deprehenderetur; non tanta etiam compoſitionis diverſitas, quantam iam ſuperius *Cap. IX. & X.* tempeſtive obſervavimus. Accedunt etiam ingenuae ipſae Apoſtolorum confeſſiones, quibus ſermonis ſe & elegantiae rudes imperitoſque declarant, ut illa *Pauli*, de quibus ſupra *pag. 162. Etſi imperitus ſermone, ſed non ſcientia.* Quid quod certo ſcimus, ob Graeci ſermonis difficultatem, quibusdam Apoſtolos interpretibus eſſe uſos, & eorum opera ſuas Epiſtolas & Commentarios exaraviſſe id quod late ſuperius *Cap. XII.* exſequuti ſumus? Quare eruditiſſimus *Calmetius Prolegom. in I. Petri Epiſtolam* ita de Apoſtolis ſcribit: *Licet enim plurium linguarum munere ab eodem Spiritu Sancto donati eſſent, diſerte nihilominus & perfecte omnino loquendi poteſtatem, ob arcana Dei conſilia, non acceperant.* Conſulantur omnino quae de

Z Novi

Novi Teſtamenti ſtilo, & de Apoſtolorum eruditione ſuperius *Capp. IX. X. & XII.* laudatis commentatus ſum. Haec certe univerſa eam ſententiam perſuadere videantur, quam ſuperius haud inconſulte protuli; cui quidem & ſanctos quosdam Patres haud inconſulte adhaerere comperio. In hac enim opinione eſt *Arator* qui ait linguarum unitatem, quae in Babylonica turre diviſa ac diſperſa fuerat, in hoc divini Spiritus inlapſu reſtitutam fuiſſe; quum ſcilicet una eademque lingua ab omnibus intelligeretur. Eius elegantes verſiculi ſunt qui ſequuntur.

Sola fuit doctrina fides, opulentaque verbi
Materies caeleſte datum, nova vocis origo
Quae numeroſa venit, totoque ex orbe diſertis
SVFFICIT VNA LOQVI; dudum vetus aequoris arca
Quum ſuperaſſet aquas, turrim voluere maligni
In coelum proferre ſuam, quibus impia corda
Sermonum ſecuere modos, ſociisque ſuperbis
Adfectus cum voce perit: confuſio linguae
Conſimili tunc gente fuit, NVNC PLVRIBVS VNA EST,
Eccleſiae quoniam venientis imagine gaudet
Concordes habitura ſonos, & pace modeſtis
Fit foecunda redux, humiliſque recolligit ordo,
Quod tumidi ſparſere viri.

Beda quoque in *Commentariis ad Acta Apoſtolorum* hanc ſententiam alii praeferre videtur ita ſcribens: *Vnitatem linguarum quam ſuperbia Babylonis diſperſerat, humilitas Eccleſiae recolligit.* Et mox: *Quoniam audiebat unuſquiſque lingua ſua ad illos loquentes. Quaeritur in hoc loco, quomodo unuſquiſque audiebat lingua ſua loquentes eos magnalia Dei: utrum ii, qui*

qui loquebantur, diverſis ſermonibus uniuſcuiuſque linguae hoc quod dicebatur proferebant, ideſt, ut unuſquiſque eorum nunc hac nunc alia lingua loquens ſic per omnes curreret: an in eo potius erat mirabile, quod ſermo eorum, qui loquebantur, qualibet lingua fuiſſet pronunciatus unicuique audienti, ſecundum ſuam linguam intelligebatur, ut verbi gratia unoquocumque Apoſtolo in Eccleſia docente (neceſſe enim erat tacentibus reliquis unum loqui, & ſermonem unum ad auditum omnium pervenire) ipſe ſermo hanc in ſe vim haberet, ut quum diverſarum gentium auditores eſſent, unuſquiſque ſecundum linguam ſuam illius ipſius unius ſermonis, qui ab Apoſtolo fuerat pronunciatus, ſuſciperet auditum, & caperet intellectum. Niſi forte ſecundum hoc magis videbatur audientium eſſe miraculum quam loquentium. Atque ita quidem ille, quem perperam *Graveſonius* utrumque munus Apoſtolis adiudicare illis verbis exiſtimat; quum id a Gregorio Nazianzeno *Orat. XLIV.* accepiſſe videatur, qui de utraque opinione dubitanſ & ipſe ita loquitur. Ἐλάλουν μὲν οὖν ξέναις γλώσσαις, καὶ οὐ πατρίοις, καὶ τὸ θαῦμα μέγα, λόγος ὑπὸ τῶν οὐ μαθόντων λαλούμενος· καὶ τὸ σημεῖον τοῖς ἀπίστοις, οὐ τοῖς πιστεύουσι, ἵν' ᾖ τῶν ἀπίστων κατήγορον, καθὼς γέγραπται, ὅτι ἐν ἑτερογλώσσοις καὶ ἐν χείλεσιν λαλήσω τῷ λάῳ τούτῳ, καὶ οὐδ' οὕτως εἰσακούσονταί μου, λέγει κύριος. ἤκουον δέ. μικρὸν ἐνταῦθα ἐπίσχες καὶ διαπόρησον πῶς διαιρήσεις τὸν λόγον. ἔχει γάρ τι ἀμφίβολον ἡ λέξις τῇ στιγμῇ διαιρούμενον. ἆρα γὰρ ἤκουον ταῖς ἑαυτῶν διαλέκτοις ἕκαστοι, ὡς φέρε εἰπεῖν, μίαν μὲν ἐξηχεῖσθαι φωνὴν, πολλὰς δὲ ἀκούεσθαι, οὕτω κτυπουμένου τοῦ ἀέρος, καὶ ἵν' εἴπω σαφέστερον τῶν φωνῶν γινομένων, ἢ τὸ μὲν ἤκουον ἀναπαυστέον, τὸ δὲ λαλούντων ταῖς ἰδίαις φωναῖς, τῷ ἑξῆς προσθετέον, ἵν' ᾖ λαλούντων φωναῖς, ταῖς ἰδίαις τῶν ἀκουόντων, ὅπερ γίνεται ἀλλοξίαις· καθὰ καὶ μᾶλλον τίθεμαι. ἐκείνως μὲν γὰρ τῶν ἀκουόντων ἂν εἴη μᾶλλον ἢ τῶν λεγόντων τὸ

θαῦμα. At vero linguis externis ac vernaculis Apoſtoli loquebantur, ſingularique miraculo ſermo ab his, qui non didicerant, proferebatur: ſignumque illud infidelibus erat, non fidelibus, ut infidelium accuſator eſſet: ſicut ſcriptum eſt. Quoniam in aliis linguis, & in labiis aliis, loquar populo huic, ac ne ſic quidem, exaudient me, dicit Dominus. Audiebant autem. Verum hic paullum conſiſte, atque ambige quomodo diſtinguenda ſit oratio. Textus enim nonnullam ambiguitatem habet, interpunctione dirimendam. Vtrum enim dicebant ſua quiſque dialecto, ita ut, verbi gratia, vox quidem una emitteretur, multae autem audirentur, ſic videlicet pulſato ac perſtrepente aere, pluribuſque vocibus, ut magis perſpicue dicam, ex una voce effectis: an potius in hoc verbo Audiebant, *punctum ſtatuendum eſt, atque haec verba,* Loquentes ſuis linguis, *cum his, quae ſequuntur, iungenda ſunt, ut ſic legatur,* Loquentes linguis, *propriis ſcilicet audientium, hoc eſt, externis: qui etiam ſenſus mihi magis adridet. Nam illo quidem modo, eorum potius, qui audiebant, quam qui verba faciebant, hoc miraculum fuerit.* Sed *Baſilius* Seleucienſis in primam ſententiam magis inclinat, atque eam amplectitur. *Sermone* enim *De Innocen.* ita ſcribit: *Quando rore ſpiritus, qui e caelo fluxerat, in lingua Apoſtolorum accepto congregatarum gentium auribus diſtribuit oris operationem; uniuſcuiuſque vocem ad omnium gentium ſenſus accomodante & adaptante gratia; adeo ut fluentum ſermonis quod profundebatur ex labris, fieret familiare omnium auribus a Spiritu Sancto transformante in id, quod erat cognatum vocis uniuſcuiuſque eorum, qui audiebant. Arnaldus* quoque Bonaevallis Abbas, ita *Sermone de Spiritu Sancto* hanc ſententiam confirmat: *Pentecoſtem igitur*

tur celebrantes commemoravimus quae olim ſub Moyſe in veteri teſtamento ſunt acta, & quae ſub Chriſto facta ſunt; poſt cuius adſcenſionem in coelos Spiritus Sanctus viſibiliter ſuper Apoſtolos in lingis igneis adparuit, & ad inſtar prioris ſaeculi univerſitatem fidelium unius labii eſſe voluit, ut quorum erat cor unum, & anima una, una eſſet & lingua, nec poſſet impedire intellectum credentium aliqua diverſitas verborum, ſed evangelica doctrina PROPRIA LINGVA PROLATA *ad omnium auditum eamdem efficientiam obtineret, ut Graecis & Barbaris, omnibuſque gentibus verbum Evangelii ſic eſſet intelligibile, ac ſi in eorum auribus linguae, in qua nati erant, idiomata reſonarent. Aderant Medi, & Elamitae, Meſopotameni, & Arabes. Hi omnes dum EBREA LINGVA Apoſtoli praedicarent, loquutio Iudaica enunciationis ſuae articulos curſu conſueto evolvens nullo exponebatur interprete, ſed verbo eorum per Spiritum Sanctum inerat virtus & gratia, ut habitantes Pontum & Aſiam ſuam eſſe dicerent linguam, quam audiebant, quaſi primitivae linguae libertas ad antiquitatis reverſa originem confuſionis contumeliam eviciſſet*. Video autem in *Catena Graeca* in *Actus Apoſtolorum*, quam *Bernardus Felicianus* Latinitate donavit, aliquem opinantem adeo verum fuiſſe Apoſtolos una lingua loquentes ab aliis, ſua quoque lingua, auditos fuiſſe, ut credat ipſos Apoſtolos, an a diverſae linguae hominibus intelligerentur, ignoraviſſe. En ipſiſſima verba: *Apoſtoli vero magnifica & admiranda Dei opera ſe dicere quidem ſciebant, quibus tamen linguis ea dicerent, ignorabant; ſed qui audiebant viri religioſi, puta Scytha, aut Indus, Scythice aut Indice eos loqui percipiebant*. Sed & Poëta elegantiſſimus, *Hieronymus Vida*, Albae Epiſcopus, qui ſub Leo-

ne X. floruit, & ſuorum carminum ſacrorum praemium Epiſcopatum illum tulit, in eamdem, quam non improbo, ſententiam *Hymno in Spiritum Sanctum* cecinit:

Poſt iterum te mortales mortalibus aegri
Conſpexere oculis manifeſte numine ferri
Cum ſonitu caelo inlapſum ſub imagine flammae
Multifidae, linguis veluti vibrantibus aureis,
Terrificiſque locum impleſti ſplendoribus omnem &c.
Protinus ecce viri calefacti numinis igni,
Qui modo morte ducis proſtrati cuncta timebant
In latebris, nunc intrepidi mira ore loquuntur,
Mira ſonant. Varias linguis, longeque remotas
Inter ſe gentes imitantur munere vocis,
VNO EODEMQVE SONO *diverſo more loquuti.*
Adgnoſcunt populi patriae commercia linguae,
Verbaque quiſque ſuae, atque eadem diſcrimina
vocum.

Non me quidem latet *Auguſtinum lib. XVIII. De Civit. Dei cap. XLIX. in Pſalmum XVIII. Homil. II. Sermon. CLXXIII. cap. III.* & *Tractatu XCIII. in Ioannem; Ambroſium in Pſalm. XVIII. Leonem Magnum ſermone I. De Pentecoſte, Gregorium* pariter *Magnum Homil. XXX. in Evangelia, Theodoretum* ipſum *in Epiſt. I. ad Corinthios cap. XIV.* aliam opinionem amplecti: ſed quum res in ſententiis ſit, liberum mihi fuit ei, quae mihi probabilior videretur, inhaerere. Fruſtra enim eſt Cardinalis *Laurea*, dum *Commentar. in Lib. III. ſentent. Diſput. XIX. Art. XI.* contrariam ſententiam noſtrae fidei dogma eſſe perſeverat: quum regula ſit, Patribus inter ſe diſſidentibus, conſtantem minime & perpetuam traditionem reſultare; adeoque decretum inde oriri non poſſe. Quod ſi duplex miraculum in Apoſtolis quis fuiſſe

fuiſſe pertenderet, & illud ſcilicet quo linguas univerſas callerent; & aliud, quo unum Apoſtolum una lingua loquentem omnes ſua lingua' intelligerent; quod quidem quibusdam adridere video, ut *Eraſmo*, *Cornelio a Lapide*, *Cardinali Laureae*, *H. Graveſonio*, aliiſque; ipſe tunc una cum doctiſſimo *Tillemontio* id aliqua veterum Patrum auctoritate ſuffultum deſiderarem. Haec autem ſententia illud quoque percommodum habet, ut difficultates pene omnes evitet, quas *Cl. Salmaſius* in ſuo opere *De lingua Helleniſtica*, & *Eraſmus* in *Adnotationibus* in *Acta Apoſtolorum*, non ſine multa probabilitate & veriſimilitudine obiiciunt; ut ex rationibus, quibus ſuperius hanc opinionem adſtruxi, & quas in medium illi etiam partim adducunt, intelligere eſt. Et eo minus ſententia haec diſplicere aliquibus debet, quo exploratius eſt illos ipſos Patres, qui Apoſtolos linguas varias loquutos fuiſſe autumarunt, inter ſe concordes haudquaquam eſſe, & quum de linguarum numero agunt mirabiliter diſſentire. Nam *Ioannes Chryſoſtomus Tom. V. Orat. XL.* exiſtimare videtur quemlibet Apoſtolorum nullius alterius linguae cognitionem & uſum accepiſſe, quam illius quae propria erat gentis & regionis, cui Evangelii praedicator a Deo deſtinabatur. *Pſeudo-Craton* vero Bartholomaeum Apoſtolum omnium gentium linguas intellexiſſe, & loquutum fuiſſe tradit; quod quum de eo Apoſtolo, tamquam ſingulare, dicat, eamdem facultatem reliquis Apoſtolis non adſeruiſſe videatur. Sed falſarii Scriptoris nullam rationem habeo. Etſi vero obvius intellectus illorum verborum: *Et coeperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis*, contrariam opinionem comprobare videa-

 tur;

tur; tamen verba quae ſequuntur, ut mature animadvertimus, aliam adductorum verborum explicationem adripere compellunt, ut vera, & clara, ac naturalis, ſententia in toto *Lucae* contextu reperiatur. Quod autem obiiciunt promiſſum Apoſtolis a Chriſto Domino linguarum donum, ita *Marci Cap. XVI. verſ.* 17. dicente: *Linguis loquentur novis;* non video cur verum non ſit, aut eſſe poſſit, etiam in noſtra ſententia; quum idem ſit variis linguis loqui, ac una lingua loquendo ſuae mentis conceptus etiam linguam illam ignorantibus aperire, & illis ſua lingua loqui aliquem videri. Magis autem exſibilandum *Fr. Bivarii* commentum ad *Pſeudo-Dextri Chronicon A. LIV.* qui verba illa *linguis loquentur novis*, de linguis etiam, quae nondum ullibi gentium erant, ſed multo tempore poſt exortae ſunt, ridicule prorſus interpretatus eſt: ita ut per eum Apoſtoli & lingua Gallica, & Hiſpanica, & Italica hodierna, loquerentur. Teſtimonium autem Apoſtoli de ſeipſo, quod ex *Epiſtol. I. cap. XIV. verſ.* 13. *ad Corinthios Graveſonius* repetit & adducit, minus apte profertur, quum illis verbis: *Gratias ago Deo meo, quod omnium veſtrum lingua loquor;* nihil aliud ſignificetur, quam Apoſtolum utpote Tarſenſem Helleniſten Graece loqui ſciſſe, & Chaldaice, non aliter, quam Iudaei Corinthii, ad quos ſcribebat, facerent, quod recte obſervabat *Simonius P. I. Hiſt. Critic. N.T. cap. X.* Et aliarum linguarum uſum apud Corinthios comminiſci, ut ille quidem facit, ſomnium purum putum eſſe dignoſcitur; vel ait ſe habere gratiam linguarum aeque ac illos, eo tamen ſenſu, quo diximus. Conſulatur ſuperius *Caput XII. pag.* 202. ex quo id totum luculentius eminebit.

At

At ſi cui nihilominus alia ſententia adridet, quam quidem communiorem eſſe inficiabitur nemo, & commodiori quidem ratione Novi Teſtamenti locos, quos protulimus, explicat; quemadmodum & alios, quos *H. Grotius* opponit, ut *I. Corinth. XII. 10. 12. 28. 30. & XIV. per totum*; hoc eſt, variis vere linguis Spiritus Sancti munere Apoſtolos loquutos eſſe; ipſe quoque non multum repugnaverim; & tunc dicam Spiritum divinum certis de cauſſis, & inſcrutabilis providentiae rationibus, diverſarum linguarum cognitionem eis indidiſse, non tamen orationis nitorem & elegantiam tribuiſſe; ſed eius gratiam iuxta naturales eorum diſpoſitiones in eis quoad hoc eſſe operatam, ita ut qui cultior eſſet atque eruditior, diſertior quoque, & in dicendo elegantior, videretur; qui minus autem, aliter; ut in Luca & Ioanne utraque exempla praeclariſſima habemus, & obſervat *Cornelius a Lapide Canone XX.* Non me tamen latet *Io. Chryſoſtomum Homil. III. in Epiſt. I. ad Corinth. cap. I.* in diverſa eſſe opinione, aibitrarique tenui dictione eſſe uſos Apoſtolos οὐκ ἀσθενείᾳ τοῦ χαρίσματος, ἀλλ᾽ ἵνα μὴ βλάβῃ τὸ κήρυγμα. *Non imbecillitate muneris, ſed ne praedicationi noceretur.* Verum ex iis omnibus, quae hactenus a nobis tam late multipliciterque diſputata ſunt, aliud fortaſſis colligi pleriſque omnibus videatur. Non me fugit quoque Dionyſium Alexandrinum apud *Euſebium Lib. VII. Hiſt. Eccleſ. Cap. XXV.* in ea opinione fuiſſe, ut cenſuerit Spiritum Sanctum non res tantum, & ſublimia myſteria, Ioanni Evangeliſtae ſuggeſſiſſe; verum etiam orationis copiam, & nitorem, elegantiamque, ſuppeditaſſe; ſed quanti huiuſmodi iudicium faciendum ſit, inferius de Ioanne hoc agentes demonſtrabimus.

Mul-

Multo autem minus quis nobis opponat divinam inſpirationem, qua ſacri Scriptores adiuti & directi ſuas commentationes exaraverint; illam enim eos omni errore, & mendacio, & lapſu, expertes feciſſe facile conceſſerim; eruditos vero, & eloquentes, & cultos, & nitida elegantique oratione praeſtantes reddidiſſe, eadem facilitate negaverim. Id autem ut melius intelligatur, altius omne repetendum eſt, & quid de divino adflatu & inſpiratione iudicandum ſit, inquirendum. Itaque dupliciter inſpiratio in divinis Scriptoribus conſideranda eſt, vel ut Prophetis, vel ut hiſtoricis, & ſapientibus viris, qui & res geſtas memoriae produnt, & recte vivendi praecepta, deique colendi ritus ceremoniaſque, praeſcribunt. Et ſi de Prophetis agimus, quum mortalis animus futura praeſentire non poſſit, certum exploratumque eſt quaecumque illi vaticinantur, a Deo eiuſque Spiritu iis ſuggeri, vel monſtrari; res tamen tantum, non etiam verba, & phraſin, & variam ipſius orationis compoſitionem; alioquin Prophetae omnes eodem ſtilo, atque eadem facundia loquuti eſſent, quum in omnibus unus atque idem Spiritus fuerit, id quod quidem prudenter obſervabat etiam *Knatchbullus* eruditus, licet heterodoxus, ad *Matthaei cap. XXVII.* ſcribens: *Dictavit Spiritus ſenſum, non verba ſingula, vel verborum formam: uno enim tunc ore loquerentur ſinguli.* Eo autem lubentius *Knatchbulli* ſententiam retuli, quod rigidiores Calviniani, ne unum quidem verbum in ſacris Scripturis non inſpiratum adgnoſcentes, ab heterodoxo homine confutentur; quemadmodum & a *Lud. Capello*, qui tantum abfuit ut id ſibi perſuaderet, quin *μνημονικὸν ἁμάρτημα Capite V. Actorum* deprehendiſſe ſibi viſus eſt. *Qui lapſus*

μνε-

μνημονικοὶ, inquit, *facile obrepunt, quum propoſitum nobis non eſt rerum geſtarum ſeriem ordine narrare, & accurate notare; ſed obiter & ex occaſione data aliquid, quod ad rem noſtram facit, commemorare verbulo, quod hic a Luca fit. Atque huiuſmodi lapſuum μνημονικῶν exempla nonnulla ab aliis notata ſunt in ſacris Scriptoribus.* Et haec haereticus ille, quae qua cenſura perſtringenda ſint, videatur apud *Graveſonium De Myſteriis & annis Chriſti Diſſert. XXI.* Diverſum autem eſſe Prophetarum ſtilum, & a quocumque eorum vaticinia evolvente primore adſpectu intelligitur, & perſpicua ſunt doctiſſimi *Hieronymi* hac de re teſtimonia. Nam ecce ad Paulum & Euſtochium ſcribens ita de Eſaia loquitur: *Ac primum de Iſaia ſciendum, quod in ſermone ſuo diſertus ſit; quippe ut vir nobilis, & urbanae eloquentiae, nec habens quidquam in eloquio ruſticitatis admiſtum. Vnde accidit ut prae ceteris florem ſermonis eius, translatio non potuerit conſervare.* De Ieremia autem hoc iudicium profert: *Ieremias Propheta cui hic prologus ſcribitur, ſermone quidem apud Ebraeos Iſaia & Oſee & quibusdam aliis prophetis, videtur eſſe ruſticior, ſed ſenſibus par eſt: quippe qui eodem ſpiritu prophetaverit. Porro ſimplicitas eloquii, a loco ei, in quo natus eſt, accidit. Fuit autem Anathotites, qui eſt uſque hodie viculus, tribus ab Ieroſolymis diſtans millibus.* De Ezechiele autem haec habet: *Sermo eius nec ſatis diſertus, vero nec admodum ruſticus eſt: ſed ex utroque medie temperatus.* Quare exploratae fidei eſſe videtur Prophetarum eloquutionem divinitus inſpiratam non fuiſſe, & de rebus ſenſibusque tantum illud *Athenagorae* intelligendum, quo adfirmat in *Legatione pro Chriſtianis* Prophetas eſſe, *οἱ κατ᾽ ἔκστασιν τῶν ἐν αὐτοῖς λόγων κινήσαντος αὐτοὺς τοῦ θείου πνεύματος*,

τος,

τος, ἃ ἐνηργοῦντο ἐξεφώνησαν· συγχρησαμένου τοῦ πνεύματος ὡσεὶ καὶ αὐλητὴς, αὐλὸν ἐμπνεῦσαι. Qui extra ſe ſuaſque cogitationes poſiti, divini ſpiritus impulſu, quidquid illa in ipſis efficiebat, eloquebantur; quum Spiritus eis ceu organis uteretur, ut tibiis ad inflandum uti ſolet tibicen. In illud autem non inquiram, quod a quibusdam diſceptatur, an Prophetae dum furore quodam correpti, ſeu verius divino Spiritu adflati, oracula funderent, ea, quae efferrent, intelligerent, necne; nam verum utrumque eſſe potuiſſe, mihi facile perſuadeo, & quaedam interdum Prophetas, quae dicerent, ignoraſſe; quaedam vero probe aliquando percepiſſe; quod quidem ſacrarum litterarum, & Patrum auctoritate facile ſtabiliri poſſet, ut apud *Nourrium Adpar. ad Biblioth. Maxim. Patrum Diſſert. XII. in ſaecul. I. Cap. III. §. VIII. & Diſſert. III. in ſaecul. II. Cap. IV. §. V.* videre eſt. Quod vero attinet Scriptores hiſtoricos, & vitae praecepta tradentes; ſi ea, quae ipſi viderunt, aut alii narraverunt, docueruntque, litteris mandant, tunc non eloquentiam tantum & voces, ſed nec res ipſas divinus Spiritus ſufficit; at tantum praeſidii ac gratiae largitur, ut in his ſcribendis illi nec fallant nec fallantur, ſed omnia vera & indubitata litterarum monumentis commendent. Tunc quoque nec methodum, nec ordinem rerum ſcribendarum, docet, ſed liberum ſcriptoribus arbitrium permittit, ut vel ex ipſis Evangeliſtis liquido conſtat res easdem paſſim ordine diverſo narrantibus, quae omnia mire confirmat *Auguſtinus lib. II. De Conſenſu Evangeliſtarum cap. XII. numer. 27. & 28.* & *Caietanus Comment. in Cap. I. Lucae.* & niſi *Wolzogenii*, hominis Sociniani, nomen exhorreſcerem, illa eius verba ex *Commentario in caput I. Matthaei* proferrem, quae mire meam diſtinctionem adductam

ad-

adſtruunt, & ſunt quae ſequuntur: *Etſi omnis ſcriptura ſacra a Deo inſpirata eſt, omneſque ſacri Scriptores, quaſi amanuenſes Sancti Spiritus fuerint, longe tamen alio ac diverſo modo Deus per Evangeliſtas & Apoſtolos loquutus eſt, qui ea, quae ſub Evangelio geſta ſunt, deſcripſerunt, quique quae ſciverunt, ante didicerunt; quam per Prophetas qui de futuris rebus vaticinati ſunt. Nam hi quodammodo violenter a Deo rapti ſunt, ut ipſi haud intellexerint quid loquerentur, & quorſum verba eorum ſpectarent .... Illis autem Spiritus Sanctus ſolummodo ita adſtitit, ut in deſcriptione eorum, quae bene norant, memoria ipſorum infirma ac labilis ab errore lapſuque praeſervaretur*; ideo eius teſtimonio, & auctoritate minime abutor, quum meae diſputationis vim ex puris caſtiſque orthodoxorum Theologorum fontibus, non ex lutulentis & foetidis haereticorum lacunis, deducere velim. Idem dicendum eſt de moralibus praeceptis, quae quidem ipſa ratione duce intelliguntur, & traduntur; etenim tunc etiam ſufficit ut Spiritus divinus adſiſtat, nequid falſi, aut pravi fortaſſis, humana imbecillitate admiſceatur. Hiſce rite praeſtructis iam patet, arbitror, diverſa eſſe inſpirationis genera, quae nos duo cum doctiſſimo *Melchiore Cano* eſſe adſeverabimus; unum, quo cuncta Spiritus Sanctus revelat & ſuggerit; alterum, quo adflatum Scriptorem illuſtrat ac dirigit. *Non adſerimus*, inquit ille *Lib. II. De locis Theolog. cap. XVIII. per immediatam Spiritus Sancti revelationem, quae quidem proprie revelatio dicenda ſit, quamlibet Scripturae ſacrae partem fuiſſe editam. Quin Lucas, quae ab Apoſtolis accepit, ea ſcripto ipſe mandavit, ut in Evangelii ſui Prooemio teſtatur. Et Marcum, quae a Petro didicerat, rogatum a diſcipulis ſcripſiſſe, au-*

ctores

ctores ſunt Clemens in VI. Diſpoſit. libro apud Euſebium lib. II. Ecclef. Hiſt. Cap. XV. Papias apud eumdem eodem libro &c. & Lib. VIII. cap. ult. Origenes Lib. I. Commentariorum in Matthaeum eodem Euſebio referente Lib. VI. cap. XVIII. & Euſebius quoque ipſe Lib. III. cap. IV. & Hieronymus de Viris illuſtribus in Marco ; & Irenaeus Lib. III. Adverſus Haereſes cap. I. Sive ergo Matthaeus & Ioannes , ſive Marcus & Lucas , quamvis illi viſa , hi audita , referrent , non egebant quidem nova Spiritus Sancti revelatione , egebant tamen peculiari Spiritus Sancti directione. Atque ita quidem ille. Sed & ſi tertium inſpirationis genus quis inducere tentaverit , quod ex quibusdam Ieſuitarum Lovanenſium , *Leſſii* ſcilicet, & *Amenii* , Theſibus erui poteſt , ipſe non refragabor. Illae autem Theſes ſunt quae ſequuntur : *I. Vt aliquid ſit ſcriptura ſacra , non eſt neceſſarium ſingula eius verba inſpirata eſſe a Spiritu Sancto. II. Non eſt neceſſarium , ut ſingulae veritates & ſententiae ſint immediate a Spiritu Sancto ipſi Scriptori inſpiratae , III. Liber aliquis , qualis fortaſſe eſt ſecundus Machabaeorum , humana induſtria ſine adſiſtentia Spiritus Sancti ſcriptus , ſi Spiritus Sanctus poſtea teſtetur ibi nihil eſſe falſum , efficitur ſcriptura ſacra.* Has quidem Theſes facultas Theologorum Lovanienſium & Duacenſium cenſura ſua perſtrinxit, atque damnavit, ſed iniuria , ut late demonſtravit non tantum Societatis Ieſu Theologus praeſtantiſſimus *Cornelius a Lapide* in *Epiſtolam II. ad Timotheum* commentans ; ſed etiam *R. Simonius Tom. I. Hiſt. Critic. N. T. Cap. XXIII.* & *Calmetius Diſſertat. De divinorum Scriptorum Inſpiratione.* Non tamen memorati illi Ieſuitae *Leſſius* & *Amenius* , primi vel ſoli inter ſuae congregationis ſocios fuerunt , qui huiuſmodi ſententiam profer-

fer-

ferrent, ſed *Bonfrerius* etiam *Prolog. cap. VIII. ſect. I. Mariana Tract. De Vulgat. Edit. Bellarminus Tract. De Verbo Dei* in eadem ſe fuiſſe haereſi luculenter oſtendunt: quam quidem *Fraſſenius* Minorita tamdem amplexus eſt in ſuis *Diſquiſitionibus Biblicis* & tres inſpirationis ſpecies introduxit, antecedentem, concomitantem, conſequentem. Sed antequam hi omnes huiuſmodi opinionem inveherent, vel adſtruerent, iam a *Caietano* in *Caput I. Lucae* ſcribente excogitata fuerat; eamdemque *Ferdinandus De Aſcalanta* in *Clipeo Praedicatorum Lib. I. Cap. IV.* docuerat. Ex his igitur omnibus proclive eſt colligere, veriſſima eſſe quae de inſpiratione ſuperius ſtabilivi; vel ſaltem veriſimiliora, quam cetera; & praecipue non verba ipſa omnia, nec narrandi ordinem viamque, Spiritu Sancto dictante & docente, a divinis Scriptoribus adhibitam fuiſſe; id quod confirmat inter antiquos in primis *S. Agobardus* Lugdunenſis, qui *Libro adverſus Fredegiſum*, ita ſcribit: *Adparet etiam in his verbis veſtris quod ita ſentiatis de Prophetis & Apoſtolis, ut non ſolum ſenſus praedicationis, & modos, vel argumenta dictionum, Spiritus Sanctus eis inſpiraverit, ſed etiam ipſa corporalia verba extrinſecus in ore illorum ipſe formaverit. Quod ſi ita ſentitis, quanta abſurditas ſequetur quis dinumerare poterit?* Et deinde pergit abſurda percurrendo, quae inde defluerent, & omnia auctoritate Scripturarum confirmando; atque ex intervallo ait: *Si ſecundum vos, omnibus auctoribus divinorum librorum exteriorem nobilitatem aequaliter miniſtravit Spiritus Sanctus; quare unus Apoſtolus, ideſt, Paulus, diſertior invenitur in Ebraica lingua quam in Graeca, ſicut praedictus Hieronymus in praefatione Epiſtolae, quae ad Ebraeos praetitulatur, ſcribit?* Et inter recentio-

tiores *Cornel. a Lapide Can. XX. Per Sanctos Scriptores*, inquit, *ita accomode loquutus eſt Spiritus Sanctus, ac ſi ipſi ſuo nutu, conceptu, voce, loquerentur & ſcriberent.* Hinc eſt quod Ieſuitae Romani in ſua *Ratione ſtudiorum* Titul. *De reliq. Opinion. delectu in Theol. facien.* ſcriptum reliquere: *Probabilius eſt verba primorum exemplarium ac fontium incorruptorum fuiſſe omnia & ſingula a Spiritu Sancto dictata ſecundum ſubſtantiam, multiformiter tamen pro varia inſtrumentorum conditione.* Adduntque inſuper illud *ſecundum ſubſtantiam* probabiliter tantum dici, ita ut eadem probabilitate negari id poſſe non omnino diſſimulent. Scio equidem videri aliud antiquis Patribus placuiſſe, & omnia quae in divinis litteris habentur ſive ſenſus, ſive phraſes ac verba, Spiritu Sancto adflante, ſcripta fuiſſe, ut *Irenaeo lib. II. cap. XLVII. Tertulliano contra Hermogenem cap. XXII. Origeni Philocaliae cap. X. & lib. V. contra Celſum. Cypriano ſermone de Opere & Elemoſyna; Gregorio Thaumaturgo Serm. De Adnunc. B. M. V. Clementi Alexandrino lib. II. Stromat. Euſebio Hiſt. Eccleſ. lib. V. cap. ultimo. Epiphanio Haereſi LXXVI. Gregorio Nyſſeno Orat. VII. contra Eunomium. Chryſoſtomo Homil. XXVI. in Geneſim, Hieronymo, & Auguſtino pluribus locis.* At ſi res probe expendatur, facile adparebit iſthuc ipſum ab illis adfirmari, ita tamen ut aliqua e tribus illis inſpirationis ſpeciebus in hiſce omnibus reperiatur; nec quidquam amplius ab iis exigi, quum ipſi ſe in hoc haudquaquam determinaverint. Egregie igitur ac praeclariter laudatus *Calmetius* in fine commemoratae Diſſertationis: *At Theologi*, inquit, *qui duos treſve inſpirationum ſpecies diſtinxerunt, & qui in eo cum antiquis Patribus conveniunt dum adſerunt univerſam ſcripturam inſpiratam*

tam

tam fuiſſe, & eſſe irrefragabilis auctoritatis; hi ab iisdem Patribus non ſunt ſecernendi; non in aliam enim diſcedunt ſententiam, ſed Patribus honorem habentes, id clarius explicant, quod illi rudiori methodo defenderunt; neque varia inſpirationum genera inducunt, niſi ut facilius haereticorum ora praecludant, & dogma, quod nonnullae difficultates obnubilant, dilucidius exhibeant. Qui eos impugnaverunt, quamvis ea de re & Patrum concluſiones, & Eccleſiae decreta exciperent, ab eiusdem Eccleſiae & Patrum Spiritu eosdem diſceſſiſſe putarunt. Verumtamen nulla ſane alia apud ipſos, quam vocum & phraſium varietas. Quum autem res ſerio perpenditur, difficillime ab eorum diſtinctione abſtineri poſſe invenimus: unaque utile illud adgnoſcimus, ſi ſacros Auctores, ut divinam auctoritatem obtineant, Spiritus Sancti, a quo ducerentur, ne in errorem inciderent, directionis & praeſentiae tantummodo indigos fuiſſe fateamur.

De Apoſtolorum & primitivorum Chriſtianorum ſapientia.

C A P V T XVI.

AT ſi Apoſtoli cultiorum litterarum rudes erant, ſi profanas doctrinas minime callebant, ſi viles, abiecti, contemti; quid nam dignum proferebant, dicat aliquis, unde tamquam doctores ſapientiſſimi ab omnibus ſubſpicerentur? Meis hic, aut alterius alicuius, verbis opus non eſt, niſi Apoſtoli gentium *Pauli* ita primum ad Corinthios ſcribentis: *Et ſermo meus &*

praedicatio mea, non in perſuaſibilibus humanae ſapientiae verbis, ſed in oſtenſione Spiritus & virtutis: ut fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei. SAPIENTIAM AVTEM LOQVIMVR INTER PERFECTOS: SAPIENTIAM VERO NON HVIVS SAECVLI, NEQVE PRINCIPVM HVIVS SAECVLI, QVI DESTRVVNTVR: SED LOQVIMVR DEI SAPIENTIAM IN MYSTERIO, QVAE ABSCONDITA EST, QVAM PRAEDESTINAVIT DEVS ANTE SAECVLA IN GLORIAM NOSTRAM; *quam nemo principum huius ſaeculi cognovit: ſi enim cognovisſent, numquam Dominum gloriae crucifixiſſent. Sed ſicut ſcriptum eſt: quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adſcendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum:* NOBIS AVTEM REVELAVIT DEVS PER SPIRITVM SVVM. *Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum ſcit, quae ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt? ita & quae Dei ſunt, nemo cognovit, niſi Spiritus Dei. Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt, ut* SCIAMVS QVAE A DEO DONATA SVNT NOBIS: *quae & loquimur non in doctis humanae ſapientiae verbis, ſed in doctrina ſpiritus, ſpiritualibus ſpiritualia comparantes.* Huiuſmodi erat Apoſtolorum ſcientia, doctrina, ſapientia plane admirabilis, qua oratores omnes, omnes philoſophos, & huius mundi ſapientes, immenſo intervallo ſuperabant. Quod noſcens Apoſtolorum diſcipulus & ſucceſſor *Clemens Epiſtola ad Corinthios num. XXXVIII.* ſcribebat: ὁ σοφὸς ἐνδεικνύσθω τὴν σοφίαν αὐτοῦ μὴ ἐν λόγοις, ἀλλ᾽ ἐν ἔργοις ἀγαθοῖς. *Sapiens oſtendat ſapientiam ſuam non in verbis, ſed in bonis operibus.* Verum profeſſus eſt *Lucianus*

vel

vel invitus ubi *De morte Peregrini* τὴν θαυμαςὴν σοφίαν τῶν χριςιανῶν, quamquam εἰρωνικῶς, nuncupat. Et ab ea victam & expugnatam humanam ſapientiam iure admiratur & praedicat *Chryſoſtomus Homil. III.* in *I. Epiſt. ad Corinth. Cap. I.* ut ſuperius *pag.* 342. videbamus. Ad hanc Apoſtolorum ſapientiam reſpiciens eruditiſſimus *Hieronymus* ita Paulino ſcribebat: *Cur dicitur Paulus Apoſtolus vas electionis? Nempe quia legis, & ſanctarum ſcripturarum armarium eſt. Phariſaei ſtupent ad doctrinam Domini: & mirantur in Petro & Ioanne quomodo legem ſciant, quum litteras non didicerint. Quidquid enim aliis exercitatio, & quotidiana in lege meditatio, tribuere ſolet, illis Spiritus Sanctus ſuggerebat: & erant iuxta quod ſcriptum eſt* θεοδίδακτοι. *Duodecim annos Salvator impleverat; & in templo ſenes de quaeſtionibus legis interrogans, magis docet dum prudenter interrogat. Niſi forte ruſticum Petrum, ruſticum dicimus Ioannem, quorum uterque dicere poterat: Etſi imperitus ſermone, non tamen ſcientia. Ioannes ruſticus, piſcator, indoctus? Et unde vox illa obſecro: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum?* λόγος *enim Graece multa ſignificat. Nam & verbum eſt, & ratio, & ſupputatio, & cauſſa uniuſcuiuſque rei, per quam ſunt ſingula, quae ſubſiſtunt. Quae univerſa recte intelligimus in Chriſto. Hoc doctus Plato neſcivit, hoc Demoſthenes eloquens ignoravit. Perdam, inquit, ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Vera ſapientia perdet falſam ſapientiam; & quamquam ſtultitia praedicationis in cruce ſit, tamen Paulus ſapientiam loquitur inter perfectos. Sapientiam autem non ſaeculi huius, nec principium iſtius ſaeculi, quae deſtruitur: ſed loquitur Dei ſapientiam in myſterio abſconditam, quam prae-*

deſtinavit ante ſaecula. Dei ſapientia Chriſtus eſt. Chriſtus enim Dei virtus, & Dei ſapientia. Haec ſapientia in myſterio abſcondita eſt: de qua & noni Pſalmi titulus praenotatur, pro occultis filii, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiae & ſcientiae abſconditi; & qui in myſterio abſconditus erat, praedeſtinatus eſt ante ſaecula. Praedeſtinatus autem & praefiguratus in lege & prophetis. Haec quidem ſapienter *Hieronymus*: ſed mirabiliter ad rem faciunt, quae *Adamantius Origenes Lib. III. contra Celſum* his verbis diſſertat: Ἀλλ' εἰκὸς τὰ γεγραμμένα ἐν τῇ πρὸς Κορινθίους προτέρᾳ τῷ παύλῳ ὡς πρὸς Ἕλληνας καὶ μέγα φυσῶντας ἐπὶ τῇ Ἑλληνικῇ σοφίᾳ, κεκίνηκέ τινας ὡς τοῦ λόγου μὴ βουλομένου σοφούς. ἀλλ' ἀκουέτω ὁ τὰ τοιαῦτα νομίζων ὅτι ὥσπερ διαβάλλων ἀνθρώπους φαύλους ὁ λόγος, φησὶν αὐτοὺς εἶναι οὐ περὶ τῶν νοητῶν, καὶ ἀοράτων, καὶ αἰωνίων σοφούς, ἀλλὰ περὶ τῶν αἰσθητῶν μόνων πραγματευσαμένους, καὶ ἐν τούτοις τὰ πάντα τιθεμένους εἶναι σοφοὺς τοῦ κόσμου, οὕτω καὶ πολλῶν ὄντων δογμάτων, τὰ μὲν συναγορεύοντα ὕλῃ καὶ σώματι καὶ πάντα φάσκοντα εἶναι σώματα προηγουμένως ὑφεστηκότα, καὶ μηδὲν περὶ ταῦτα εἶναι ἄλλον εἴτε λεγόμενον ἀόρατον, εἴτε ὀνομαζόμενον ἀσώματον. φησὶν εἶναι σοφίαν τοῦ κόσμου καταργουμένην καὶ μωραινομένην, καὶ σοφίαν τοῦ αἰῶνος τούτου τὰ δὲ μετατιθέντα τὴν ψυχὴν ἀπὸ τῶν τῇδε πραγμάτων ἐπὶ τὴν παρὰ θεῷ μακαριότητα καὶ τὴν καλουμένην αὐτοῦ βασιλείαν καὶ διδάσκοντα καταφρονεῖν μὲν ὡς προσκαίρων πάντων τῶν αἰσθητῶν καὶ βεπλομένων, σπεύδειν δὲ ἐπὶ τὰ ἀόρατα, καὶ σκοπεῖν τὰ μὴ βλεπόμενα, ταῦτά φησιν εἶναι θεοῦ σοφίαν. *Sed fortaſſe quae ſcripſit Paulus in prima ad Corinthios tamquam ad Graecos & Graeca ſapientia tumidos ac elatos, commoverunt aliquos, quaſi nollet & reiiceret Paulus ſuo illo ſermone ſapientes. Sed audiat qui ſic exiſtimat, quemadmodum ſermo ille improbos homines accuſans ait, non eſſe in rebus, quae intellectu non oculis percipiuntur, & aeternis ſapientes,*

tes, ſed in iis modo, quae in ſenſus incurrunt, occupatos, in his ſumma rerum ponere, eſſe mundi ſapientes: ſic quum multa ſint placita philoſophorum, quae materiae & corporibus patrocinantur ac conſentiunt, & omnia praeſertim, quae ſubſiſtunt, corpora eſſe adfirmant, nihilque praeterea eſſe aliud, ſive inviſibile dicatur, ſive incorporeum nominetur: ait eſſe ſapientiam mundi abolitam & infatuatam, & ſapientiam ſeculi huius. Quae vero mentem ab humanis hiſce rebus ad eam, quae apud Deum eſt, beatitudinem, & ad regnum ipſius transferunt, & omnia quae ſentiuntur ac videntur, tamquam caduca & temporaria contemnere docent, ad inviſibilia properare, & ſpeculari, quae non videntur, haec Dei ſapientiam vocat. Hactenus *Origenes*, ex cuius dictis abunde cognoſcere eſt, quae ſapientia eſſet Apoſtolorum, quae doctrina atque eruditio. Quod quidem totum confirmatur ab hiſce omnibus antiquiore *Ignatio* Antiocheno Epiſcopo ubi Epiſtolam ad Smyrnaeos ita exorditur: Δοξάζω Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν Θεὸν τὸν οὕτως ὑμᾶς σοφίσαντα. ἐνόησα γὰρ ὑμᾶς κατηρτισμένους ἐν ἀνικήτῳ πίστει κτλ. *Glorifico Ieſum Chriſtum Deum, qui tanta vos ſapientia donavit. Cognovi enim vos perfectos in fide immota &c.* Hoc quoque ſenſu beatus Martyr Patricius Epiſcopus ſe ſapientem eſſe, ſapientiaque philoſophos ſuperare dicebat, ut ex eius *Actis* intelligimus, quae MS. Graece in Bibliotheca Laurentiana adſervantur, & a *Bollandianis* & *Ruinarto* edita ſunt. Et hoc ſenſu ipſae Chriſtianae feminae, & pueri ipſi, docti ſapientesque dicuntur ab *Euſebio Praep. Evangel. Lib. I. cap. III.* & *Lactantio Lib. V. Cap. XX.* Alii autem viderint an eodem pariter intellectu ſapientes Chriſtiani accipiendi ſint apud *Gruterum pag. MXLVIII. In monumentis Chriſtianis:*

B. M.
ACTIAE INNOCENTIAE
SVMMAE CASTITATIS
AC SAPIENTIAE FEMINAE
QVAE VIXIT ANNIS P.
M. XLIII. M. VIII. D. IIII. IVL.
AVGVSTINVS SVBDIAC.
CONIVGI DVLCISSIMAE
CONVIXIT ANN. VII. M. IIII.
D. XX. CONTRA VOTVM
B. M. M. P.

Et *pag. MLV.*

MIRAE INNOCENTIAE AC SAPIENTIAE
PVERO
MARNANO QVI VIXIT A. IIII. ET
MENSES IIII. DIES II.
QVIESCIT IN PACE D. PRID. KAL. DEC.
ARBETIONE ET
LOLLIANO COSS. PARENTES FECERVNT. P.

Hoc eſt anno Chriſti 355.

Alia quoque ubi *Pelagius* puer *Sapiens* adpellatur apud eundem occurrit. Hinc non mirum ſi Apoſtolorum veſtigiis inſiſtentes primi Chriſtiani, profanam eruditionem, & Rhetorum phaleras, commentaque Philoſophorum, aut contemnerent, aut negligerent, ut latè a nobis ſuperius demonſtratum eſt; ſed omni ſtudio ac ſedulitate in eam ſapientiam incumberent, quae Dei ſapientia a *Paulo* nuncupatur, quaeque mentes, terrenis hiſce & caducis rebus,

Marciano Aringh. Roma subterranea Lib. IV. cap. XXXVII. pag. 287. vide.

Pelagij quoque inscriptio in Roma subterranea est.

bus contemtis, ad coeleſtia & aeterna evehit, atque ſublimat; quaeque una efficit ut veram & non fucatam philoſophiam profiteamur. Aliam igitur ab hac ſcientiam & philoſophiam, ne ſcientiam quidem & ſapientiam primitivi Chriſtiani prudentiſſime exiſtimabant: Τὸ μέντοιγε, inquit *Origenes Lib. III. contra Celſum*, ἐν πεπαιδευμένοις ἀριθμεῖν τοὺς ἐσφαλμένα δόγματα ἔχοντας, οὐδ' οἱ Ἑλλήνων φιλόσοφοι φήσουσι. καὶ κατὰ τὸν ἡμέτερον δὲ λόγον οὐκ ἔστι σοφία πονηρίας ἐπιστήμη· πονηρίας δὲ ἵν' οὕτως ὀνομάσω ἐπιστήμη ἐστὶν ἐν τοῖς ψευδοδοξοῦσι καὶ ὑπὸ σοφισμάτων ἠπατημένοις. *Sed in eruditorum numero habendos eſſe, qui falſis opinionibus imbuti ſunt, neque Graecorum Philoſophi dixerint, & iuxta noſtram doctrinam ſapientia non eſt ſcientia nequitiae: nequitiae autem, ut ita dicam, in iis eſt ſcientia, qui falſis opinionibus adhaereſcunt, praeſtigiis fallaciiſque decepti.* Sed de antiquorum Chriſtianorum ſcientia & inſtitutione audiamus iterum loquentem eodem libro *Origenem*, atque ita ſcribentem: ἡμεῖς γὰρ ὅση δύναμις πάντα πράττομεν ὑπὲρ τοῦ φρονίμων ἀνδρῶν γενέσθαι τὸν σύλλογον ἡμῶν, καὶ τὰ ἐν ἡμῖν μάλιστα καλὰ καὶ θεῖα· τότε τολμῶμεν ἐν τοῖς πρὸς τὸ κοινὸν διαλόγοις φέρειν εἰς μέσον, ὅτε εὐποροῦμεν συνετῶν ἀκροατῶν, ἀποκρύπτομεν δὲ καὶ σιωπῶμεν τὰ βαθύτερα, ἐπὰν ἁπλουστέρους θεωρῶμεν τοὺς συνερχομένους καὶ δεομένους λόγων τροπικῶς ὀνομαζομένων γάλα. *Nos enim quantum viribus atque animis valemus, id enitimur ut coetus noſter hominum prudentium coetus ſit, & noſtra omnia quammaxime honeſta & divina. Tunc audemus in iis, quae ad communitatem habemus, ſermonibus in medium adferre, quum prudentes habemus auditores: occultamus vero profundiſſima quaeque, quum videmus rudiores conveniſſe, qui potius egeant iis ſermonibus, qui figurate lac nominantur.* Alibi autem eodem libro infit: Οἱ καὶ διὰ ἀναγνωσμάτων, καὶ διὰ τῶν εἰς τὰ ἀναγνώ-

ματα διηγήσεων προτρέποντες μὲν τὴν εἰς τὸν θεὸν τῶν ὅλων εὐσέβειαν, καὶ τὰς συνθρόνους ταύτῃ ἀρετάς, ἀποτρέποντες δὲ ἀπὸ τῆς καταφρονήσεως τοῦ θείου, καὶ πάντων τῶν παρὰ τὸν ὀρθὸν λόγον πραττομένων. Nos qui & lectione, & eorum expoſitione quae lecta ſunt, ad ſummi Dei cultum, & quae illi cognatae ſunt virtutes cohortamur; a contemtu divini Numinis, & rebus omnibus, quae praeter rationem fiunt, dehortamur. *Tertullianus* autem Apologetici *Cap. XXXIX.* ſcribit: *Cogimur ad litterarum divinarum commemorationem ſi quid praeſentium temporum qualitas, aut praemonere cogit, aut recognoſcere. Certe fidem ſanctis vocibus paſcimus, ſpem erigimus, fiduciam figimus, diſciplinam praeceptorum nihilominus inculcationibus denſamus. Itidem etiam exhortationes, caſtigationes, & cenſura divina.* Agit ibi de Chriſtianorum coetibus. Ecce primorum Chriſtianorum ſcholas; ecce inſtructionem; ecce doctrinas. Sed rem amplius & enucleatius exſequitur idem Theologus praeſtantiſſimus ita *Libro De Praeſcriptionibus* ſcribens, dum Chriſtianis dogmatibus periculoſas ac noxias profanas doctrinas oſtendit: *Hae ſunt doctrinae hominum & daemoniorum prurientibus auribus natae, de ingenio ſapientiae ſaecularis: quam dominus ſtultitiam vocans, ſtulta mundi confuſione etiam philoſophiae ipſius elegit. Ea eſt enim materia ſapientiae ſaecularis, temeraria interpres divinae naturae diſpoſitionis. Ipſae denique haereſes a philoſophia ſubornantur.* Et mox quum locum praeſignem Apoſtoli ad Coloſſenſeſes ſcribentis & inanem philoſophiam damnantis, protuliſſet, *Fuerat*, inquit, *Athenis* (hoc eſt Paulus) *& iſtam ſapientiam humanam, adfectatricem & interpolatricem veritatis, de congreſſibus noverat, ipſam quoque in ſuas haereſes multipartitam varietate ſectarum invicem re-*

pu-

pugnantium. Quid ergo Athenis & Ieroſolymis? quid Academiae & Eccleſiae? quid haereticis & Chriſtianis? Noſtra inſtitutio de porticu Salomonis eſt, qui & ipſe tradiderat Dominum in ſimplicitate cordis eſſe quaerendum. Viderint qui Stoicum, & Platonicum, & Dialecticum, Chriſtianis praetulerunt. Nobis curioſitate opus non eſt poſt Chriſtum Ieſum, nec inquiſitione poſt Evangelium. Quum credimus, nihil deſideramus ultra credere. Hoc enim prius credimus, non eſſe quod ultra credere debemus. Atque ita quidem ille. In ſimilem autem ſententiam ſcribit *Clemens* eruditiſſimus *Protreptico:* διό μοι δοκεῖ ἐπεὶ αὐτὸς ἧκεν ὡς ἡμᾶς οὐρανόθεν ὁ λόγος, ἡμᾶς ἐπ' ἀνθρωπίνην ἰέναι μὴ χρῆναι διδασκαλίαν, ἔτι Ἀθήνας καὶ τὴν ἄλλην Ἑλλάδα πρὸς δὲ καὶ Ἰωνίαν πολυπραγμονοῦντας . . . . . πάντα νῦν ὁ διδάσκαλος κατηχεῖ, καὶ τὸ πᾶν ἤδη Ἀθῆναι καὶ Ἑλλὰς γέγονεν τῷ λόγῳ. *Quamobrem, ut mihi videtur, quoniam ipſum Verbum ad nos venit coelitus, non eſt nobis amplius eumdum ad humanam doctrinam Athenas, & aliam Graeciam, quin etiam Ioniam. quaerendo curioſe . . . . magiſter omnia nunc ſonat, & univerſum iam Athenae & Graecia factum eſt Verbo.* Cuius verba mirabiliter confirmantur a Theologo diſertiſſimo *Euſeb. Hieronymo*, qui *Prooemio in Librum IIII. Commentar. in Epiſt. ad Galatas* dum Chriſtianorum ſtudia & doctrinas indicat, & prae aliis extollit ita ſcriptum reliquit: *Quotuſquiſque nunc Ariſtotelem legit, quanti Platonis vel libros novere, vel nomen? Vix in angulis otioſi eos ſenes recolunt. Ruſticanos vero & piſcatores noſtros totus orbis loquitur, univerſus mundus ſonat.* Haec primitivorum Chriſtianorum ſtudia non a Scriptoribus noſtris tantum fuiſſe docemur, ſed & de iiſdem Ethnici etiam

ipſi

ipſi teſtantur. Nam vetuſtus Auctor Dialogi, cui *Philopatris* titulus eſt, adfirmat pſalmos eos & hymnos tota nocte cantare ſolitos, ita eos loquentes inducens: ἡλίους δέκα ἄσιτοι διαμένομεν, καὶ ἐπὶ παννύχους ὑμνῳδίας ἐπαγρυπνοῦντες κτλ. *Soles decem ieiuni, & abſque cibo perſeverabimus, & ad hymnos tota nocte cantandos vigilantes &c.* Sed & *Plinius* Epiſtola ad Traianum idem de ſtudiis coetibuſque Chriſtianorum ſcribit. Hoc autem omne graviſſima Pauli auctoritate confirmatur, qui *ad Timotheum ſcribit ab infantia ſacris litteris eruditum, & hortatur ad ſtudium lectionis ne negligat gratiam, quae data ſit ei per impoſitionem manus presbyteri. Tito praecipit, ut inter ceteras virtutes Epiſcopi, quem brevi ſermone depinxit, ſcientiam quoque eligat ſcripturarum. Obtinentem inquit eum qui ſecundum doctrinam eſt fidelem ſermonem, ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & contradicentes evincere*, quae ſunt verba *Hieronymi ad Paulinum.* Vnum igitur erat apud antiquos illos & primitivos Chriſtianos ſacrarum Scripturarum ſtudium, quas iugiter meditando ſapientiam altius imbibebant, & mentem ac deſideria, ſpretis terrenis, ad coelum elevabant: quod praecipue facto illo memorabili oſtenderunt, quum profanos omnes libros illi, qui fuerant curioſa ſectati, Epheſi combuſſerunt; quorum quidem pretia quinquaginta millium drachmarum ſummam complete deprehenſa ſunt, ut memoriae prodidit ſcriptor divinus *Lucas Actor. Cap. XIX.* Sed egregie, & ad rem profecto his olim verbis ad Deum exclamaverat *Auguſtinus Confeſſionum Lib. V. Cap. IV. Fidelis homo, cuius totus mundus divitiarum eſt, & quaſi nihil habens omnia poſſidet inhaerendo tibi, cui ſerviunt omnia, quamvis nec ſaltem ſeptemtrionum gyrum no-*

V Per- vetuſtus Auctor Epiſto- lae, quae Polycar- pi nomen praefert, ſcribit Philippenſibus se confidere eos bene exercitatos eſſe in sacris litteris, et nihil eos latere. Vide Lactantium Lib. VII. Cap. 26.

verit, dubitare ſtultum eſt, quin utique melior ſit, quam menſor coeli, & numerator ſiderum, & penſor elementorum, & negligens tui, qui omnia in menſura, & numero, & pondere, diſpoſuiſti. Sapientes igitur erant Chriſtiani olim ſublimi hac ſapientia, hancque unam ſe amplexari profitebantur adverſus eos qui illos indoctos & ineruditos eſſe accuſabant. Ὅτι δὲ βούλεται, inquiebat *Lib. III. contra Celſum Origenes*, ἡμᾶς εἶναι σοφοὺς ὁ λόγος, δεικτέον καὶ ἀπὸ τῶν παλαιῶν καὶ Ἰουδαϊκῶν γραμμάτων, οἷς καὶ ἡμεῖς χρώμεθα· οὐχ ἧττον δὲ καὶ ἀπὸ τῶν μετὰ τὸν Ἰησοῦν γραφέντων καὶ ἐν ταῖς Ἐκκλησίαις εἶναι πεπιστευμένων. *Quod vero nos divinus ſermo velit eſſe ſapientes veteribus & Iudaicis ſcriptis, quibus & nos utimur, demonſtrandum: nec minus tamen & ex iis quae poſt Ieſum ſcripta ſunt, & in Eccleſiis eſſe creduntur.* Hinc, quum ad res tantum coeleſtes animum adverterent, & terrena deſpicerent, Auctor perantiquus, Dialogi, qui *Philopatris* inſcribitur, iniuria eos inridens ἀεροβατοῦντας *aere gradientes & ſublimes*, καὶ αἰθερίους *aetherios*, adpellat; adeoque eos de rebus coeleſtibus, & ſideribus uſque illudens interrogat, inquiens: ὑμεῖς πεδάρσιοι ὄντες καὶ ὡς ἀφ᾽ ὑψηλοῦ ἅπαντα καθορῶντες ἐξυδερχέστατα καὶ τάδε νενοήκατε. πῶς δὲ τὰ τοῦ αἰθέρος; μῶν ἐκλείψει ὁ ἥλιος; ἡ δὲ σελήνη κατὰ κάθετον γενήσεται; ὁ Ἄρης εἰ τετραγωνήσει τὸν Δία κτλ. *Vos ſupra terram & in ſublime ſublati, & ceu ex alto cuncta intuentes acutiſſime, & haec intellectu adſequuti eſtis ſcilicet: ſed quo pacto ea quae in aethere ſunt habent ſeſe? Num deficiet ſol, & ad perpendiculum Luna interponetur? Num Mars quadrangulo adſpectu Iovem adſpiciet &c.* Sed impudenti huic calumniatori reſpondere poterant Chriſtiani cum *Cypriano Lib. De bono Patientiae: Nos philoſophi non verbis, ſed factis ſumus:*

mus:

† Vide Salvianum lib. I. pag.

mus: nec veſtitu ſapientiam, ſed veritate praeferimus. Virtutum conſcientiam magis, quam iactantiam novimus; non loquimur magna, ſed vivimus. Haec autem quum ipſa etiam Ethnicorum ſapientiorum confeſſione vera philoſophia eſſet, non mirum ſi Patres fere omnes coeleſtem Chriſtianorum ſapientiam philoſophiae nomine frequenter indigetarunt, & iure quidem optimo. Nam inter *divinam* & *humanam* Philoſophiam diſtinguit *Vincentius* Lirinenſis *Commonit. cap. XIII.* & *Gregorius* Nyſſenus in *Vita Gregorii Thaumaturgi*, fidei noſtrae doctrinam τὴν θείαν φιλοσοφίαν vocat. Eamdem *Salvianus* maſſilienſis *Lib. IV. de Gubernat. Dei*, adpellat *Philoſophiam Chriſtianam*; uti Euſebius *Hiſtor. Eccleſ. Lib. II. cap. XIII.* & *lib. IV. cap. VIII.* Χριστιανῶν φιλοσοφίαν, atque τὴν ἀληθῆ φιλοσοφίαν, quae poſterior adpellatio *Clementis* quoque Alexandrini eſt ſub finem *Strom. I.* atque *Socratis Hiſtor. Eccleſ. lib. IV. cap. XXVII.* & τὴν κατὰ Χριστὸν φιλοσοφίαν, ac τὴν ὄντως ἀληθῆ σοφίαν *Clemens* Alexandrinus *Lib. VI.* & in *Protreptico*; τὴν καθ' ἡμᾶς φιλοσοφίαν, *Gregorius Nazianzenus Orat. in Gregorium Nyſſenum*. Εὐαγγελικὴν φιλοσοφίαν, *Theodoritus Therapeut. lib. XII.* ubi etiam Chriſtianos, nuncupat Philoſophos: quemadmodum *Philoſophi noſtrae ſectae, quam tuemur*, iidem Lactantio audiunt ſub initium *Libri de opificio Dei*; & οἱ φιλόσοφοι τοῦ Θεοῦ *Clementi* Alexandrino *Stromat. VI.* Quos quidem deſcribens tibi Clemens, φιλόσοφοι, inquit, λέγονται παρ' ἡμῖν μὲν οἱ σοφίας ἐρῶντες τῆς πάντων δημιουργοῦ καὶ διδασκάλου, τουτέστι γνώσεως τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ. *Philoſophi apud nos dicuntur, qui amant ſapientiam, quae eſt omnium opifex & magiſtra, hoc eſt, filii Dei cognitionem.* Pertinet quoque huc, quod ſcripturae Vet. Teſt. dogmata, κατὰ παρ' ἑβραίοις σοφίαν φιλοσοφημένα, vocat *Ori-*

Origenes contra Celſum lib. VI. quodque de Ebraeorum agens Prophetis, *Auguſtinus*, *Ipſi*, inquit, *eis erant Philoſophi, hoc eſt, amatores ſapientiae; ipſi ſapientes; ipſi Theologi; ipſi Prophetae; ipſi doctores probitatis atque pietatis. lib. XIIX. de Civit. Dei cap. XLI.* Item quod tradita in *Pentateucho* doctrina ἡ κατὰ Μωσέα φιλοσοφία *Clementi* Alexandrino dicitur *Strom. I.* uti βάρβαρος φιλοσοφία, & σοφία aliquoties *Tatiano contra Graecos*. Eodem denique refer quod *Chryſoſtomus* ait in *I. Corinth. Homil. V.* μεγάλη δύναμις, τὸ τοὺς ἀπεῤῥιμμένους, καὶ μηδενὸς μηδέποτε μαθήματος ἁψαμένους τούτους ἀθροίζεσθαι ὑπὲρ τὸν οὐρανὸν παιδεύειν φιλοσοφεῖν. *Eſt magna virtus ac potentia abiectos, & qui nullam umquam attigerunt diſciplinam, repente docere philoſophari, quae ſunt ſupra homines.* Speciatim vitam Monaſticam *Iſidorus* Peluſiota τὴν θείαν φιλοσοφίαν vocat *Lib. I. Epiſt. CCLX.* Et *Socrates* de Monachis loquens, quos vi a vita Monaſtica Theophilus Alexandrinus abſtraxerat, *Hiſt. Eccleſ. lib. VI. cap. VII.* ἠνιῶντο, inquit, ὅτι μὴ ἐφιλοσόφουν ὡς ἤθελον τῇ ἀσκήσει προσκείμενοι. *Aegre ferebant, quod ipſis non liceret, ſicut volebant, philoſophari, & Monaſticae diſciplinae ſtudiis incumbere.* Frequenter item Philoſophiae vocabulo ſic utitur *Philo* libro περὶ βίου θεωρητικοῦ, ubi de Therapeutis, illorumque ſtudiis agit; & creber eſt etiam huiuſmodi phraſeos apud *Nicephorum Calliſtum* eodem ſenſu uſus. Ob hanc igitur Philoſophiam iure negat *Clemens* Alexandrinus *Lib. I. Paedag. Cap. VI.* Chriſtianos adpellari poſſe pueros & infantes ad eorum diſciplinarum ignorantiam reſpiciendo: οὐ γὰρ παῖδες ἡμεῖς καὶ νήπιοι πρὸς τὸ παιδαριῶδες, καὶ εὐκαταφρόνητον τῆς μαθήσεως προσηγορεύμεθα, καθὼς οἱ εἰς γνῶσιν πεφυσιωμένοι διαβεβλήκασιν. *Non enim nos pueri & infantes, ad-*

pel-

pellati ſumus, quod ſit puerilis & contemnenda noſtra diſciplina, ut nos calumniati ſunt, qui ſunt inflati ſcientia. Subdit enim: *ἀναγεννηθέντες γοῦν εὐθέως, τὸ τέλειον ἀπειλήφαμεν, οὗ ἕνεκεν ἐσπεύδομεν. ἐφωτίσθημεν γάρ· τὸ δὲ ἐστιν ἐπιγνῶναι τὸν θεόν. Statim itaque regenerati recepimus perfectionem cuius cauſa feſtinabamus. Fuimus enim illuminati: id autem eſt Deum adgnoſcere.*

Sed non ideo omnem profanam ſcientiam, liberaleſque diſciplinas, averſatos eſſe primos Chriſtianos credendum eſt; licet enim eas non omnino requirerent, neque in eis ſe exercerent; rectum tamen illarum uſum non prorſus improbabant: adeoque quum hactenus de ſapientia Apoſtolorum, primitivorumque Chriſtianorum, egerimus, eamque in morum probitate, Deique cultu, & coeleſtium litterarum meditatione collocaverimus, iſthuc ipſum eo modo, quo dixi, intelligendum eſt, ac temperandum. Exculcanda enim Celſi, aliorumque Ethnicorum, calumnia, qua Chriſtianos diffamabant adſerentes ab illis doctum neminem & eruditum admitti, ſuaeque ſapientiae initiis conſecrari; quam quidem putidam & falſiſſimam aegre ferens doctiſſimus *Origenes Lib. III. contra Celſum* eam copioſe ac luculente refellebat. Quum enim locum Pauli ad Corinthios ſcribentis ex *Cap. I.* ubi ſapientiam mundi reprobare videtur, retuliſſet, Ἐχινήθησαν, inquit, *τινὲς πρὸς τὸ οἴεσθαι ὅτι οὐδεὶς πεπαιδευμένος, ἢ σοφὸς, ἢ φρόνιμος, προσέρχεται τῷ λόγῳ· καὶ πρὸς τὸν τοιοῦτον δὴ φήσομεν, ὅτι οὐκ εἴρηται, οὐδεὶς σοφὸς κατὰ σάρκα, ἀλλ' οὐ πολλοὶ σοφοὶ κατὰ σάρκα . . . . πῶς εὐλόγως ἐγκαλεῖ ἡμῖν ὁ Κέλσος ὡς φάσκουσι, μηδεὶς προσίτω μὲν πεπαιδευμένος, μηδεὶς σοφὸς, μηδεὶς φρόνιμος; Ἀλλὰ προσίτω μὲν πεπαιδευμένος, καὶ σοφὸς, καὶ φρόνιμος, ὁ βουλόμενος. οὐδὲν δὲ ἧττον προσίτω καὶ εἴ τις ἀμαθὴς, καὶ ἀνόητος, καὶ ἀπαίδευτος, καὶ νήπιος· καὶ γὰρ τοὺς τοιούτους προσελθόντας ἐπαγ-*

γέλ-

γίνεται θεραπεύων ὁ λόγος, πάντας ἀξίους κατασκευάζων τοῦ θεοῦ. Ψεῦδος δὲ καὶ τὸ μόνους ἠλιθίους καὶ ἀγεννεῖς, καὶ ἀναισθήτους, καὶ ἀνδράποδα, καὶ γύναια, καὶ παιδάρια, πείθειν ἐθέλειν τοὺς διδάσκοντας τὸν θεῖον λόγον· καὶ τούτους μὲν γὰρ καλεῖ ὁ λόγος ἵνα αὐτοὺς βελτιώσῃ. καλεῖ δὲ καὶ τοὺς πολλῷ τούτων διαφέροντας, ἐπεὶ σωτήρ ἐστι πάντων ἀνθρώπων ὁ χριστός. *Haec induxere aliquos ut exiſtimarent ad divinum ſermonem nulli erudito, aut prudenti, aditum eſſe, qui a nobis hoc reſponſum accipient, dictum non eſſe*, Nemo ſapiens ſecundum carnem, *ſed* Non multi ſapientes ſecundum carnem . . . . *Iure ne igitur Celſus nobis exprobrat, quaſi dicamus*, Nemo accedat eruditus, nemo ſapiens, nemo prudens? *Contra enim, accedat quidem eruditus, ſapiens, & prudens quilibet, ſed nihilominus accedat quivis indoctus, ſtolidus, ineruditus, infans: tales enim ſi acceſſerint, divinus ſermo curaturum ſe promittit, & omnes Deo dignos redditurum. Falſum quoque eſt ſolos fatuos, & ignobiles, & ſenſus expertes, & mancipia, & mulierculas, & puerulos, perducere velle, qui divinum ſermonem docent. Hos enim quoque vocat Verbum Dei ut ipſos meliores efficiat: vocat & his multo praeſtantiores, quia omnium hominum ſervator eſt Chriſtus*. Recipiebant igitur primitivi Chriſtiani doctos etiam & eruditos homines, quum & hanc eruditionem ſaecularem, ſiquis recte utatur, ad Deum ducere noſcerent, quod late exſequitur *Origenes Lib. III. contra Celſum*; litteraſque diſcebant, etſi a docendo abſtinerent. *Tertullianus De Idololatria: Scimus dici poſſe, ſi docere litteras Dei ſervis non licet, etiam nec diſcere licebit: & quomodo quis inſtitueretur ad prudentiam interim humanam, vel ad quemcumque ſenſum, vel actum, quum inſtrumentum ſit ad omnem vitam litteratura? Quomodo repudiamus*

mus ſaecularia ſtudia ſine quibus divina non poſſunt? Et nonnullos primi aevi Chriſtianos aliquatenus eruditos ſuperius *Cap. VI.* recenſuimus; & exſtat etiam ex *Cap. X.* ubi de cuiuſque Scriptoris N. T. ſtilo & eruditione diſſeruimus. Sed tanta erat divinae ſapientiae, prae doctrina ac ſcientia profana, illecebra atque voluptas, ut qui litteris olim, & eruditione praeſtiterant, omnem dicendi cultum poſtea negligerent, omnem ſcientiae doctrinaeque pompam atque iactantiam deponerent penitus, & abiicerent, infantes & parvuli Deo acceptabiles facti. *Conſenuiſtis*, inquit *Clemens* Alexandrinus *Protreptico ad Graecos*, *in falſa Daemonum religione*, *venite iuvenes ac recentes ad Dei cultum*, *veramque religionem; vos referet Deus in numerum puerorum ſimplicium*. Praeclarum huius rei exemplum nobis *Cyprianus* ſuppeditat, de quo *Auguſtinus lib. IV. De Doctrina Chriſtiana*, quum de ſuperfluenti orationis ornatu, & ſplendida eloquentiae copia & elegantia, diſſeruiſſet, *Et tale aliquid*, inquit, *in Epiſtola beatiſſimi Cypriani: quod ideo puto vel accidiſſe, vel conſulto factum eſſe, ut ſciretur a poſteris quam linguam doctrinae Chriſtianae ſanitas ab iſta redundantia revocaverit, & ad eloquentiam graviorem modeſtioremque reſtrinxerit: quae in eius conſequentibus litteris ſecure amatur, religioſe adpetitur, ſed difficillime impletur*. Et certe duo ſummi eloquentiae & facundiae iudices, *Lactantius*, & *Hieronymus*, facilem, puram, elegantem in Cypriano eloquentiam ſuſpexerant; ille *Lib. V. Divin. Inſtit. Cap. I.* unicum pronuncians, qui nitide ac diſerte inter Latinos Chriſtiana myſteria tractaverit; hic *Epiſtola XIII. ad Paulinum*, *inſtar fontis puriſſimi*, *dulcem incedere*, *& placidum*, dicens, etſi iam tunc ſtilum ſuum compreſſiſſet,

ſet, mutaviſſetque. Aliud exemplum in Meropio Paulino, Nolano Epiſcopo, habemus, cuius qualis fuerit eloquentia, ex *Hieronymi* laudibus, Epiſtola citata, luculenter exſiſtit. Quanta vero Poëſeos praeſtantia, & vis, & ornatus, eodem *Hieronymo* alibi iudice, noſſe poſſumus. Et tamen, quum totum ſe Deo devoviſſet, haec omnia neglexit, & carminum illecebras, & orationis phaleras, magna ex parte detraxit, ipſo, quod tamen ex eius quoque ſcriptis perſpicue exſtat, ita atteſtante dum Auſonio ſcribit:

Quid abdicatas in meam curam, pater,
Redire muſas praecipis?
Negant Camoenis, nec patent Apollini,
Dicata Chriſto pectora.
Fuit iſta quondam non ope, ſed ſtudio pari,
Tecum mihi concordia,
Ciere ſurdum Delphica Phoebum ſpecu,
Vocare Muſas numina;
Fandique munus munere indultum Dei,
Petere e nemoribus, aut iugis;
Nunc alia mentem vis agit, maior Deus,
Alioſque mores poſtulat.
Sibi repoſcens ab homine munus ſuum,
Vivamus ut vitae Patri.
Vacare vanis otio, aut negotio,
Et fabuloſis litteris,
Vetat, ſuis ut pareamus legibus,
Lucemque cernamus ſuam.
Quam vis ſophorum callida, arſque rhetorum, &
Figmenta vatum, nubilant;
Qui corda falſis, atque vanis, imbuunt,
Tantumque linguas inſtruunt,
Nihil adferentes ut ſalutem conferant,
Quod veritatem detegat &c.

Poſſem & hoc ipſum, ſi minus ab Hieronymo factum, certe ab ipſo lacerato κατ' ὄραμα flagellis extortum, adſerere; ſed ut brevitati conſulam ad eius Epiſtolam quamdam Euſtochio ſcriptam lectorem curioſum amando.

Id vero bene ac ſapienter primis illis Chriſtianae religionis exordiis factum eſt, quum ſcientia ſaecularis divinae ſapientiae opponeretur, & in Chriſti dogmatum contemtum, & Chriſtianorum credulitatis inriſionem, litteris, & philoſophia Ethnici abuterentur. Nam quum Graeci ſapientiam quaererent, placuit Deo, ut ait Apoſtolus, per ſtultitiam praedicationis, vanae ſuperſtitionis errores evertere; & dum ita ſuam virtutem & potentiam oſtendit, mundum, qui perierat, ſalvum efficere. Verum quum tam mirabiliter Eccleſiam ſuam per indoctos & ruſticanos Apoſtolos Deus inſtituiſſet, & iam illa altius radices egiſſet, ſemper in adinventionibus ſuis admirabilis, contrario portento eam firmam & inconcuſſam ſervare voluit, & obſtantes ſcientiae ſaecularis errores per ipſam ſaecularem doctrinam, & profanas litteras, tollere; ut error tandem & ſuperſtitio ſuo ipſa ferro conficeretur & caderet. Tunc viros doctiſſimos & liberalibus diſciplinis ad miraculum inſtructos, vel ex Ethnicorum divortiis abduxit, vel in ipſo Eccleſiae gremio ſuſcitavit, qui profanam doctrinam & ſacrilegum Daemonum cultum, omni eruditionis ſaecularis adparatu, omni philoſophiae inſtrumento, eloquentia quoque ipſa, & dicendi copia & elegantia, expugnarent, ut *Ariſtides*, *Athenagoras*, *Iuſtinos*, *Tatianos*, *Theophilos*, *Tertullianos*, *Clementes Alexandrinos*, *Origenes*, *Apollonios*, *Melitones*, *Cyprianos*, *Lactantios*, *Arnobios*, *Minutios Felices*, *Methodios*, *Apollinarios*, *Euſebios*, *Athanaſios*, *Gre-*

Gregorios, *Baſilios*, *Chryſoſtomos*, *Hieronymos*, *Auguſtinos*, & ſexcentos alios, qui & Eccleſiae hoſtes ipſis eorum armis mirabiliter debellaverunt; & Eccleſiam tropaeis inſignibus exornarunt; & Chriſtianam doctrinam ſplendide ac magnifice illuſtraverunt.

De Ioannis Evangeliſtae ruſticitate & imperitia.

CAPVT XVII.

NIL ultra iam nobis timendum, prudenti & docto cuique videatur, ne ſuperſtitioſi & hypocritae & plane ἄμυσοι homines, huius capitis titulum tamquam Ioanni Apoſtolo iniurioſum calumnientur, unis ignorantiae ſuae & ἀβλεψίας praeſidiis adiuti, ſeu potius invidiae & malignitatis ſtimulis acti; quum tam copioſe, tam late, tam luculente, tituli huiuſmodi gloriam, maieſtatem, amplitudinem, qualis Dei Eccleſiam ſola Chriſti virtute, Deique ſapientia, ſtabilitam decet, ſuperioribus diſputationibus demonſtraverim. Sed ſi quibusdam minus perſpicaci ingenio, & acri iudicio, praeditis (quamquam in re tam clara & manifeſta non multa animi contentione, aut vi vivida, opus eſt) non ſatis factum fuiſſet, ecce ad tertiam, quam mihi propoſui, inſpectionem & diſquiſitionem deſcendo, & quid de educatione, & ſtudiis, & eruditione, ac ſtilo, Ioannis Evangeliſtae iudicandum ſit, peculiari tractatione differere adgredior. Itaque *Ioannes* Evangeliſta Galilaeus erat, ex

oppido Bethſaida, ignobili admodum & vili, oriundus, Zebedaei hominis plebeii & piſcatoris filius, Iacobi autem frater, & ipſe eum fratre piſcator, obſcuro miniſterio vitam pauperem tolerans. Id quidem late oſtendit Patrum Graecorum eloquentiſſimus *Io. Chryſoſtomus Prooemio in Ioannis Evangelium* cuius lucentiſſima verba *Cap. VII. pag.* 117. tempeſtive protulimus; oſtendit & *Theophylactus* in Hypotheſi in Ioannis Evangelium, cuius pariter verba diſertiſſima *Cap. XIII. pag.* 225. a me mature producta fuerunt. Iſthuc ipſum confirmant *Scholiaſtae Graeci* Ioannis MSS. qui exſtabant in Bibliotheca Colbertina a *Rich. Simonio P. I. Hiſt. Crit. N. Teſt. Cap. XXVI.* laudati, quorum verba ſunt quae ſequuntur: Οὗτος ὁ εὐαγγελιστὴς πατρίδος μὲν ἦν ἤτοι κώμης εὐτελοῦς ἀπὸ Βηθσαϊδὰ τῆς Γαλιλαίας, πατρὸς δὲ ἁλιέως, καὶ πένητος. Hoc eſt: *Hic Evangeliſta patriam habuit humilem vicum, Bethſaida Galilaeae, patrem autem piſcatorem & pauperem.* Quare non video cur *Hieronymus* Epitaphio Marcellae haec ſcribere non dubitet: *Ieſus Ioannem Evangeliſtam amabat plurimum, qui propter generis nobilitatem erat notus Pontifici, & Iudaeorum inſidias non timebat: in tantum ut Petrum introduceret in atrium &c.* Quum incertus ſit an ille, qui notus erat Pontifici, Ioannes eſſet, quod & ſuperius *Cap. II. pag.* 36. animadvertebamus. Et quamquam mercenarios in navicula haberet ipſe, & frater, paterque, ut liquet ex *Marco I.* 20. quod forte in cauſſa eſt cur *Origenes lib. I. contra Celſum nautas* ναύτας illos adpellet, quum Petrum & Andream *piſcatores* ἁλιεῖς vocet; tamen exploratum quoque eſt, piſcatores fuiſſe, ut habet *Marcus* loco citato *verſ.* 19. & eo miniſterio vitam toleraviſſe, ut explicat *Baſilius Reg. Fuſ. VIII.* id quod confirmat

mat *Hilarius Lib. II. De Trinit.* de Ioanne loquens his verbis: *Conſiſtit enim mecum in patrocinium editarum ſuperius difficultatum, piſcator, egens, ignotus, indoctus, manibus lino occupatus, veſte uvida, pedibus limo oblitus, totus e navi.* Id omne ſi verum eſt, quod quidem in controverſiam revocari non poteſt, niſi caeleſtium litterarum auctoritas evertatur; quum id diſerte teſtentur *Matthaeus Cap. IV. verſ.* 21. *Marcus cap. I. verſ.* 19. *Lucas Cap. V. verſ.* 10. iam quid de morum elegantia, & urbanitate, Ioannis ſentiendum ſit, vel caecutientibus pateat, & ab iis etiam, qui

Vervecum in patria, craſſoque ſub aere nati

ſunt, intelligatur. Ruſticus igitur erat, & incultus, & idiotes, & agreſtis, prout eius educatio ferebat, id quod *Lucas in Actis Cap. IV.* ſua divina auctoritate confirmat eum ἰδιώτην adpellans: quo Graeci Scholiaſtae ſtatim laudati reſpicientes de eo ſcribunt: Οὗτος καὶ ἁλιεὺς καὶ ἰδιώτης ἰδιωτείαν τὴν ἐσχάτην. *Hic piſcator erat, & extrema ruſticitate idiota.* Et merito quidem ac vere; quum enim in piſcandi negotio totus occupatus eſſet, quomodo animum excolere, expolire mores, litteras diſcere, artes liberales mente comprehendere, poterat? Hinc bene ac ſapienter obſervat *H. Grotius*, eum lege quidem a pueritia inſtructum fuiſſe, ut mos erat Ebraeis, ceterum nulla tinctum aut Ebraica, aut Graeca, litteratura, quod quidem iuxta veterum teſtimonia enuntiavit, & ſecundum coeleſte illud oraculum *Act. Cap. IV.* ubi Ioannes ἰδιώτης & ἀγράμματος, hoc eſt, *ruſticus* ſeu *idiota*, & *illitteratus*, declaratur. Egregie & praeclariter de more ſuo *Ioannes Chryſoſtomus Homil. I. in Ioannem* totum id adſtruit, cuius verba legenda ſuperius citata *pag.* 117. a *Theophylacto*

quoque corroborata: & iuxta quae *Scholiaſtae Graeci* alias memorati de eo ſcribunt: παιδείας δὲ τῆς ἔξωθεν οὐδετιοῦν μετῆν. *Profanae vero eruditionis omnino expers erat*. Iisdemque dicitur ὁ γράμματα μὴ εἰδώς. *Litteras neſciens*. Quare iure optimo *Calmetius* in *Prolegomenis in Ioannem* ſcribere non dubitavit: *Porro humaniorum litterarum rudem fuiſſe Evangeliſtam, nulloque excultum artificialis eloquii & rhetoricae ſtudio, quod ſine eius iniuria dictum volo, conſtat inter omnes*. Sed, quod pluris faciendum eſt, iſthuc ipſum adſeverat quoque vetuſtus auctor *Origenes lib. I. contra Celſum*, ubi ait Ioannem ne elementa quidem litterarum noviſſe: in qua ſententia *Hilarius*, ut vidimus, quoque eſt, *Lib. II. De Trinit.* & *Petrus Chryſologus Serm. XXVIII.* non diſſentit, eum cum Petro & Andrea comparans, cuius quidem verba *Cap. II. pag.* 33. in anteceſſum protulimus. Sed etſi tamdem a Chriſto vocatus eſt, eumque ſuum Apoſtolum renunciavit, non tamen artem piſcatoriam reliquit, aut cultior & eruditior factus eſt, niſi in quantum Chriſti coelitus adlata documenta percepit, quae mores, & Dei cultum, & ritus, religioneſque, reformabant.. Hinc & poſt Chriſti etiam obitum & reſurrectionem, in piſcationem incumbebat, quod ipſe adfirmat *Cap. XXI.* Ridiculum plane & exſibilandum illud eſt, quod Iuriſconſultus quidam, melius forte *Papiniani Modeſtinique* reſponſa interpretatus, quam divinorum eloquiorum meditatus ſententias, mihi obiiciens effutiebat, illud ἰδιώτης καὶ ἀγράμματος, quo *Lucas* de Ioanne loquens uſus eſt, de eo tempore intelligendum eſſe, quo nondum Apoſtoli Spiritum Sanctum coelo delapſum acceperant; quum *Lucas* id de eo ſcribat iam poſt ſibi illapſum Spiritum Sanctum una cum Petro ad templum progrediente;

&

& inſuper luculente ſuperius oſtenderimus, non eloquentiam, non dicendi elegantiam, non profanam eruditionem, ex Spiritus Sancti adflatu Apoſtolos didiciſſe; ſed divinam, quae Eccleſiam inſtituendam reſpiceret, ſapientiam. Immo *Io. Chryſoſtomus Homil. I. in Ioannem* expreſſe adſeverat, neque ante, neque poſt quam Chriſtum ſequutus fuit, Ioannem litteras didiciſſe ὁ γράμματα μήτε πρότερον μαθὼν, μήτε ὕστερον μετὰ τὸ συγγενέσθαι τῷ Χριστῷ. *Qui litteras neque ante, neque poſtquam Chriſtum ſequutus eſt, uſquam didicit*. Non me quidem latet aliquem, qui noſtri temporis Photinianis frigidam ſuffundit, opinari, Ioannem Evangeliſtam, poſtquam in Aſia diverſatus eſt, aliquid profanae doctrinae & eruditionis vel per ſe ipſe, vel ex diſcipulis, haurire potuiſſe; ſed quam invictis, quam multis, argumentis iam id minime probabile demonſtravi? vel ſaltem non tale ac tantum illud fuiſſe, ut eo ad ſua ſcribenda abuteretur, aut ex eo iam profanis doctrinis inſtructus, eruditusque, videatur. Certe ſi *librum V. Operis*, quod in praeſens a calumniis apertiſſimis vindico, evolviſſent ſaltem, ſi minus perlegere voluiſſent, veritati adeo manifeſtae fidem adhibere potuiſſent; ne id etiam perſpicue probatum ab *Elia Benedicto* in ſuis *Diſſertationibus Epiſtolicis III. in priores XVIII. Ioannis verſus* commemorem; & cognoviſſent etiam quam prudenter, quam apte, quam ſalubriter, Ioannis Evangeliſtae ruſticitatem & imperitiam in propatulo collocare ſtuduiſſem; & non temere, nec arbitratu meo, ſed veterum, claſſicorumque, & divinorum etiam, Scriptorum teſtimoniis evidentiſſimis innixus. O utinam canes mei illi, & obtrectatores, profanas doctrinas, & Graecam eruditionem, a Chriſtiana divinaque ſapientia ſecer-

cernere valuiſſent, ut quidem ϛισμέγιϛος ille *Paulus I. ad Corinth. Cap. I. & II.* inter utramque diſtinguit! O utinam Graecas litteras ſaltem a limine ſalutaſſent, & illam Epigraphen intellexiſſent, quam in fronte operis Ioannis Evangeliſtae imagini adpoſui, ex Epiſtola Paulina petitam: οὐκ ἐν διδάκτοις ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις: *Non in docibilibus humanae ſapientiae verbis*. O utinam tam caeco & tam praecipiti impetu abrepti non fuiſſent, & eos quantum mens improvida tranſverſos ageret, conſiderare ſubſtinuiſſent; non certum telum, quo Sociniani Chriſti oſores conficiantur, ex Eccleſiae manibus injuria extorſiſſent: non me indubitati & veri dogmatis defenſorem vexaſſent; non Cenſores illos ſapientiſſimos, qui meum opus recte ac prudenter adprobaverunt, adeo inique exagitaviſſent. Quid iam nunc prohibet quin cum illo exclamem:

Heu heu quo miſeros tramite devio
Abducit ignorantia?

Sed, unde profluxerat, redeat oratio, & jamquid de Ioannis Evangeliſtae ſcriptis & ſtilo iudicandum ſit videamus. Ioannis huius Evangelium, tres Epiſtolas, & Apocalypſin, habemus. Evangelium cur poſt tres illos, qui eum praeceſſerant, Scriptores, exaraverit, iam *Lib. V. De recta Chriſtianorum quoad Trinitatem ſententia Cap. XVII. & XVIII.* expoſuimus, & conſuli etiam poſſunt *Tillemontius* in *Ioanne*, *Rich. Simonius P. I. Hiſt. Critic. N. Teſt. Cap. XIII. Calmetius Proleg. in Evang. Ioannis*. Exploratae autem fidei eſt Ioannem poſt tres alios Evangelium ſcripſiſſe, licet in aliquibus Codicibus, Eius Evangelium vel ſecundo loco poſitum, vel non extremum reperiatur, ut ſuperius *Cap. X. pag. 147. & 148.* animadvertimus, ubi & in Canone

ſcri-

ſcripturarum ab Antonio Guidonis concinnato primo loco recenſeri vidimus; cuius rei ratio redditur in *Prologo* in *Evangelium Ioannis* in Codice MS. Latino Bibliorum, Bibliothecae Laurentianae, quam tempeſtive *Cap. XIII. pag.* 263. deſcriptam in medium adduximus. Ioannis Evangelium ſublimi & arcana prae aliis ſapientia admirabile laudibus merito tulerunt ac ſubſpexerunt, cum Eccleſiae Patres, tum Ethnicorum Philoſophi. Iam de his egi ea *Diſſertatione*, quae *De recta Patrum Nicaenorum fide* inſcripta eſt, *Cap. III.* Reſtat igitur ut de illis aliquid dicam. Itaque *Origenes Praefat. in Ioannem*, inquit, ſi Evangelia veluti primitiae & ſelecta ſacrarum Scripturarum portio cenſenda ſunt, Ioannis Evangelium profecto ipſam eſſe Evangeliorum, & totius Novi Teſtamenti ſelectiſſimam portionem. *Nemo*, ait, *potuit eius ſcripti profunditatem attingere, niſi qui ſupra ipſum Ieſu Chriſti pectus, ut ſanctus hic Evangeliſta, quieſcat. Sigillum eſt quo ceterorum Evangelia obſignantur; columna, quam fulciendae regendaeque Eccleſiae ſuae Deus conſtituit.* Apud alios Patres autem, ut *Paulinum Epiſt. XXIV.* & *Auguſtinum Tract. XXXVI. in Ioannem*, aliosque paſſim, Ioannes Evangeliſta Aquilae comparatus eſt, quippe qui ad thronum uſque Dei volando perveniat. Et quidem ſi Ioannis doctrinae ſublimitas conſideretur, illud Hieronymi ad Paulinum ſcribentis iure uſurpabitur: *Ioannes ruſticus, piſcator, indoctus? Et unde vox illa obſecro: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum? . . . . Hoc doctus Plato neſcivit; hoc Demoſthenes eloquens ignoravit.* Tot claudit myſteria, quot ſententias, inquit de eo *Ambroſius Lib. III. De Sacr. Cap. II.* Huius Evangelii auctoritatem num-

quam

quam in dubium revocavit Eccleſia. Quicumque vero ex haereticis illam elevarunt, & reiecerunt, *Alogorum* nomine traducit *Epiphanius Haereſ. LI.* & *Auguſtinus Haereſ. XXX.* Porro haeretici illi inverecundo ſane commento ſcriptum hoc Cerintho tribuebant; quaſi ſcilicet legentibus non conſtet, nuſquam in toto Evangelio hoc Cerinthi impietatem non revinci atque damnari. Theodotus quoque Byzantinus haereticus, Ioannis Evangelium & Apocalypſin, tamquam non eius opera, reiecit & improbavit. Si autem eius Evangelii initium ei abiudicare tentant Socinianorum quidam, non mirum; quum eo iugulum Socinianiſmi petatur, & tota eius machina diruatur. Sed Catholici etiam Critici de quibusdam aliis huius Evangelii partibus prope dubitarunt, ut eſt hiſtoria deſcenſus Angeli in Probaticam piſcinam *Cap. V.* & hiſtoria Adulterae *Cap. VIII.* de quibus conſulendi *Lamius Harmon. Evangel. Simonius Hiſt. Crit. N. T. Grotius* autem ab alio, poſtremum Caput ſcriptum exiſtimat; *Hammondus* duos tantum eiusdem Capitis verſiculos. Evangelium a Ioanne Graece ſcriptum fuiſſe tota conſentit antiquitas, & fruſtra eſt *Salmaſius* dum contendit Ebraica potius lingua, quam Graeca, fuiſſe exaratum. Quo tempore vero, in ſententiis eſt, & de hoc conſulendi *Calmetius*, *Simonius*, *Tillemontius* ſupra laudati. Ioannis Evangelii αὐτόγραφον in Eccleſia Epheſina ſeptimo ſaeculo, vel etiam quarto, ſervatum fuiſſe docet non ambiguus textus *Petri* Alexandrini in Chronico Alexandrino legendus. Ceterum reip. litterariae impoſuit *Bocchius*, ubi in libro *De Florentiae pulcritudine* prodere non eſt veritus, Evangelii Iohannis archetypum inter ſacra Mediceae Gazae Cimelia Florentiae adſervari, quare ob hoc ipſum a *Cinellio* vapulat; & ipſe quidem Clariſſi-

riſſimi ac ſupremi Gazophylacis, *Vincentii Mariae Riccardii* Senatoris, permiſſu quum mihi volumen illud inſpicere, & tractare, & evolvere licuiſſet, perſpicue intellexi, & quidem primore adſpectu, Codicem eſſe IX. ſeu X. ſaeculo exaratum; nec Ioannis integrum Evangelium continere, ſed Evangeliorum ex quatuor Evangeliſtis περικοπάς, quae per anni curſum in Eccleſia Graeca legi ſolebant. Nec unus Codex, ſed duo ſunt, quorum minor, quum Ioannis Evangelii initium litteris aureis perſcriptum in fronte habeat, interiora minime ſcrutantibus integrum hoc Evangelium eo contineri adcreditum facile eſt. Hinc rumor omnia in maius extollens, & eſſe illud Ioannis αὐτόγραφον praedicans. Codices hi, quibus de etiam egi ſuperius *Cap. XIII. pag.* 206. 242. 243. quum, ut videtur alicuius Conſtantinopolitanae Eccleſiae uſui fuerint, purpura ſolido argento diſtincta, & unionibus pretioſis baccata, contecti ſunt, qui quomodo & quando a Florentinis comparati fuerint, docet *Barthol. Fontius* in ſuis *Annalibus* MSS. qui in Bibliotheca Riccardiana adſervantur, his verbis, ad annum MCCCCLIV. *Evangeliorum Graecus liber Conſtantinopolitana clade ſubductus, a Malcho quodam Graeco homine Florentiam perlatus, ac magno emtus, in ſupremi Magiſtratus Palatio collocatur, ubi & Pandectarum Libri Piſarum ſpolium adſervantur.* Docet etiam *D. Boninſegnius* in *Chronico;* qui addit librum illum CCCC. florenis conſtitiſſe, ſed fallitur ubi adfirmat in eo τετραευαγγέλιον, hoc eſt, quatuor Evangeliſtarum Evangelia contineri; ſicuti ridicule falſus eſt Vir quidam nobilis Florentinus, alioquin doctus, cuius nomini & aeſtimationi parco; qui quum in comitatu eſſet Cardinalis Nerlii huiuſmodi cimelia inviſentis, hunc Codi-

Codicem Praeſuli illi apertum obtulit, ut Ebraicum, atque eleganter ſcriptum, volumen inſpiceret rogans; id quod renidens *Ant. Maria Salvinius*, vir longe eruditiſſimus ac celeberrimus, mihi narrabat. Non quod Ebraice vel Syriace Ioannis Evangelium antiquitus converſum non fuerit, utpote quod ea lingua in arcana Tiberiadis Bibliotheca a Iudaeis ſervabatur, ut *Epiphanius Haereſ. L. Cap. III.* auctor eſt; & huiuſmodi opinio iam obtinuerit, ut ſuperius *Cap. X. pag.* 152. *&* *Cap. XII. pag.* 199. videre eſt; ſed quia vere Codices hi Florentini Graece ſcripti ſunt.

Sed iam de Epiſtolis Ioannis aliquid pronunciemus. Epiſtola quidem prima canonicam ſemper in Eccleſia auctoritatem obtinuit; ad quos autem ſcripta ſit, & unde cognoſcatur eam eſſe Ioannis, quum ſuum Apoſtolus nomen non adpoſuerit, vide apud *Calmetium* in *Prolegomenis*. *Proditur*, inquit hic, *a ſtilo, a methodo, a ſententiis, & potiſſimum a caritate, qua Ioannes adfluens per Epiſtolam totam undique redundat. Per eadem, per quae Evangelium, verba exorditur: In principio &c.* Et digna ſunt quae in hanc rem habet *Ph. Meſnardus* in *Examine quorumdam Novi Federis locorum iuxta Io. Clerici verſionem Cap. XX.* Epiſtolas Ioannis ſecundam, & tertiam, diu tamquam canonicas, & tamquam Ioannis Evangeliſtae foetus, Eccleſia non recepit, ut apud *Origenem*, *Papiam*, *Euſebium*, & *Hieronymum*, videre eſt; immo Syra Eccleſia nec in praeſens recipit, ut *Aſſemannus Tom. III. Bibl. Oriental. P. I.* auctor eſt, & ex eo tradit *Beauſobrius Hiſt. Crit. Manich. P. II. Lib. I. Cap. V. §. III.* Ioannis cuiusdam Presbyteri, cuius & Epheſi ſepulcrum videbatur, fuiſſe quidam exiſtimarunt ex veteribus, & inter recentiores *Eraſmus*, & *Grotius*,

Caie-

Caietano intra dubitationis limites ſubſiſtente; ſuper quo conſulatur *R. Simonius P. I. Hiſtor. Critic. N. T. Cap. XVII. Tillemontius in Ioanne*, & *Calmetius Prolegom. in II. Ioannis Epiſt.* Sed quum a IV. vel V. ſaltem ſaeculo tamquam canonicae a SS. Patribus receptae & adlegatae fuerint, iam in album divinarum ſcripturarum merito relatae ſunt; & quum ſtilus, ſententiae, & methodus id patiatur, Ioannis Evangeliſtae iure optimo creditae: verum adeatur conſulaturque ſuper hoc doctiſſimus *Calmetius in Prolegomenis*, qui multa de his Epiſtolis docte admodum diſputat, & conſulantur etiam *Tillemontius in Ioanne*, & *Rich. Simonius P. I. Hiſtor. Crit. N. T. Cap. XVII.* ſtatim laudati. Vnum adhuc de Ioannis Epiſtolis animadvertendum eſt, ſeptimus quidem verſiculus *Capitis V. Epiſtolae I.* an genuinus ſit dubitari a quibusdam, ſuper quo adeundi ſtatim citati, *Simonius, Tillemontius, Calmetius*, quibus adiungendus *Ph. Meſnardus* libro proxime laudato. Ipſe quidem dum Florentinos Codices MSS. N. T. Graecos evolvi in nullo hunc verſiculum inveni, id quod ſparſim adnotavi ſuperius *pag.* 219. 223. 224. 245. 246. 248. 254. In Codicibus Latinis quibusdam vel in margine adſcriptum, vel interpolatum, vel varium inveni, ſed paucis, ut videre eſt *pag.* 258. 260. 269. 284. 285.

Sed quid iam de Apocalypſi dicendum? *Apocalypſis Ioannis*, inquit *Hieronymus* Epiſtola ad Paulinum, *tot habet ſacramenta quot verba. Parum dixi, & pro merito voluminis laus omnis inferior eſt. In verbis ſingulis multiplices latent ſententiae.* Quibus quidem *Dionyſii* Alexandrini apud *Euſebium Lib. VII. Hiſtor. Eccleſ. Cap. XX.* voces ſenſuſque aemulatus eſſe videtur. Sed, an vere Apocalypſim Evangeliſta

Ioan-

Ioannes ſcripſerit, diu dubitatum eſt. Fuerunt qui eam a Cerintho exaratam putarent, quo ſuis deliramentis auctoritatem adſereret, ut *Caius* in *Diſputatione adverſus Proclum*; in quam ſententiam, teſte *Dionyſio* Alexandrino, plurimi Catholici pedibus ivere, quibus *Gregorius Barebraeus* facile adſentiretur, ut apud *Aſſemannum Tom. III. Biblioth. Orient. P. I.* videre eſt; quare Syrae Eccleſiae eam non recepere. Et quidem Cerinthum Apocalypſin quamdam edidiſſe tradit *Theodoretus Lib. II. Haeretic. Fabul. cap. III.* quam *Baronius* Ioannis nomine ab eo vulgatam arbitratur, *Caii* laudati apud *Euſebium Lib. III. Hiſt. Eccleſ. Cap. XXIIX.* auctoritate ſuffultus. Eam tamen aliam ab Ioannis Apocalypſi fuiſſe ex SS. Patribus perſpicue intelligimus, ut obſervat *Tillemontius Nota III. in Cerinthianos. Dionyſius* quidem Alexandrinus loco citato, a Ioanne quodam Apocalypſin ſcriptam opinatus eſt, ſed an hic Apoſtolus eſſet haerebat. Libri ſtilus, & auctoris ingenium, ab Ioannis Evangeliſtae prima Epiſtola, & Evangelio, ſatis videbantur abeſſe, quod eamdem eloquutionis puritatem, & verborum delectum, non praeferret. Quare vel Ioanni Marco, de quo in Actis Apoſtolorum; vel alteri Ioanni, cuius ſepulcrum prope Ioannis Evangeliſtae tumulum Epheſi videbatur, ſatius adſcribendam duxit. Sed quincto quoque ſaeculo de Apocalypſis auctore & auctoritate diſceptatum eſt, ut late in *Prolegomenis Calmetius* oſtendit. Quin in Canone Scripturae ſacrae a Nicephoro Patriarcha CP. concinnato, & ſtichometria, Apocalypſis Ioannis inter apocrypha N. T. recenſetur, ut tradit *Monsfalconius in Bibliotheca Coisliniana Cod. CXXXIII.* obſervans tamen, id in Codice eraſum fuiſſe. At quod eam haeretici quidam reiecerint, ut

Mar-

Marcio, & *Cerdo*, & *Alogi*, & proximiore aetate *Calvinus* ut quidam perhibent, atque *Lutherus*, aliique, nihil moror; quum iam prope certis argumentis conſtet, eius auctorem eſſe Ioannem Apoſtolum; & merito Canonicis ſcripturis adnumeretur, ut apud laudatos *Calmetium*, & *Tillemontium*, & *Simonium Cap. XIX. P. I.* videre eſt, ipſis iam noſtri temporis heterodoxis non repugnantibus. Apocalypſis a *Ioanne* in Inſula Pathmo conſcripta eſt, Apoſtolo ipſo teſtante, *Cap. I. verſ. IX. Ego fui in inſula, quae adpellatur Pathmos, propter verbum Dei, & teſtimonium Ieſu.* Quare mirari ſubit quod *Victorinus* Petavienſis Epiſcopus eam ab Ioanne poſt exſilium editam arbitretur. Graece eam ſcriptam fuiſſe unanimis omnium conſenſus eſt, ſi *Scaligerum* excipias, qui primo eam Ebraice exaratam credidit; ſed fidem in hoc apud omnes decoxit.

Et haec quidem Ioannis Evangeliſtae genuina ſcripta recenſentur, de quorum ſtilo nunc agendum reſtat: quod ut ordine & ratione fiat, prius de ſtilo Evangelii & Epiſtolarum diſſeremus; deinde vero ſeparatim Apocalypſeos eloquutionem examinabimus. Itaque *Fr. Toletus* Cardinalis *Argumento Commentarii in Ioannem*, de Ioannis ſtilo haec enunciat: *Minus quam ceteri Evangeliſtae Graece loquutus eſt. Ebraicis phraſibus abundat. Vnde fit ut Ebraici ſermonis peritia, non minus quam Graeci, ad ſenſum ſententiarum adſequendum, ſit neceſſaria. Grotius* vero ὁ κριτικώτατος ad *Cap. I. Ioannis* obſervat, ſupra ceteros Apoſtolos magnam eſſe in Ioannis dictione ſimplicitatem, & ſermonem Graecum quidem, ſed plane ex Syriaco illius ſaeculi adumbratum, unde in illo oratio adeo interciſa, tot copulativae coniunctiones, tot repetitiones vocum, quae per relativa minus frequentata

Iu-

Iudaeis, & alia dicendi compendia, vitari ſolent. Haec omnia confirmantur a *R. Simonio P. I. Hiſt. Critic. N. T. Cap. XXVI.* & *Cap. XXVIII.* & a *Calmetio* in *Prolegomenis in Evangelium Ioannis*, ubi ita infit: *Nonnulla interdum occurrunt ad genium linguae Syriacae ſeu Ebraicae; repetitae quandoque ſententiae, & phraſes quaedam, delicatum Graecae linguae guſtum non ſapiunt*. Hactenus ille bene ac ſapienter. poſſem heic & *Georgii Enjedini* iudicium non diſſimile proferre; ſed quum ille Socinianus ſit, adeoque Ioannis, Chriſti divinitatem adſtruentis, inimicus, & eius ſcriptioni paulo iniquior exiſtimari poſſit, lubenter illud ſilentio praetereo; quum mea cauſſa eiuſmodi auctoritate non indigeat. De differentia autem ſtili Ioannis a ceterorum Evangeliſtarum ſtilo agentem *Calmetium* iterum audiamus. *Suſpicionem alii*, inquit, *in Evangelii illius veritatem moverunt, quod ſtilo plane a ceteris Evangeliſtis non in narratione tantum hiſtoriae, quod in re praeſenti nihil eſſet, ſed in referendis etiam ſermonibus Ieſu Chriſti, auctor utatur. Quis porro credat, Ieſum adeo vario dicendi genere verba ſua exponi voluiſſe, apud S. Matthaeum exempli gratia, & S. Ioannem? Apud poſteriorem hunc Evangeliſtam prolixior eſt oratio, repetitis interdum ſententiis moroſa, & ratiocinationibus, quarum vix ulla adparet connexio, deſultoria: eloquio utitur conciſo, ſententiis crebro, aperto, & fere numquam non parabolico. Apud alios Evangeliſtas Ieſus frequentiſſime utitur eo exordio: Amen dico vobis; apud S. Ioannem vero Amen ingeminatur: Amen Amen dico vobis. Sed haec levia ſunt & nullius ponderis. Solemne eſt ſacris Evangeliſtis, ut peculiarem ſinguli ſtilum in ſuis Operibus praeferant; regionis & aviti ſermonis tenent indolem, & quum*

alte-

alterius dicta narranda ſuſcipiunt, ita plane hiſtoriam ſuam ducunt, ut citra veritatis diſpendium, ſcriptoris ingenio ſtiloque ſerviat. Non me quidem fugit *Dionyſium* Alexandrinum apud *Euſebium Lib.VII. Hiſt. Eccleſ. Cap. XXV.* elegantiam & purioris eloquii cultum quemdam in Ioannis Evangelio obſervare: cultum nimirum non in delectu tantum, & collocatione verborum, ſed etiam in ſyntaxi, & argumenti connexione. *Nihil*, ait, *in eo opere barbaricum horret, ut collatum a Deo ſanctiſſimo Auctori, non luminis tantum & ſcientiae, ſed etiam eloquii, donum eſſe videatur.* At in eo quod eloquentiam & dicendi elegantiam attinet exceſſiſſe modum *Dionyſium* Alexandrinum Critici omnes recentiores fatentur, quum contrarium manifeſta res doceat. *Is qualiſcumque fuerit in Ioanne defectus abunde reparatur ſcientiae divinitus adquiſitae lumine, myſteriorum profunditate, rerum excellentia, ſoliditate conceptuum, atque doctrinae utilitate*, inquit *Calmetius*; haec rerum granditas, eloquii maieſtas eſt: & ἀκριβίας plenus eſt, ſi id inficiari pertendit *Eniedinus Prooem. in Ioan.* illis verbis: *Si obſcuritas conciſa, abrupta, minime ſibi cohaerens, & ex allegoriis conſtans oratio, ſublimitas dicenda eſt, fateor Ioannem eſſe ſublimem.* Quare multo iuſtius de Ioannis Evangelio iudicavit alter Chriſti Dei inimicus, & Eniedini ſymmyſtes, *Wolzogenius*, qui in Prolegomenis Commentariorum in Ioannem ita ſcribit: *Initium Evangelii Ioannis . . . omni tempore ab omnibus tam antiquis, quam recentioribus Eccleſiae Doctoribus ac Interpretibus habitum eſt arduum, ſublime, & plus in receſſu quam in fronte gerens.*

Engedinus eo magis cauſa caderet, ſi de Apocalypſi loqueretur. Ipſe quidem liber eſt obſcuriſſimus,

ut *Dionyſius* Alexandrinus, *Hieronymuſque*, fatentur, utpote qui arcana futurorum & mirabilium eventuum vaticinia comprehendat; quare eam olim tamquam inutilem quidam reiecerunt, ut laudatus Alexandrinus *Dionyſius* memoriae prodidit; ſed quam magna, quam ſublimia, quam admiranda, contineat, & iam cum *Dionyſio*, & *Hieronymo*, *Ambroſioque* pronunciavimus, & diligenter evolventibus patet. De eius autem ſtilo haec ex *Calmetio* deſcribemus: *S. Dionyſius Alexandrinus Evangelii, & primae S. Ioannis Epiſtolae ſtilum ab Apocalypſi abhorrere penitus adſerit.* Illa enim, *addit*, phraſium elegantiam, & ſermonis puritatem a barbariſmis, ſoloeciſmis, & idiotiſmis prorſus immunem praeſeferunt: quippe Deus ſcientiae & eloquentiae munere diſcipulum dilectum inſtruxerat. Haec vero eloquutionem non omnino Graecam, quandoque etiam barbariſmis vel ſoloeciſmis, vitiatam exhibet. Se demum ab exemplis ea de re producendis ob reverentiam abſtinere concludit, cuius praeterea idcirco tantum ſe meminiſſe teſtatur, ut & ſtudioſe rem perpendiſſe, & ſtili varietatem ſe comperiſſe palam omnibus faceret. *Si ſtili diverſitas opus aliquod Auctori alicui certo abiudicaret, Apocalypſis S. Ioanni utique adſcribenda non eſſet. Plurima vero, aetas nempe, temporum circumſtantiae, animi genius, rei, qua de agitur, argumentum, ad ſtili varietatem quammaxime conferunt. Tria Salomonis opuſcula, ſingula peculiarem praeferunt eloquutionem: gravem & ſententiis refertam Proverbia; fortem & argumentis revincentem Eccleſiaſtes; ſuavem, accuratam, vividam Cantica Canticorum. Praeterea in Pathmo inſula, ubi eum Patrum pleriſque, & ferme omnibus, Apocalypſin a S. Ioanne editam ducimus, eadem, quae Epheſi, prae-*

Vide Euseb. Lib. VII. cap. 25.

ſto

ſto ei non erant auxilia, quibus per viros peritiores & ſtilum expoliret, & opus caſtigaret. Apocalypſis artificium atque venuſtas Viris doctiſſimis plurimis in admiratione fuere. Hieronymi laudes iam ſupra retulimus. Dionyſius Alexandrinus opus, quoad rem ipſam, magnopere commendat. Henricus Morus tanti Apocalypſin pendit ut eius artificium & venuſtatem omnibus praeferat: Nullus umquam liber, *inquit*, maiori cum artificio ſcriptus eſt, unoquoque verbo veluti in bilance penſitato. *Elias Dupinius ſingula, quae hoc volumine continentur, verbis ampliſſimis effert, ſublimem & Propheticum ſtilum, narrationes omnes, & deſcriptiones, praeclaras, & phraſibus Propheticis expreſſas.* Permaximo, *ſubdit*, artificio elaboratum eſt; Veteris Teſtamenti figuras ſibi egregie adcommodatas exhibet; veterum Prophetarum phraſes ad rem ſummopere uſurpat. Atque ita quidem ille. Hiſce omnibus addere lubet, quod *Gagnaeus* in Apocalypſi ſoloeciſmum obſervat; & ſtili defectum aliquem *Ribera*, & *Salmero*, aliique viri docti, quidquid contra ſentiat *Menochius*, deprehenderunt.

Hactenus de Libris Ioannis Apoſtoli genuinis dictum ſit, ut breviter ea, quae falſo huic Apoſtolo tributa fuerunt, vel de eo antiquitus ſcripta ſunt, recenſeamus. Et primum occurrit

Liber S. Ioannis De tranſitu S. Mariae, qui exſtat etiamnum Graece in variis Bibliothecis, ut in Caeſarea iuxta *Lambecium Lib. IV. Comment.* Exſtabat etiam Cod. Colbertino 453. ſub titulo Iohannis Theologi εἰς τὴν κοίμησιν τῆς ὑπεραγίας δεσποίνης ἡμῶν. Ad quod ſcriptum apocryphum reſpicit *Epiphanius* Monachus & Presbyter in Sermone *De Sancta Maria Virgine Deipara &c.* In hoc eodem Codice adnectitur huic opuſculo alter libellus hoc titulo

De Ieſu Chriſto, & eius deſcenſu ex Cruce Commentarius a Sancto Theologo conſcriptus. Ὑπόμνημα τ̃ κυρίȣ ἡμῶν Ἰησȣ̃ Χριςȣ̃ εἰς τὴν ἀποκαθήλωσιν αὐτȣ̃, συγγραφᾶσα (ita perperam pro συγγραφέν) παρὰ τ̃ ἁγίȣ Θεολόγȣ. Adlegat *Cangius* in Gloſſario voce προτομή, & alibi.

Acta S. Ioannis a Leucio Charino edita, quorum meminit *Innocentius I. Epiſt. III. ad Exſuperium*, & *Pſeudo-Mellitus De paſſione S. Ioannis Evangeliſtae* a *Florentinio* ad *Martyrolog. Hieronym.* editus; ex quibus Actis fortaſſe accepit *Ioannes Caſſianus*, quae de Ioanne Evangeliſta habet *Collat. XXIV. Cap. XXI.* De his Actis conſulatur omnino *Beauſobrius P. II. Lib. II. Lib. II. Hiſt. Critic. Manich. Cap. V.* ut *Io. Alb. Fabricium* praeteream.

Paſſio S. Ioannis Evangeliſtae ſub Melliti nomine a *Florentinio* edita, & a *Fabricio P. III. Apocryphor. N. T.* iterum excuſa, cuius ſtatim meminimus.

Acta Ioannis, quae *Euſebio*, *Philaſtrio*, *Epiphanio*, *Athanaſio*, *Auguſtino*, *Innocentio I. Turibio*, & in *Stichometria*, memorantur. Sed eorumdem meminit etiam *Ephremus* Patriarcha Theopolitanus ſive Antiochenus apud *Photium Cod. CCXXIX.* Crediderim haec eadem forte non eſſe cum Leucii Actis, de quibus ſuperius egimus; forte enim ea primi Ebionaei ſuppoſuerunt, ut ſubſpicatur *Fabricius* ex *Epiphanio Haereſ. XXX. Cap. XXIII.* Sed huiuſmodi Actis uſos etiam Encratitas, & Manichaeos, & Priſcillianiſtas, exploratae fidei eſt. Quod autem de *Ioanne Caſſiano* ſuperius in *Actis Leucii* dixi, & ex hiſce actis derivari potuit; ſicuti quaedam ex hiſce omnibus defluxiſſe videantur in commentarios *Abdiae*, *Melliti*, *Prochori*, & *Simeonis* ipſius *Metaphraſtae*, qui Commentarium de Ioanne ſcripſit, & Oecumenii Arethae-

thaeque Commentariis ſubiicitur in editione Graeca Veronenſi anni MDXXXII.

Liturgia S. Ioannis Evangeliſtae ab *Euſeb. Renaudotio* e Syriaco in Latinam linguam converſa, exſtat apud eumdem in *Liturgiis Orientalibus*, & *Fabricium* P. III. *Apocryphorum* N. T.

Oratio S. Ioannis Evangeliſtae, quam ex libello ſacrarum precum MS. Floriacenſi, annorum circiter DCCCC. edidit *Edmundus Martene De antiqua Eccleſiae diſciplina in Divinis celebrandis officiis*, & exſtat etiam apud *Fabricium P. III. Apocryph. N. T.*

Prochori Hiſtoria De S. Ioanne Evangeliſta exſtat in *Orthodoxographia*, & in *Patrum Bibliotheca*; ſed illic Graece cum hoc titulo: Προχόρου τοῦ ἐπὶ ταῖς χρείαις τῶν ἑπτὰ κατασταθέντος ἀνεψίου στεφάνου τοῦ πρωτομάρτυρος περὶ Ἰωάννου θεολόγου καὶ εὐαγγελιστοῦ ἱστορία. *Prochori, qui fuit unus e ſeptem miniſterio Praefectis, conſobrinus Stephani Protomartyris, De Iohanne Theologo & Evangeliſta hiſtoria.* Hoc opus recentius *Fabricio* & *Ittigio* videtur, quam vulgo habeatur.

Circuitus Iohannis inter Apocrypha recenſitus ab *Athanaſio* in *Synopſi*, quem tamen *Bellarminus*, aliique, eſſe eumdem cum Prochori hiſtoria ſubſpicati ſunt.

Epiſtola Ioannis Apoſtoli ad Hydropicum, apud *Pſeudo-Prochorum* in commentitia *De S. Ioanne Narratione*.

Apocalypſis S. Ioannis diverſa a canonica exſtat inter Codices MSS. Hiſtoricos Graecos Bibliothecae Caeſareae Codice CXIX., cuius hoc initium eſt apud *Lambecium* & *Neſſelium*. Ἀποκάλυψις τοῦ ἁγίου Ἰωάννου τοῦ θεολόγου καὶ περὶ τοῦ ἀντιχρίστου. Μετὰ τὴν ἀνάληψιν τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ παρεγινόμην ἐγὼ Ἰωάννης μόνος ἐπὶ τῷ θαβὼρ κτλ. *Apocalypſis Sancti Ioannis Theo-*

Theologi, *& de Antichriſto*. *Poſt adſumtionem Domini noſtri Ieſu Chriſti ego Ioannes ſolus fui in monte Thabor &c.* Eiusdem ſuppoſititiae Apocalypſeos meminit *Theodoſius* Alexandrinus Commentario inedito ad Dionyſium Thracem, qui habetur in Bibliotheca Ioannea Hamburgi inter Libros Holſtenianos.

Apocalypſes ſub Ioannis nomine a Cerintho editas fuiſſe colligi videtur ex verbis *Caii* Presbyteri apud *Euſebium Lib. III. Hiſtor. Eccleſ. Cap. XXVIII. & Nicephorum Lib. III. Hiſt. Eccleſ. Cap. XIV.* nec *Fabricius* repugnat: ſed aliter locum intelligunt doctiſſimi *Valeſius* & *Tillemontius*. *Baronius* tamen id a Cerintho factum adſerere non dubitavit, quum forte alium ſenſum Caii verbis ſubieciſſet; de quo etiam ſuperius egimus.

Apocalypſis Ioannis, *miraculoſis Caecilii commentariis illuſtrata*, diverſa pariter a canonica, aliiſque apocryphis memoratis, anno MDXCV. in monte Granatenſi reperta fuiſſe, perhibetur ab Hiſpanis quibusdam Scriptoribus, & quidem laminis plumbeis exarata, & in hodiernum Hiſpanorum idioma a Caecilio S. Iacobi Maioris diſcipulo converſa, & Commentariis illuſtrata. Hiſpani illi Scriptores ſunt in primis *Franc. Bivarius Comment. ad Pſeudo-Dextri Chronic. Michaël de Luna*, *Bernardus de Aldrede Lib. II. Antiquit. Hiſpan. Cap. XIX. Gregorius Lopezius ſive Lupus Madera*, qui commenta illa tueri fruſtra conatus eſt: quae tandem anno MDCLXXXII. ab Innocentio XI. Pont. Max. reiecta ac damnata ſunt.

Apte,

Apte, adpoſite, neceſſario, Ioannes Evangeliſta ruſticus & imperitus adpellatus fuit.

CAPVT XVIII.

PIorum Chriſtianorum eſſe, atque prudentium, ubi de eloquentia, eruditione, liberalibuſque artibus, agitur, Apoſtolos Chriſti atque diſcipulos illarum omnino rudes & imperitos profiteri, & plus omni alio adfirmante adſerere atque perſeverare, docet vir maximus, & ſanctiſſimus *Ioannes Chryſoſtomus Homil. III. in Epiſt. I. ad Corinth. cap. I.* Ὅταν, inquit, οὖν Ἕλληνες κατηγορῶσι τῶν μαθητῶν ὡς ἰδιωτῶν, πλέον ἡμεῖς ἐκείνων κατηγορῶμεν αὐτῶν. *Quum igitur Graeci diſcipulos ignorantiae accuſaverint, nos pluſquam illi eos accuſamus.* Nam nihil utilius Eccleſiae Dei, quam nudam & ſimplicem veritatem aperire, quum Eccleſia illius ſit, qui ipſa, & ἀψευδὴς, Veritas eſt; nihilque ei glorioſius, quam ab univerſis intelligi tales ſui inſtitutores habuiſſe; ut late ſuperius *Cap. XIV.* demonſtravimus. At non ſolum laetitia adficior quod, quum Ioannis Evangeliſtae ruſticitatem & imperitiam praedicavi, vera, & minime ambigua, profatus ſum, ut ex praecedenti *Capite* conſtat; verum etiam mihi gratulor, quod iis verbis Ioannis ſimplicitatem & ignorantiam ſignificaverim, quae apta, congrua, Patribus uſitata, a divinis eloquiis ſuggeſta, manifeſte reperiuntur; adeout melius, & convenientius, alia ab Eccleſiaſtico Scriptore uſurpari non potuiſſent. Quod ut evidentiſſime pateat, exemplis in medium addu-

ctis, oſtendam illis verbis uti fas eſſe, ubi de divinis Scriptoribus, ubi de Apoſtolis, ubi de Ioanne Evangeliſta, agitur. Et primum de voce RVSTICITAS videamus. En igitur *Hieronymus* Epiſtola ad Paulinum: *Amos paſtor, & RVSTICVS, & ruborum mora diſtringens, paucis verbis explicari non poteſt.* Ad Paulam autem & Euſtochium ſcribens: *Ac primum de Iſaia ſciendum, quod in ſermone ſuo diſertus ſit: quippe ut vir nobilis, & urbanae eloquentiae, nec habens quidquam in eloquio RVSTICITATIS admiſtum.* Praefatione vero in Ezechielem, ſcribit: *Sermo eius nec ſatis diſertus, nec admodum RVSTICVS eſt: ſed ex utroque medie temperatus.* Sed de Apoſtolis iam videamus. Eos *Arnobius Lib. I. adverſ. Gentes*, *Piſcatores*, *Opifices*, RVSTICANOS, fuiſſe dicit. Item *Parvulos &* RVSTICOS vocat: & RVSTICOS *Chriſtianos* indigetat. *Hieronymus* Epiſtola ad Oceanum huc reſpexiſſe videtur, dum Chriſtianos RVSTICORVM nomine denotat, & *Prooemio Lib. III. Comment. in Epiſt. ad Galat.* de Apoſtolis agens ait: *RVSTICANOS vero & piſcatores noſtros totus orbis loquitur, univerſus mundus ſonat.* Epiſtola ad Salvinam RVDEM Eccleſiam vocat, de Apoſtolo loquens: *Sed quia RVDEM Chriſti inſtituebat Eccleſiam & omni ordini providebat &c.* Hinc occaſionem adripuit *Celſus apud Origenem Lib. III.* Apoſtolos calumniandi, & dicendi, *quae de Ieſu doctrina dicuntur, a paucis e Chriſtianorum numero, non prudentioribus, ſed RVDIORIBVS, praecepta eſſe noſtrorum hominum.* Sed non mirum ſi Patres Eccleſiae doctiſſimi RVSTICOS Apoſtolos adpellarunt, quum id nominis ipſe eis Spiritus Sanctus praeiens ſuggeſſiſſe videatur, ubi per *Lucam Act. cap. IV.* eos ἰδιώτας καὶ ἀγραμμάτους declaravit. Nam ἰδιώτης recte

Lati-

Latine RVSTICVS apteque convertitur. Et ἰδιώτεια quidem ab *Aemilio Porto* doctiſſimo homine, & utriuſque linguae peritiſſimo, Latine redditur RVSTICITAS in Suida, voce Ἰδιώτης. Ἰδιωτεύων RVSTICVS exponitur in *Lexico Frellonii*. Ἰδιώτης RVSTICVS, RVDIS redditur in Gloſſis a *Io. Pricaeo* ad illum Actorum locum laudatis. Hinc RVSTICVS & IDIOTA coniungitur apud *Scholiaſten Ariſtophanis ad Ranas*: ἰδιῶται καὶ ἀγροικοί. *Idiotae ac RVSTICI*. Apud *Lucianum* in *Hermotimo*: Ἀγροικὶς ἄνθρωπος καὶ ἰδιώτης ὡς πρὸς τὰ ὑμέτερα. *RVSTICVS homo, & quoad res noſtras idiota*. Sed propius ad divinam expreſſionem accedit *Plutarchus* in *Apophthegmatis Regum*, apud quem ἀγράμματος καὶ ἀγροικός. *Illitteratus* & RVSTICVS. Omnium vero optime id inſinuat *Hieronymus*, apud quem voces RVSTICVS & RVSTICITAS non alio ſenſu proferuntur, quam eo quem habent ἰδιώτης καὶ ἰδιώτεια. Exempla quaedam ſtatim attulimus, & haec ulterius ex Epiſtola ad Paulinum nunc adducere iuvat. *Sancta quippe RVSTICITAS*, inquit, *ſolum ſibi prodeſt: & quantum aedificat ex vitae merito Eccleſiam Chriſti, tantum nocet ſi deſtruentibus non reſiſtat*. Et ex intervallo: *Vides quantum inter ſe diſtent; iuſta RVSTICITAS, & docta iuſtitia*. Et mox: *Niſi forte RVSTICVM Petrum, RVSTICVM dicimus Ioannem; quorum uterque dicere poterat: Et ſi imperitus ſermone, non tamen ſcientia*. Et in Apologia pro libris adverſus Iovinianum ſcriptis: *Videntur quidem verba ſimplicia, & quaſi innocentis hominis & RVSTICANI, & qui nec facere, nec declinare noverit inſidias &c.* Et *Epiſtola ad Marcellam*: *Reſponſum habeant, non adeo me hebetis fuiſſe cordis, & tam craſſae RVSTICITATIS, quam illi ſolam pro ſanctitate habent &c.* Epiſtola autem ad *Oceanum* de Chri-

ſtia-

ſtianis & Apoſtolis loquens: *Ignorat momentaneus ſacerdos humilitatem & manſuetudinem* RVSTICORVM *&c.* Et Epiſtola ad Tranquillinum: *Lubentius* RVSTICITATEM, *quam doctrinam blaſphemam eligam.* Quamquam vero illa ἰδιῶται καὶ ἀγράμματοι Lucae ad omnes Apoſtolos extendi poſſint, ut recte obſervat *Tillemontius* in *Chriſti Vita Art. VIII.* & oſtendunt Graeci Patres, qui Apoſtolos paſſim ἰδιώτας adpellant, ut ſuperius *Cap. VII. & VIII.* videre eſt; tamen proprie & peculiariter de Ioanne & Petro eo Actorum loco dicuntur: quare ipſe adpoſite admodum, & ſacris litteris, ſanctiſque Patribus, convenienter, Ioannem Apoſtolum RVSTICVM adpellavi, eiuſque ſimplicitatem & innocentiam RVSTICITATEM dixi. Videamus iam an iure quoque IMPERITVM nuncupaverim. Id quidem ex iis, quae de ruſticitate praemiſimus, conſectarium exſiſtit, quum *Ruſticitas* ignorantiam & imperitiam quamdam ſignificare demonſtraverimus, & eſſe idem atque ἰδιωτεία. Audiamus primum Patres de Apoſtolis generatim loquentes: *Minutius Felix* in *Octavio* ILLITTERATOS & IMPERITOS Apoſtolos dicit. IMPERITOS eosdem *Arnobius Lib. I. contra Gentes* adpellat. *Auguſtinus Lib. XXII. De Civit. Dei Cap. V.* INERVDITOS *liberalibus diſciplinis*, NON PERITOS *grammatica*, & aperte IMPERITOS & INDOCTOS proclamat. *Libro* vero *XVIII.* eiusdem Operis *Cap. II.* ILLITTERATOS eos nominat, & in *Epiſtola ad Voluſianum* IMPERITISSIMOS. Sed quomodo eos adpellare aliter debuiſſent, quum Spiritus iam Sanctus ἀγραμμάτους declaraviſſet? Quid autem deſignat vox ἀγράμματος? Explicabo aliquatenus, quum adverſarii mei, quae eſt hominum eruditio, litteras Graecas neſciant, vel neſcire ſe ſimulent.

Hen-

Henricus Stephanus in ſuo linguae Graecae Theſauro ita vertit, & exponit ἀγράμματος: *Illitteratus, litterarum rudis, aut indoctus, aut qui nec ipſa quidem litterarum elementa novit.* Hoc poſtremo ſignificatu vocem illam uſurpant *Athenaeus lib. X.* Βοτὴρ δ' ἐστὶν ἀγράμματος. *Paſtor eſt, & ne ipſa quidem litterarum elementa novit.* Et *Lib. III.* Μάγειρος ἀγράμματος. *Coquus litterarum omnino expers. Lucianus:* Αὐλῆσαι τοῖς ἀναύλοις, καὶ ἀναγνῶναι ἢ γράψαι τοῖς ἀγραμμάτοις γραμματικὸν τρόπον, ἀδύνατον. *Tibiis canere iis, qui eam artem prorſus ignorant, & legere vel ſcribere litterarum omnino rudibus, impoſſibile.* Quare hoc ſemper ſenſu vocem illam ἀγράμματος, quum de Ioanne loquerentur, Graeci Patres doctiſſimi, quos Capite antecedenti tempeſtive adlegavimus, intellexerunt, & *Ioannes Chryſoſtomus*, ac *Theophylactus* in primis, ut *pag.* 117. 225. obſervare eſt. At ſi res ita ſe habet; & *Lucas* ἀγράμματον ſignanter Ioannem Apoſtolum vocat; iam quid in me reprenſione dignum? Quid ſacris litteris minime conſonum? Quid Patrum ſanctiſſimorum exemplis contrarium? Num & *Lucas* reprehendendus, quod vocabulo uſus ſit, quo non imperitia quaedam tantum denotatur, ſed omniiugis & maxima inſcitia, & is, quem Graeci ἀναλφάβητον adpellant? Iam me reum agant quod Ioannem imperitum dixerim, quum imperitia ſcientiam & doctrinam ſaltem aliquam non excludat, ut videre eſt *Lib. IV. Inſtitutionum Civil. Tit. III. §. Imperitia*, ut ſexcenta exempla conſulto praeteream: nam ſi id contigerit, eo magis *Lucae* dicam ſcribent, quod Ioannem non tantum imperitum dixerit, ſed vocem adhibuerit, quae etiam analphabetum deſignet. Quod ſi *Hieronymus* Epiſtola ad Paulinum, ruſticum Ioannem & indoctum fuiſſe ne-

gat,

gat, id ait non ad ſtili elegantiam, non ad profanam eruditionem, ſed ad divinitus ei datam ſcientiam, reſpiciens: *Ioannes*, inquit, *ruſticus*, *piſcator*, *indoctus? Et unde vox illa obſecro. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum? . . . . . Hoc doctus Plato neſcivit; hoc Demoſthenes eloquens ignoravit.* Eant modo vitilitigatores & maleferiati homines nugaciſſimi, & Lucam in ius vocent: eant & Spiritui Sancto diem dicant. Nunquid haec pietas, & religio, & ſanctitudo? Annon potius impietas, Deique contemtus, & improbitas haudquaquam ferenda? Miror equidem ſi Magiſtratus ſacrorum Cenſorum haec ferat, nec huiuſmodi vappis adverſus manifeſtam coeleſtium litterarum auctoritatem blasphemantibus iuſta poena inrogata os impuriſſimum obſtruat.

De meorum Calumniatorum ruſticitate & imperitia.

CAPVT XIX.

Qvam vere & apte Ioannes Evangeliſta ruſticus & imperitus a me dictus fuerit, luculentiſſime hactenus demonſtravi; oſtendique ſimul ea verba profanam eruditionem & eloquentiam, non coeleſtem & divinitus adflatam ſapientiam, excludere, ut ex *Cap. XV. & XVII.* intelligere eſt; Nunc probandum reſtat ruſticitatem & imperitiam meis Calumniatoribus convenire ad miraculum, ſed talem ac tantam ut nullam litterarum cum ſacrarum, tum profanarum, cognitionem,

nem,

nem, nullam coeleſtem ſapientiam admittat. Id facile atque evidenter elucebit, ſi demonſtravero illos, non ſacrarum tantum Scripturarum ſtudio & intelligentia, ac Sanctorum Patrum commentationum, Hiſtoriaeque Eccleſiaſticae, peritia & cognitione deſtitui, quod late ſuperius toto opere certiſſimis argumentis evictum eſt, ſed, non dicam Graecis, at ne Latinis quidem litteris etiam ſatis inſtructos eſſe, & vix patrias ſuas, ſcilicet Italicas, noſſe: ſi inſuper demonſtravero, non zelo religionis, non pietatis ſtudio ductos, ſed ſola invidentia & malignitate, ſola vindictae libidine, indoctos hoſce & hypocritas homines, ſeu potius canes rabidos, genuinum mihi dentem infixiſſe. Et quod primum attinet *Ruſticitatem* de vitio dici temere vociferabantur, adeoque ruſticum dici, Sancto Ioanni Evangeliſtae iniurium & contumelioſum eſſe. Iam quoad ſacras litteras, quoad Patres & Scriptores ſanctiſſimos attinet, *Ruſticitatem*, pro ſimplicitate, & eruditionis defectu, accipi ſupra aperte & perſpicue demonſtratum eſt, & ab *Hieronymo* etiam *ſanctam* & *iuſtam* ruſticitatem dici; quare iuxta hos falſum eſt ruſticitatem inter animi vitia computari. Sed num, ſi a ſacris Scriptoribus calumniae iſtorum, verborumque offuciae & praeſtigiae, reprobantur, ab optimis Latinitatis auctoribus fulcientur ac firmabuntur? Non per eum, qui Pentapolin ſulphure & igne pluvio delevit. Nihil enim aliud ut plurimum apud hos *Ruſticitas* ſignificare videtur, quam aſperiorem vitae cultum, atque urbana quadam elegantia ac feſtivitate carentem, qualis, exempli gratia, Xenocratis fuiſſet, quem ideo crebro Plato monebat, *Diogene Laërtio* auctore, ut Gratiis ſacra faceret. Hoc ſenſu *Martialis Lib. VII.*

Quae-

Quaere aliquem Curios ſemper, Fabioſque loquentem,

Hirſutum, & dura ruſticitate trucem.

Eodem ſenſu *Plinius Lib. XXXV. cap. IV. Poſt eum M. Agrippa vir ruſticitati, quam deliciis, propior.* Apud *Ovidium I. Amor. Eleg. VIII.* ruſticitas feminae eſt, verecundiorem eſſe, nec iocis & luſibus indulgere, id quod procaciores faciunt:

Ludunt formoſae: caſta eſt quam nemo rogavit;
Aut ſi ruſticitas non vetat, illa rogat.

Heinc *II. Amor. Eleg. IV.* ruſticae procacem & petulantem obponit:

Sive procax aliqua eſt, capior quia ruſtica non eſt.

Et paſſim quidem apud elegantiſſimum Poëtam ruſticitas pro paulo ſeveriore modeſtia uſurpatur, qualem nos in ſanctarum Virginum pleriſque ſubſpicimus ac laudamus, qualem a ſanctimonialibus noſtris exigimus. Hic idem Sulmonenſis Vates *Epiſtol. XIX.*

Et decor, & vultus ſine ruſticitate pudentes.

ubi *Ant. Volſcus*: *ſine ruſticitate. Ea eſt quae nihil intuetur.* Hactenus igitur virtutem ſeveriorem in ruſticitate reperimus, nec eam quidem, de qua *Flaccus*:

Virtutis vitium nomen ferat.

Ideo autem, aut qui litteris minus exculti ſunt, aut qui civilitate quadam, & urbanitate minus emolliti, ruſtici dicuntur: quia ruſtici proprie ſunt, qui ruri habitant, quare *Plautus*:

Vrbani fiunt ruſtici.

Et *Virgilius*:

. . . . curas venientem extendit in annum
Ruſticus.

Ii autem, ut plurimum, nec elegantiores ſunt, nec

nec litteris boniſque artibus exercentur. Hinc etiam pro ſimplici adhibetur, ut apud *Virgilium Eclog. II.*

Ruſticus es Corydon, nec munera curat Alexis

Atque id Viri docti ad hunc locum animadvertunt. Pro minus culto & agreſti *Propertius* accepit *Lib. IV. El. I.*

Curia, praetexto quae nunc nitet alta ſenatu,
Pellitos habuit ruſtica corda patres.

Ruſticus apud *Quinctilianum Lib. II. cap. XIX.* indoctum imperitumque ſignificat: *Manus indoctae ac ruſticae.* Heinc *ruſtice* paſſim pro *imperite*, atque *indocte*. *Cicero III. Offic. Vrgent ſane ruſtice, negant eum poſſe, & in eo perſtant. Gellius Lib. XIII. Cap. IV. Quod nunc autem barbare quem loqui dicimus, id vitium ſermonis non barbarum eſſe ſed ruſticum, & cum eo vitio loquentes, ruſtice loqui dictitabant.* Apud *Horatium I. Sermonum Satyr. III.* etiam pro *negligenter* offenditur:

. . . . . , rideri poſſit eo quod
Ruſticius tonſo toga defluit.

Iam conſtitiſſe, arbitror, apud eos, qui Latine ſcribunt, animi vitium voce *Ruſticitas*, minime denotari; ſed aſperiores tantum, & minus cultos mores, id quod vel ex patria, vel ex educatione, vel ex ipſa etiam corporis temperatione contrahi poteſt. Quod ſi a quibusdam vitium animi interdum ruſticitatis nomine ſignificatur, id in cauſſa eſſe non debet, cur alio ſenſu eodem vocabulo non utamur; vel quia hi non ſunt optimi Latinitatis Scriptores; vel quia cuilibet voci, quae ſenſum multiplicem habet, pro materia & argumento, quo de agitur, certa vis poteſtaſque ſubiicitur. Sed & pluria exempla apud noſtrae linguae Scriptores ſuppetunt, ex quibus aperte conſtat, vocem *Ruſticità*,

Ruſti-

Ruſtichezza, *Ruſtico*, *Rozzo*, pro imperitia & ignorantia, & cultus defectu, paſſim a noſtris uſurpari, quae quidem modo proferre fert animus. En antiquus Evangeliorum Interpres Italicus, de quo ſuperius *cap. XIII. ſect. IV. §. II. numer.* CCI. *pag.* 313. egimus, Prologo quem Evangelio Marci praefigit ita infit: *Però che San Marco è un abbreviatore del Vangelo di San Matteo, e non dice altro quaſi, o molto poco, che dice Matteo; poſto che dica altrimenti, cioè più mozzo, e più ROZZO*. Interpres autem Italicus *Epiſtol. D. Bernardi* in Vocabulario noſtrae Academiae laudatus habet: *Ma il ſuo ſermone ſia RVSTICANO piuttoſto, che cittadineſco e pulito*. Quid autem aliud quam ſimplicitatem, & civilis educationis defectum ſignificat apud *Iac. Sannazarium Arcad. Proſ. VI.* ubi ait: *Pareva il Troiano Paris, quando nelle alte Selve tra li ſemplici armenti in quella prima RVSTICITA' dimorava con la ſua Ninfa?* Beatus vero *Iordanus* in ſuis *Concionibus* ruſticum formoſo opponit: *Quando altresì ſei bello, o ruſtico*. Et ecce quam facile eminuit, me apte, adpoſite, ac decenter, ubi de Ioanne Evangeliſta in meis Commentariis egi, loquutum fuiſſe; temere, vero indocte, & inique, indoctiſſimos mei Criminatores me eſſe calumniatos; quum in ea, quam mihi ſtruxerunt, calumnia, ſive ad Scripturarum Oracula, ſive ad Sanctorum Patrum ſententias, ſive ad Graecam, Latinam, Italicam, linguam reſpexeris, ignorantia ubique, & ſtultitia ſingularis exſiſtat.

F I N I S.

AD-

ADDENDA ET EMENDANDA.

Pag. 12. QVod tamen mihi feciſſe non videor. *Lege:* Quod tamen crebro mihi feciſſe non videor.

Pag. 14. ſuſdeque. *Lege:* ſuſque deque.

Pag. 15. In quo ſemper veniam impetratam ſubintelligo. *Adde*, Nam nec venia ſufficeret, ſiquis conceſſa lectione abuſurus eſſet, vel facile in errorem labendi periculum immineret.

Pag. 28. *Ioannes* autem *Chryſoſtomus* Acta Apoſtolorum ediſserens. Lege: *Ioannes* autem *Chryſoſtomus* in *Evangel. Ioannis Cap. I. Homil. I.*

Pag. 29. *Lib. XII. De Civit. Dei Cap. V.* Adde: *Ioannes Chryſoſtomus Hom. I. in Ioannem. Petrus Chryſologus Serm. XXVIII.*

Pag. 30. Apud *Clementem* Alexandrinum *Lib. IV.* *ϛρωματ.* Adde: *Ioannes Chryſoſtomus* vero *Homil. XXXIII. in Matthaeum* Iacobum quoque publicanum fuiſſe ait, & Iacobum quidem, ut videtur, Alphaei F.

Pag. 36. Et *Hilarius Lib. II. De Trinitate* confirmat. *Adde:* Atque omnium latiſſime *Ioannes Chryſoſtomus Hom. I. in Ioannem.*

Pag. 40. *Ita poſtremus Philoſophorum. Adde:* ad quae verba conſulantur *Nic. Rigaltius*, & *Ioſeph Binghamus Lib. I. Origin. Eccl. Cap. I. §. XII. tom. I.*

——— Vetulos paſſim traducit: *Adde*, homunculum quoque Aſclepiadem Chriſtianum vocat quidam in *Actis S. Pionii.*

Pag. 41. & LIGNATORES. *Adde*: Et demonſtrat etiam *Binghamus Tom. I. Origin. Eccleſ. Lib. I. cap. II.*

Dd §. XII.

§. *XII.* & Caecilius apud *Minutium Felicem* homines *artium ſordidarum* Chriſtianos adpellat.

Pag. 42. *Euſebius Lib. III. Hiſtor. Eccleſ. cap. XX.* *Adde: Ioſephus* autem *Aſſemannus*, Maronita, Praeſul eruditiſſimus, *Tom. III. Bibliothecae Oriental. Par. II.* tradit Agheum quemdam, Thadaei diſcipulum, & ſericarum veſtium opificem, in Perſide, Aſſyria, Media, Armenia, alibique Evangelium adnunciaviſſe.

Pag. 44. *Deturpat caput ſuum. Adde*: Hinc fiduciam ſumſit Montanus, ut ſuarum muliercularum prophetias & viſiones iactaret: & ſaeculo III. ineunte Perpetuae Felicitatiſque Martyrum viſiones celebres erant, & creditae; ut ex earum *Actis* apud *Ruinartium*, & *Auguſtino Serm. CCLXXX. & CCLXXXII.* conſtat.

Pag. 45. *loqui in Eccleſia. Adde*: Sed quomodo intelligendus venit *Cl. Guillialdus* ad verba Pauli ſuperius prolata ita ſcribens? *Nondum interdictum erat mulieribus publice tum orare, tum praedicare & vaticinari, ut argumento ſunt multarum illius temporis acta?* Id vero quod *Paulus* Epiſtola *ad Corinthios* de feminis praecipit, confirmat, *I. ad Timoth.*

Pag. 47. Memoriae proditum eſt. *Adde:* Mulieris laſcivae & tandem Chriſtianae effectae, adeoque deindae caſtae, egregiam narrat hiſtoriam *Iuſtinus Martyr Apolog. I.* Paulo ſerius eſt Afrae, Dignae, Eunomiae, Eutropiae, atque Hilariae, exemplum, quae & meretrices fuerunt, & martyres; nam anno CCCIIII. paſsae ſunt, ut ex earum *Actis* apud *Ruinartium* liquet.

Pag. 48. & omnia illis redundant. *Adde:* Epiſtolae quoque *ad Romanos Cap. XV.* idem *Paulus* eleemoſynam memorat, quam Macedones & Achivi contule-

tulerant in pauperes ſanctorum εἰς πτωχοὺς τῶν ἁγίων, qui erant Ieroſolymis. Et Iacobus qidem, & Cephas, & Ioannes, Paulo & Barnabae iniunxerant, ut pauperum Ieroſolymitanorum memores eſſent; id quod ipſe *Paulus Epiſtola ad Galat. Cap. II.* diſerte ſcribit.

Pag. 49. qui l' embraſſaſſent. *Adde*: Hanc ſententiam non improbat *Mich. Lequienius Diſſert. VII. Damaſcenica*; & adridere videtur quoque *Nic. Nourrio Adpar. ad Biblioth. Max. Patrum Diſſ. I. in ſaecul. I. Cap. VI.*

Pag. 51. in Ἀγάπη. *Adde: Binghamum Tom. VI. Origin. Eccleſ. Lib. XV. Cap. VII. § VI. & ſeqq. Boldettum Obſervat. in Coemet. Lib. II. Cap. XIII.*

Pag. 57. *Cap. VIII. & Lib. III.* Adde: & *Boldettum Lib. 1. obſervat. in Coemet. cap. XXXIX.*

Pag. 59. Chriſtum adorantes ibidem exhibentur: *Adde*, Sanctus Didymus quum ad Theodoram Virginem liberandam lupanar ingrederetur, pileo caput contexerat, ut eius *Acta* apud *Ruinartum* teſtantur.

——— Vel negatores: *Adde*, Quare *Acta Sancti Pionii* tradunt beatum Martyrem impoſitas ſibi a ſacrilegis coronas manibus diſcerpſiſſe, ac proieciſſe.

Pag. 60. *Tillemontius* in *Paulo Art. XXVI. Adde:* Praeclariter *Hieronymus* in *Caput Ezechielis XLIV.* 20. *Perſpicue*, inquit, *demonſtratur, nec raſis capitibus, ſicut ſacerdotes cultoreſque Iſidis atque Serapis, nos eſſe debere; nec rurſum comam demittere, quod proprie luxurioſum eſt, Barbarorumque, & militantium, ſed ut honeſtus habitus ſacerdotum facie demonſtretur; nec calvitium novacula eſſe faciendum, nec ita ad preſſum tondendum caput, ut raſorum ſimiles*

 eſſe

eſſe videamur, *ſed in tantum capillos demittendos*, *ut operta ſit cutis*.

Pag. 61. Calvus depingitur. *Adde:* ut apud *Boldettum Lib. I. cap. XXXIX. Tab. I. & II. & Tab. VI. num.* 16. *Lib. II. cap. XVI. Tab. VII. num.* 72.

——— Hinc *Actorum cap. XXI.* quibusdam ut capita radant iniungitur. Totum delendum eſt.

Pag. 62. Dominicani Monachi utuntur. *Adde*, Non tamen ita tondebantur antiqui Chriſtiani, ſed capillos tantum per ambitum in coronae formam recidebant, unde Clerici coronati dicebantur, de quo late *Binghamus Tom. II. Origin. Eccleſ. lib. VI. cap. IV. §. XVII.* Illa autem tonſura, quam Lucae imaginis eſſe diximus, adparet etiam in antiqua Solonis gemma apud *Ful. Vrſinum*.

Pag. 63. Numiſmatis conſtat. *Adde:* Nec quaſdam ſaeculi X. picturas in Codicibus MSS. exſtantes moror, quae Evangeliſtas imberbes interdum exhibent, & quas inferius *Cap. XIII. ſect. I. §. IV. n.* ... indicabimus.

Pag. 66. Feminas ſerperet. *Adde:* Locum autem Clementis *Acta SS. Perpetuae* & *Felicitatis* inluſtrant, ubi dicunt Perpetuam diſperſos capillos infibulaſſe. Iſthuc vero ipſum, ad quod *Clemens* & *Tertullianus* hortantur, ex *Paulo* Apoſtolo didicerant, qui *Epiſtola ad Timoth. I. cap. II. verſ.* 9. feminas cum pudore & modeſtia ornari iubet, μὴ ἐν πλήγμασιν hoc eſt *crinium cincinnis*, quod male Simonis a Caſſia Interpres *Aegidius*, *Parrucca* vertit, ut obſervabat *Ant. Mar. Salvinius*; qui quidem ornatus dicitur *Petro Epiſtola I. Cap. III. v.* 3. ὁ ἔξωθεν ἐμπλοκῆς ξιχῶν κόσμος, & pariter ab eo feminis prohibetur.

Pag. 68. *Tab. XXI. fig. I. Adde:* Et *Boldettum Lib. I. Cap. XXXIX. Tab. III. num.* 3.

Pag. 69.

Pag. 69. *Lib. III. Paedagogi*. Adde: & S. Agnes pretioſis veſtibus induta exhibetur apud *Boldettum Lib. I. cap. XXXIX. Tab. III. num.* 3.

Pag. 72. ut ipſius *Abdiae Lib. VIII.* videre eſt. *adde:* Et Apoſtolorum imagines tunicatae proſtant apud *Boldettum Lib. I. Cap. XXXIX. & Bonarotium ad Vitra antiqua, & Aringhium*; & in Codice Evangeliorum Syriaco, ſcripto anno DLXXXVI. Bibliothecae Laurentianae.

——— Videre eſt: *adde:* Pallium autem Marci Evangeliſtae VI. ſaeculo adhuc exſtabat, & eo, ſepulturae mandato praedeceſſore, Patriarcha Alexandrinus induebatur, ut apud *Tillemontium* in *Marco* exſtat.

Pag. 76. Valere iubentibus: *adde:* Id quod conſonat praeceptis *Pauli I. ad Timoth. cap. II. v.* 9. & *Petri Epiſt. I. cap. III.* & obſervat de Chriſtianis antiquis *Boldettus Lib. I. cap. LIIX.* quamquam oſtendit ſimul Sanctos Martyres, alioſque Chriſtianos, pretioſis veſtibus indutos ſaepe ſepultos fuiſſe.

Pag. 77. Et quidem antiqua pictura Apoſtolorum in Codice Evangeliorum Syriaco, cuius ſupra meminimus, pallium eorum ſubfuſcum exhibet.

Pag. 80. Non temere quidem opinatur. *Adde:* Quin Bonifacius Martyr Aglaidos ſervus coccinea armelauſia indutus dicitur in eius *Actis* apud *Ruinartum*.

Pag. 81. *Paedag. cap. XII.* Adde: Quod ante *Paulus Epiſt. I. ad Timoth. cap. II. & Petrus Ep. I. cap. III.* fecerant.

Pag. 82. apud *Aringhium* adlegat. *adde:* Apud *Boldettum* quoque *Lib. I. Obſerv. in Coemet. cap. XXXIX.* Figura XXI. occurrit, in qua quidam in ſuis veſtibus huiuſmodi calliculas praeferens.

Pag 85. quis eſſet ad operandum. *adde:* Confirmari id aliquatenus ex *Claudiano* poteſt, qui *libro III. De laudibus Stilicon.* de Diana loquens canit:

——— *duo cingula veſtem*

Crure tenus pendere vetant.

Pag. 87. comprehendere datur. *adde:* Hinc S. *Aſterius* Amaſenus *Oratione de S. Euphemia*, quae anno CCCVII. paſſa eſt, ait eam depictam ſe vidiſſe pulla veſte ac pallio philoſophiam profeſſam. Sic mater pueri, qui cum Romano paſſus eſt,

Talia retexens explicabat pallium,

Manuſque tendebat ſub ictu & ſanguine,

apud *Prudentium*.

Pag. 91. Fides penes Auctorem eſto. *adde*: Marci Evangeliſtae corpus, quod Venetiis adſervatur, digitum aureo annulo inſignem habuit, ut *Io. Stringa Hiſtor. Vitae & Translation. S. Marci* teſtatur. Sed quid de eo ſentiendum ſit alii viderint.

——— a quibusdam oſtenditur. *adde:* Annulum a S. Saturo Pudenti donatum fuiſſe, & quidem proprio ſanguine adſperſum, perhibent *Acta SS. Perpetuae & Felicitatis*.

Pag. 92. *De annulis cap. XIII. adde*: Sed in primis conſulendus eſt *Boldettus Lib. II. cap. XIV.* ubi plures huiuſmodi annulos Chriſtianorum profert e ſepulcris effoſſos.

Pag. 94. nuſquam cernere eſt. *Lege*, raro cernere eſt.

——— *Comment. Cap. VII.* Adde: Et in vetuſtis picturis Codicis Evangeliorum Syriaci, de quo alias mentionem fecimus.

Pag. 96. fere ſemper occurrunt. *adde:* Et in antiquis picturis Codicis Evangeliorum Syriaci, Maria Deipara calceata ſemper adſpicitur.

Pag. 98.

Pag. 98. Severanus, & *Bonarotius*: *adde:* Quamquam, quod dicimus, veſtis formam Chriſtianos cum Ethnicis habuiſſe communem, intelligendum eſt de veſtibus, quae nullam ſuperſtitionem praeſeferrent; ſecus enim Chriſtiani omnino iis abſtinebant, prout de coronis diximus, & conſtat ex *Actis SS. Perpetuae & Felicitatis*, ubi: *Et quum delati eſſent in portam, & cogerentur habitum induere: viri quidem ſacerdotum Saturni; feminae vero, ſacratarum Cereri: generoſa illa in finem uſque conſtantia repugnavit*.

Pag. 102. Et *Calmetium* videre eſt: *adde:* Quod ſi *Tertulliani* auctoritatem ſequi luberet, quasdam etiam mulieres divites Chriſto adhaeſiſſe dicendum eſſet: ita enim *Lib. IV. adverſus Marcionem* ſcribit: *Divites Chriſto mulieres adhaerebant, quae & de facultatibus ſuis miniſtrabant ei, inter quas & uxor regis procuratoris*.

Pag. 115. peculiariter differemus: *adde*, Et idem ſentiendum videtur, ubi invenerimus aut primitivos Chriſtianos cum Ethnicis Philoſophis diſputantes, aut ſcholas inſtituentes, atque in iis docentes, de quibus pluria congerit eruditus *Nourrius Adpar. ad Biblioth. max. Patr. Diſſert. I. in ſaecul. 1. cap. X.*

Pag. 147. Videre eſt: *adde:* Apud *Aſſemannum Tom. III. Biblioth. Orient. Par. I.* in Catalogo mox citando legitur. *Anaphora S. Matthaei Paſtoris:* ad calcem autem Codicis haec adnotantur: *Explicit Liturgia S. Matthaei Paſtoris, qui & Hermas, unus ex LXX.* Num hinc ortus error ut Liturgia quaedam Matthaei Evangeliſtae crederetur?

Pag. 147. Secundum Syros vocabatur. *adde: Praedicatio S. Matthaei Apoſtoli Hierapoli* memoratur apud *Aſſemannum Tom. III. Biblioth. Oriental. Part. I. in*

Catalogo Codic. MSS. Oriental. ad Congr. de Prop. Fid. tranſmiſſorum.

Pag. 147. omnino conſulendus: *adde:* Inſuper in Codice Librorum Novi Federis Italico Bibliothecae Bargiacchianae, Marci Evangelium tertio loco poſitum eſt, ut inferius *Cap. XIII. ſect. IV. §. I. n.* CC. *pag.* 312. videre eſt.

Pag. 148. facile ſubſpicemur: *adde*, Et quidem in Codice Latino Bibliorum Bibliothecae Laurentianae, quo de agimus inferius *Cap. XIII. ſect. II. §. I. num. LXXXV.* adnotatum eſt, Evangelium Ioannis ſtatim poſt Evangelium Matthaei collocari, & verba ibidem exſcripſimus.

Pag. 160. ἐπιςέλλων. *adde:* Et quidem librorum curam habebat, & Timotheo, ut ſibi libros & membranas adferat, iubet. *II. Timoth. cap. V.*

Pag. 165. in ipſis eius Epiſtolis exſtat: *adde:* Quare Tatianus Pauli Apoſtoli dictionem in clariorem & elegantiorem loquutionem redigere conatus eſt, quaedam in ea mutans & interpolans, ut ſcribit *Euſebius lib. IV. cap. XXIX.*

Pag. 168. *P. I. lib. I. cap. IV. §. V. adde:* Pauli Ὀράσεις ſeu *Viſiones*, commemorat *Marcus* Patriarcha Alexandrinus in *Quaeſitis;* niſi forte idem ſunt ac ἀναβατικόν.

Pag. 171. in Liturgiis Orientalibus. *adde:* Et *Nourrius Adparat. Diſſert. II. in ſaecul. I.* In Catalogo Librorum Orientalium ſtatim laudato apud *Aſſemannum* habetur *Praedicatio Sancti Iacobi fratris Domini, & Epiſcopi Ieruſalem.* Item *Abſolutio in fine Liturgiae, rhythmo Sancti Iacobi.*

Pag. 173. *Acta Petri* nuncupari. *adde:* In Catalogo Librorum Orientalium ſupra laudato apud *Aſſemannum* recenſentur *Acta Sanctorum Philippi & Petri Apoſtolorum.*

Pag. 173.

Pag. 173. *Caveus*, Adde: *Nourrius Diſſert. II. in ſaecul. I.*

Pag. 177. Apocrypho agit. *adde:* Qui manu exaratus exſtat in Bibliotheca S. Crucis *Pluteo XIV. numer.* 166.

Pag. 186. *De Patribus Apoſtolicis. adde:* CLEMENTINAE eidem Clementi Romano tributae, opus *Recognitionibus* non abſimile, de quo pariter laudatus *Cotelerius*, apud quem exſtat.

Pag. 188. *Epiphanius Haereſ. LXIII. Adde:* PERIODI APOSTOLORVM.

PRAEDICATIO SANCTI BARTHOLOMAEI APOSTOLI IN CIVITATE VAHAT.

PRAEDICATIO SANCTI THOMAE APOSTOLI IN INDIA.

PRAEDICATIO SANCTI SIMEONIS FILII CLEOPHAE.

PRAEDICATIO S. MATTHIAE APOSTOLI; qui quidem quinque Libri recenſentur in *Catalogo Librorum Oriental. MSS. Sacrae Congreg. de Propag. Fide* apud *Aſſemannum Tom. III. Biblioth. Oriental. Par. I. num. XVIII.*

Pag. 188. *Tom. II. Patrum Apoſtolicorum. adde:* PETRI ET PAVLI SANCTORVM APOSTOLORVM CONSTITVTIONES Πέτρου καὶ Παύλου τῶν ἁγίων ἀποστόλων διατάξεις. Hunc Titulum praeferunt Conſtitutiones quaedam illis Apoſtolis tributae, quae Collectionem quamdam Canonum Eccleſiaſticorum & Legum Imperatoriarum in quinquaginta Titulos diviſam; praecedunt in *Codice Graeco Membranaceo MS.* forma folii Bibliothecae Laurentianae *Plut. X. n.* 10. Illarum initium eſt, quod ſequitur: Ἐγὼ Πέτρος καὶ Παῦλος διατάσσομεν ἐργάζεσθαι τοὺς λαοὺς ε´ ἡμέρας κτλ. Has Conſtitutiones is titulus conſequitur: Περὶ τοῦ φυ-

λάτ-

λάτταν ἕκαςον τὴν τάξιν καὶ λειτουργίαν. Συναγωγὴ κανόνων ἐκκλησιαςικῶν εἰς πεντήκοντα τίτλους διῃρημένη. Hae Conſtitutiones Petri & Pauli a *Cotelerio*, quod ſciam, non memorantur; nec alibi eas vidi.

Pag. 189. Italice converſa. *adde:* Exſtat etiam Latine in Bibliotheca S. Crucis *Plut. XIV. n.* 166.

Pag. 205. *Bargiacchiorum:* Adde: *Neriorum*, *Venturiorum*, *Martiniorum*, *& Bartoliniorum*.

Pag. 206. Non ſemel animadverti. *adde:* Sic Fridericus Vrbinì Dux, auro, argento, purpura, & holoſericis tegminibus, libros, quos magno numero collegit, inſtruxiſſe traditur a *Leandro Alberto* in ſua *Italiae Deſcriptione*.

Pag. 209. *Gaddios: adde: Cerretanios*, & *Auguſtinum Cerretanium* praecipue, Florentinae Eccleſiae Canonicum longe Reverendiſſimum.

Pag. 210. *Alex. Politus. adde:* Congregationis Scholarum Piarum Sacerdos, &

Pag. 211. Poëtas iam & oratores. *Lege* Poëtas & Oratores.

Pag. 218. quod deinde conſequitur. *adde:* Huiuſmodi Synaxaria per menſes ſaepe digeruntur, quale eſt quod Goarius in fine Euchologii edidit: & quando tam Evangelia quam Lectiones continent, *ἀποςολοευάγγελα* adpellantur.

Pag. 221. potans mentem. *adde:* Qui quidem verſus iam ab *Allatio Diſs.* 1. *De Lib. Eccleſ. Graec.* editi fuerunt.

——— in margine. *adde*, Sicuti etiam videre eſt in editione N. T. a *Rob. Stephano* adornata.

Pag. 226. *non rationalis. Lege: non oratoriae*,

Pag. 226. XXIV. XXV. *adde:* Et hi quidem Prologi, qui ſingulis Evangeliis praefiguntur, a Theophylacto ipſo compoſiti fuerunt, ut elucet ex editione

tione Novi Teſtamenti a *Rob. Stephano* facta, in qua ſub illius nomine hi Prologi habentur. Conſulendus de his inferius *numerus XXI.*

Pag. 227. *Benefaciat omnibus audientibus*. Adde: Hi verſus ab *Allatio* quoque *Diſſert. I. De Lib. Ecclеſ. Graecor.* editi fuerunt, quos tamen diverſe alicubi legit, ut pro εὐεπιμόλοις, εὐεπιξόχοις; pro Λεόντιον, Ἰωάννην; pro εὐθυμίας, εὐβουλίας; pro ἐσπουδασμένον, ἐσπουδασμένοις; pro συντόνοις, συντόνως; pro καλλιγραφήσαντα, καλλιεργήσαντα. In interpretatione pro *ſtantibus*, lege, *adrectis auribus*. & pro, *Leontium mirare, tranquillitatis. lege: Leontii mirare ſolertiam.*

Pag. 231. adflatu divino: *adde:* Horum verſuum quosdam edidit *Allatius Diſſ.* 1. *De lib. Ecclеſ. Graec.*

Pag. 233. *In comprehenſionem Prodromi*. Lege. *In conceptionem Praecurſoris.*

Pag. 237. Patri adparuit. *adde:* Secundum Epigramma ab *Allatio* quoque editum eſt; ſed apud eum pro ἐπιίζωρ legitur ἐπιβήτωρ; & pro ἐδαίχθη, ἐμίχθη.

Pag. 238. *§. ſequentem num. ultimo*. Lege *§. XIII. huius ſectionis.*

Pag. 248. antiquis enarrantur. *adde:* Hunc Codicem ſcriptum anno CCCXCIV. tradit *Langius*, ſed falſo; nam ſcriptio ipſa ſe eſſe ſequiorum temporum manifeſtat.

Pag. 252. ἤρξατο κτλ. *adde*: Et quae *Robertus Stephanus* in ſuo Novo Teſtamento edidit.

——— ἐπὶ Νέρωνος κτλ. *adde*: Hoc autem edidit *Monsfalconius* in *Palaeographia*.

Pag. 257. Epiſtolis praemittuntur. *adde:* Et hi quidem Prologi, ſeu argumenta fere omnia, edita ſunt, vel in Moguntinis Bibliis, quae in Bibliotheca Laurentiana adſervantur, vel in Bibliis Rob. Stephani, vel in Lugdunenſibus anni MDXXV.

Pag. 295.

Pag. 295. Forte expoſitiones Pelagii ſunt. Id totum delendum.

Pag. 349. quaereret auctoritatem. *adde*: Colophonem addat vir eruditiſſimus *Ger. Io. Voſſius*, etſi heterodoxus, *Lib. III. De Idoloiatr. cap.* IC. ita ſcribens: *Nec enim neceſſe eſt credamus, Clementem ſciſſe omnia, quae facerent ad arcana naturae. Ne id quidem credere eſt opus de Apoſtolis; licet Chriſtus Ioan. XVI. 13. promiſerat miſſurum ſe Spiritum Sanctum, qui in omnem eos duceret veritatem. Quippe hoc reſtringendum ad veritatem earum rerum, quae ad ſalutis pertineant negotium: imo ne harum quidem omnium; quia Apoſtoli ipſi* (I. Corinth. XIII. 9.) *ex parte viderunt, & prophetarunt: ſed omnium, quae ſcire eſt opus alteram ad vitam conſequendam.*

INDEX

Digitized by Google

INDEX

RERVM MEMORABILIVM.

A

Abdias, & eius ſcripta, 115. 185.
Abdon & Sennen, Perſae, 59. 97.
Abgarus Edeſſae rex an Chriſtianus, 105. 178.
Abraxae, 92.
Achaiae Presbyterorum Epiſtola. Vide, Acta S. Andreae.
Acta Apoſtolorum, apocrypha, 185. & ſeqq. 188. Manuſcripta, 218. uſque ad 225. 243. uſque ad 249. 255. uſque ad 249. 255. uſque ad 269. 283. uſque ad 186. 308. uſque ad 313. 322. uſque ad 324. a Luca ſcripta, 155. quando, & an Petro dictante, ibidem.
Acta S. Andreae, 115. 177. 179. 185. 186. S. Barnabae, 187. S. Matthiae, 187. S. Pauli, 167. 249. S. Petri 172. 186. 249. Petri & Pauli, 249. S. Philippi, 179. Pilati, 181. S. Thomae, 179. 186. S. Ioannis, 404. Acta SS. Philippi & Petri, 424.
Actia Innocentia, 374.
Adaeus Apoſtolus, 156. 178.
Adulterae hiſtoria in Codice Syriaco deeſt, 304.
Aegidius, Auguſtinianus, 315. 317. Pariſienſis. 270.
Afra & Sociae Martyres, 418.
Agape, 51.
Agheus Thadaei diſcipulus, 418.
Agrammatos quid, 410.
Alamannius, Andreas. 211.
Alexander Cyprius 187
Alexander Magnus quanti Homerum fecerit, 206.
Alogi haeretici, 394. 399.
Altercatio Iaſonis & Papiſci, cui tributa, 156.
Amanuenſes Apoſtolorum, 196.
Ambarachi Petrus, 299.
Anabaticon Pauli, 168.

Analphabetos, 411.
Anaphora Matthaei Paſtoris, 423.
Andreas Apoſtolus piſcator, 30. 36.
Annulorum uſus apud Chriſtianos, 90. Annulus Mariae Deiparae, 91. S. Zenobii Florentini 91 eorum ſigna apud Chriſtianos, 91. 92.
Antiquaria ſcientia Florentiae prope ortum debet, 208.
Antonini de Villa Baſilica Epiſtola ad Deiparam, 190.
Antonius Bruciollus, 18.
Apocalypſis Ioannis MS. 218. 253. 255. 283. 296. 298. 308. 326. Sublimis, & an Ioannis foetus, 397. Vide Ioannes Apoſtolus.
Apocalypſis Pauli, 167. Petri 172. S. Stephani, 191. S. Thomae. 180. Cerinthi, 398.
Apocrypha a divinis Scriptoribus interdum citantur, 6. 8. 160. 173. Apocrypha Novi Teſtamenti, 146 152. 156. 166. 170 172. 176. & ſeqq. Non obſiciunt veritati ſcripturarum canonicarum, 192. tot numero non ſunt quot videntur, 193.
Apodemiae Pauli, 247. 252.
Apollos, 101. 115.
Apoſtoli, humiles & abiecti homines, 26. 125. eorum patriae obſcurae & ignobiles, 28. Galilaei habebantur, ibid. Piſcatores. 28. Ruricolae, 29. Tentoriorum opifices, ibid. Publicani, ibid. Nautae, ibid. eorum artes, 30. & ſeqq. an eas poſt vocationem exercuerint, 30. Pauperes, 31. 37. 125. barbati, 63. pauperum conſuetudine uſi, 32. ante vocationem innocentes non erant, 33 & ſeqq. Principes Iudaeorum adverſarios experti, 39. Feminas circumducebant, 45. tunica induti, 70. pallio, 71. 72. quo colore, 78. 80. cum fibulis gemmatis, 80 zona uſi. 84. 85 epomide 90. brevibus capillis, 61. ſandaliis uſi, 93. nudis pedibus, 94. illitterati & imperiti, 116. & ſeqq. 293. 339. 340. 408. & ſeqq. eorum gloria eſſe indoctos 125. qui eos doctos adſerunt deridendi. 133. cur barbare loquuti ſint, 135. an Syriace ſcripſerint, 137. 202. cur ſtilo ſimplici, 140. 141. 142. cur imperiti a Chriſto electi, 271. 329. & ſeqq. quae a Chriſto didicerint, 344. quae ex Spiritu Sancto, 345. 391. profitebantur ſe eſſe indoctos, 350. cur interpretibus uſi, 353. an omnibus linguis loquerentur, 351. & ſeqq. diſerte loqui neſciebant, 353. ignorabant ſaepe qua lingua loquerentur, 357. linguis nondum exſtantibus non loquebantur, 360. non omnes aeque docti aut diſerti, 361. eos indoctos fuiſſe debent profiteri Chriſtiani, 407. eorum ſapientia, 369.
Apoſtolici, 186.
Apotactici, 186.
Aquila Ponticus tabernaculorum opifex, 32. 41. ſe tondet, 60.
Areopagitae nobiles, 103.
Argyropylus reprehenſus, 288.
Ariani Epiſtolam ad Ebraeos reiiciebant, 157.
Ariſtides Philoſophus, 56 74.
Ariſto Pellaeus, 156.
Arſenius Monembaſiae Archiepiſcopus, 241.
Artes Apoſtolorum, 30. & ſeqq.
Aſcetae pallio induti, 99.
Aſtrologia a Chriſtianis reiecta, 108.

Bacu-

Digitized by Google

B

BAculum Apoſtoli an ferrent, 92.
Barbam alere quando Romani inceperint, 63. Eam caedere aut vellere improbatum, ibid.
Barnabas Apoſtolus manibus victum quaerebat, 31. Facie amabilis. 55. Eius ſcripta, 115 An Evangelium Matthaei graece verterit, 145. 197. Epiſtolae ad Ebraeos auctor, 158. Eius corpus in Cypro repertum, 197.
Bartholomaeus Apoſtolus olerum ſator, 30. Piſcator, 30. Nobilis, 36. Vultu hilaris, 55. Colobio induebatur, 71. Eoque albo, 76. Et clavato, 79. omnibus linguis loquebatur, 359. eius Praedicatio, 425.
Baſilius Calligraphus, 229.
Bernabos Vicecomes, 284.
Bernardinus Ochinus, 18.
Beſſarionis Cardinalis Libri, 206.
Bethſaida, 388.
Beza (Theodorus) Fauſto Manichaeo frigidam ſuffundit, 128.
Bibliotheca Riccardiana, 205.
Bibliothecae Florentinae variae, 205. 238.
Binius. Ioſeph Clemens, 212.
Biſcionius. Ant. Maria, 217.
Bondelmontius. Ioſephus, 211.
Bonarotius. Philippus, 209.
Bonifacius martyr, 421.
Bottarius. Ioannes, 209.
Breſcianius. Benedictus, 209.
Brucherus. Iacobus, 20.
Bruciolius. Vide Antonius.

C

CAecilius Iacobi diſcipulus, 406.
Cainiani Haeretici, 170.
Caius Ioannis Evangeliſtae Interpres, 200.
Calceati Veteres domi non manebant interdum, 92.
Calcei Ebraeorum, 93.
Caligae, 93
Calliculae quid, 82.
Calvinus. Ioannes, 399.
Calumniae adverſus Lamium ſtructae, 2. 3. 7. 10 19. 21.
Calumniae de religione potiſſimum refellendae, 21.
Canones Apoſtolici, 188.
Canones Synodi Antiochenae, 188.
Canon Librorum N. Teſtamenti, 184.
Capaſſius, Gerardus, 210.
Capillorum nimia cura improbata, 420.
Capillamenta adſcititia, 66. 68.
Capite aperto Chriſtiani & Iudaei & Ethnici incedere ſolebant, 57. 58.

Caput

Caput velare debet mulier, 61.
Carneſecchius. Vide Petrus.
Catechumeni baptiſſandi candida veſte uſi, 77.
Catenae in ſacram Scripturam etiam ex Heraeticorum dictis conſertae, 8
Cavarruvias. Vide Didacus.
Celſus Apoſtolos tamquam nefarios homines calumniatur, 34.
Cephas a Petro diverſus, 172
Cerdo, 399.
Cerdones Chriſtianos vocat Iuvenalis, 41.
Cerinthus haereticus, 115. 394. 398
Charkel oppidum Meſopotamiae, 299.
Chaſtillionius, Sebaſtianus, a Beza iniuria reprehenſus, 128.
Chlaena lanea, 75.
Chlamys, 75.
Chriſtianiſmus mirabili ratione inductus, 329. Sola Dei virtute, 333.
Chriſtiani primitivi ignobiles & pauperes ut plurimum, 38 Artifices, 41. Cerdonum nomine a Iuvenale traducti, 41. Saepe variorum criminum rei, 45. pauperes, 47. Ebionitae adpellabantur, 48. paupertatem ſibi gloriae vertebant, 49. mutua eorum dilectio, 50. eorum omnia communia, 50. Caritas erga Martyres & pauperes, 51. quantum mortem pro Chriſto ſubire expeterent, 53. cauſſas moriendi ipſi faciebant, 53. eorum etiam erga Ethnicos beneficentia. 54. Vaſa pretioſa ſacris adhibebant, 54. maeſti & extenuati, 54. ſeveri, 55. male veſtiti, 55. Chriſtiani ſtatim ac tales effecti erant ſimplicioribus veſtibus utebantur, 56. 80. non tamen formam veſtis immutabant, 56. 57. ſine pileo & capitis tegmine, 57. nec ſertis nec floribus uſi, 59. niſi recens baptiſſati, 60. Comam attondebant, 60. 61. 64. tunica induebantur, 61. & pallio, 62. Veſte ſimplici utebantur, 72. Graeci vocabantur, & Impoſitores, & Imponentes, & Epithetae & cur, 72. veſtibus pretioſis abſtinebant, 75. eos candidae decebant, 76. ſaepe nudis pedibus, 95. veſte communi utebantur, 57. 97. varia autem forma variis de cauſſis, 97. eorum quidam nobiles & iocupletes, 100. multi nobiles poſt Hadriani tempora, 104. imperiti & litterarum rudes, 106. ignaviae inſimulati, 106. a publicis negotiis abſtinebant, 107. a docendis litteris abſtinebant, 107. item a pictura, ſculptura, aſtrologia, 108. indocti paſſim habiti, 108. eorum creduiitas ſugillata, 109. doctos ſapienteſque homines averſari crediti, 109. & ſtolidos abiectoſque recipere, 109. barbari vocati, 109. eorum dogmata amentia & ſtultitia reputata, 110. eorum virtus pervicacia & deſperatio habita, 111. ſe indoctos profitebantur, 111. profanas doctrinas contemnebant, 112. 376. eas habere prope iis interdictum; 112 113. eorum eruditio qualis, 113. eorum placita ſomnia & deliramenta reputata, 43. eorum ſapientia, 44 docti tandem, & cur, 386. eorum ſapientia qualis, 369. & ſeqq. ſtudia, 375. & ſeqq. cur aetherii adpellati, 379. quo ſenſu Philoſophi, 379. doctos etiam recipiebant, 382. litteriſque ſtudebant, 383. Eruditi, profanae ſcientiae ornatus deponebant, 384. pretioſis veſtibus induti ſepeliebantur, 421.
Chriſtus an umquam mendicaverit. 32. in eum calumniae, 36. Cur humiles & abiectos Apoſtolos elegerit, 37. Veſtitu incultus, & vultu

vultu inglorius, 56. capillis promiſſis, 62. & criſpis, 63. item brevibus, 63. tunica & pallio utebatur, 69. an tunica alba, 76. & ceteris indumentis albis, 78. nihil ſcripſit, 192. qua doctrina Apoſtolos inſtruxerit, 344. omnia eis non revelavit. 345. quae a Spiritu Sancto eos docendos praedixerit, 345. poſt reſurrectionem Iacobum, Petrum, & Ioannem ſcientia donavit, 351.
Cingulorum uſus, 83.
Clemens XII. P. M. 209.
Clemens I. Romanus Epiſcopus & eius ſcripta, 114. 115. 425. Epiſtolae ad Ebraeos auctor, 158. 201. opera ſuppoſititia, 186.
Clemens vir Conſularis Martyr, 104. 107.
Cleobius haereticus, 115.
Clerici an veſte a laicis differrent antiquitus, 98. pallio utebantur, 98. 99.
Codex Mediceus Epiſtolarum Polycarpi & Barnabae, 35.
Codices MSS. Novi Teſtamenti qui Florentiae adſervantur, 204. Codices MSS. fere in ſingulis Florentinorum aedibus, 204. Codicum MSS. utilitas, 215.
Codices MSS. Novi Teſtamenti Graeci, 218. Latini, 255. Orientales, 299. Italici, 308.
Collationes Chriſtianorum ut ſibi invicem praeſto eſſent, 47.
Colobium quid, 71. Clavatum purpura, 79. 80.
Colores veſtium, 75. reiiciendi a Chriſtianis, 77. color pullus pauperum, 80.
Coma attonſa Chriſtianorum & Ethnicorum, 60.
Conſtitutiones Apoſtolicae, 188.
Corinthii ſuas virgines velabant, 67. Corinthii quidam Chriſtiani nobiles & locupletes. 101. Corinthiorum ad S. Paulum Epiſtola, 167. Corinthii quibus linguis loquerentur, 360.
Cornelius Centurio, 101.
Corſinius. Eduardus, 210.
Coſmas Medices, 281.
Cratonis Libri, 186.
Crepidae, 93.
Cucullus, 71. 86.
Cyprianus Martyr, 55. comam attondet, 61. eius methodus in revincendis Ethnicis reprehenſa, 5. eloquentia, 384.

D

DAmaris Dionyſii Areopagitae uxor, 103.
Davia. Io. Antonius Cardinalis, 16.
Deſpoſynorum de genere Chriſti narratio, 182.
Diaconiſſae, 45.
Didacus Covarruvias, 19.
Didaſcalia Apoſtolorum, 187.
Didymus Martyr, 419.
Dionyſius Alexandrinus quid de ſtylo Ioannis Evangeliſtae ſenſerit, 133. libros haereticorum legebat, 19.

Dionyſius Areopagita colobio indutus, 71. pallio amictus, 72. colobio albo indutus, 16. pallio purpureo, 77. 80. Chriſtianus factus, 103. eius ſcripta, 115. eius uxor Damaris, 103. eius miraculum. 271.
Diſcincta, 76.
Diſcipuli Chriſti humiles & abiecti 36. vide Apoſtoli.
Docti tandem Chriſtiani, 386.
Doctores Orientis 157.
Doctrina Apoſtolorum, 187. Doctrinae inter ſe connexae, 212. Doctrinis pluribus ſimul vacandum, 212.
Dominicus a Piſis Dominicanus, 310. 323. 324.
Dominicus Cavalca, 311.
Domitilla vidua martyr, 104.
Domitilla virgo martyr, 104.

E

EBionitae Chriſtiani primitivi adpellati, 48. deinde haeretici quidam Nazaraeorum propago, 49. Evangelium Matthaei interpolarunt, 147. pluria ſub Iacobi nomine vulgarunt, 170. 180. Ebionitarum Evangelium, 182. Acta Apoſtolorum, 186.
Ebraeorum Philoſophia, 381.
Eloquentia Scriptorum N. T. qualis, 129. & ſeqq.
Empedocles, 111.
Encratitae, 182. 186.
Encyclopaedia comparanda, 215.
Engedinus, Georgius, 400.
Enochi Liber, 174.
Epaphroditus Neronis libertus an Chriſtianus, 102.
Ependvres, 71. 86.
Epheſiorum ad Paulum Epiſtola, 167.
Ephod, 90.
Epiſcopus quando haereticorum libros legere debeat, 18.
Epiſtola ad Ebraeos an a Luca ſcripta, vel Graece verſa. 156. 157. Ab Manichaeis, Arianis, & Eccleſia Occidentali reiecta, 157. a privatis Scriptoribus Occidentalibus admiſſa, 158. Clementi tributa, ibid. Barnabae tributa, ibid. Tertulliano, ibid. eleganter ſcripta, 159 Paulus eius auctor diverſus ab Apoſtolo, ibid. Helleniſtae foetus, ibid.
Epiſtola ad Laodicenſes Paulo tributa, 166. 257. an genuina unquam exſtiterit, 166 ſub huius titulo Marcionitae legerunt Epiſtolam ad Epheſios, 166.
Epiſtola Corinthiorum ad Paulum, 167.
Epiſtola Didymi ad Alexandrum Magnum, 282.
Epiſtola Epheſiorum ad Paulum, 167.
Epiſtola Florentinorum de miraculo S. Petri Ignei, 279. Epiſtola Petri ad Iacobum, 173. ad Clementem, ibid. quaedam deperdita, ibid.
Epiſtola Haemorrhouſae ad Herodem, 192.
Epiſtolae Pauli & Catholicae MSS. 218. uſque ad 225. 243. uſque ad 253. 255. uſque ad 269. 285. uſque ad 298. 308. uſque ad 312. 324. uſque ad 326.

Epiſtolae D. Pauli ad Corinthios novae interpretationis ſpecimen, 289.
Epiſtolae Polycarpi, Barnabae, & Ignatii in eodem olim codice deſcribebantur, 35.
Epiſtolae Severae ad Paulum, & Pauli ad Severam, 102.
Epiſtolaria. Vide Lectionaria.
Epithetae Chriſtiani dicti, 72.
Epitrachelion, 90.
Eponſis, 90.
Eraſmus reprehenſus. 287.
Eſaiae filius, 363.
Eſurire iuſtitiam quid, 32.
Ethnici capite aperto ſaepe incedebant, 58.
Evangelia MSS. 218 uſque ad 243. 255. uſque ad 283. 299. uſque ad 307. 308. uſque ad 322. 327.
Evangelia ſtatim in varias linguas converſa, 203.
Evangeliſtae ubi & quando ſcripſerint, 277. vide ſub propriis nominibus
Evangeliſtaria Graeca a Florentinis emta, 395. Vide Synaxaria.
Evangelium Aeternum, 181.
S. Andreae, 177.
Apellis, 181.
XII. Apoſtolorum, 179. Nazaraeorum, 179.
S. Barnabae, 181. 182.
S. Bartholomaei, 177.
Cerinthi, 181.
Encratitarum ſeu Tatiani. 182. 185.
Evae, 183.
Iacobi, 170.
S. Iacobi Maioris, 177.
Ioannis. Vide Ioannes.
Infantiae, 170 176.
Iudae Iſchariotae, 178.
Iudae Thaddaei, 178.
Leucii, 183.
Lucae, Vide Lucas.
Marci, Vide Marcus.
Marcionis, 183.
Matthaei, Vide Matthaeus.
Matthiae, 178
Nicodemi. 180. dicitur etiam Ioſephi ab Arimathia, 181. eius paraphraſis Italica, 181.
Pauli, 168.
Perfectionis, 184.
Petri, 172.
S. Philippi, 178.
Quoddam apud Muhammedanos, 182.
Secundum Aegyptios, 181.
Secundum Ebreos, 147.
Secundum Syros, 184.
Simonianorum, 184.
Simonitarum, 181.
Terebinthi, ſeu Manichaei, ſeu Scythiani, 183.
Thomae, 176.

Evang. Thomae Manichaei, 176.
Valentini, 185.
Veritatis 185.
Vivens, 183.
Vivum, 185.
Eunuchus Candacis Reginae, 101.
S. Euphemia, 422.
Ezechielis ſtilus, 363.

F

Faber Stapulenſis reprehenſus, 287.
Fabricius. Io. Albertus, Apocrypha novi Teſtamenti collegit, 176. 193.
Fauſtus Manichaeus negat libros N. T. eſſe foetus Apoſtolorum & Diſcipulorum Chriſti praeter Ioannis Evangelium, 128.
Fauſtus Socinus, 18.
Feminae. Vide Virgines, Mulieres, Sponſae, Viduae, Veſtis. Feminae Chriſtianae ſimplicibus veſtibus uſae, 86. ſimiliter prope ac viri veſtiebantur, 87. calceatae, 96. Ethnicae ſoleis uſae, 96.
Feriandi tempus, 263.
Fibulae gemmatae ante pectus Apoſtolorum, 80. 90.
Fimbria veſtis Chriſti, 77. Fimbriae cur Iudaeis uſitatae, 79. violaceae vel coccineae, 79. qua forma & ubi adligatae, ibid.
Flammeum Sponſae Chriſtianae primitus non uſurpabant. 68.
Florentia Codicibus MSS abundat, 204. item Hiſtoricis. 212.
Florentini quando Chriſtianiſmum amplexi, 190. acri ingenio praediti, 207. Florentini rei antiquariae ſcriptores, 209. Geometrae, Philoſophi, Philologi, ibid. Poëtae & Oratores, 211. omniiugis eruditionis, 212.
Formilius. Vide Petrus Formilius.
Fridericus Vrbini Dux, 426.

G

Galilaea regio contemta & minus culta, 28.
Gallicae, 93
Gamaliel, 101. 115.
Genealogia Chriſti, mulieres tantum, quas Scriptura reprehendit eas continet, 35.
Georgius Longus Calligraphus, 241.
Gherardus. Robertus, 211
Glaucias Petri Interpres, 172. 200.
Gnoſtici, 178. 184.
Gorius. Ant. Franc. 209. 306.
Graeci Chriſtiani dicti, 72. 73.
Grypho Scriptor Franciſcanus, 393.

Hadria-

H

HAdrianus Imperator templa Chriſto aedificare cogitat, 195.
Haeretici Scriptores. Vide Scriptores Haeretici.
Hermannus librarius, 273.
Hermes & eius ſcripta, 114. 173. 202. 423. eius librorum interpres. 202.
Heſychius Evangelia correxit, 185.
S. Hieronymus lapſus, 35. flagellis caeſus, 306.
Hieronymus Peripateticus, 174.
S. Hilario quomodo indueretur, 71. & quam ſordide, 81.
Hilarius Diaconus, 293.
Hiſtoria S. Marci, 186.

I

IAcobus Apoſtolus nauta, 29. piſcator, 30. 38. publicanus, agricola, 29. lapicida, 30.
Iacobus Epiſtolae auctor quis? 169. graece ſcripſit, ibid. eius filius, ibid. Evangelium ei tributum, 170. narratio de adſumtione Mariae Deiparae, ibid. Matthaei Evangelium graece reddidit, 170. 198. eius Liturgia, 170.
Iacobus Ieroſolymorum Epiſcopus linea veſte utebatur, 75. an Evangelium Matthaei in graecum verterit, 145. eius praedicatio, 424. rythmus, ibid.
Iacobus Minor Apoſtolus auream laminam in fronte geſtabat, 58. nunquam ſe totondit, 63.
Ieiunium quatuor temporum quando ſervandum, 262.
Ieremiae Prophetae filius, 363.
Ieremias Patriarcha, 303.
Ignatius Antiochenus & eius ſcripta, 114. 115.
Imperitia & imperitus quid, 410.
Impoſitores Chriſtiani dicti, 72. 73.
Induſium, 89.
Inſpiratio quotuplex & qualis, 362. & ſeqq.
Interpretandi ratio, 310. 313.
Interpretes in Eccleſia, 196. 202 Apoſtolorum, ibid. Latini Novi Teſtamenti, 201. eis utebantur Apoſtoli, 357.
Ioannes Antonius Davia Cardinalis, 16.
Ioannes Apoſtolus nauta, 29. piſcator, 30. 36. 388. an nobilis & dives, 36. tunica utebatur, 71. Latronum ducem ad meliorem frugem convertit, 46. numquam ſe totondit, 63. auream laminam in fronte geſtabat, 58. linea veſte utebatur, 75. Ioannis Evangelium ſtatim Matthaei Evangelium ſequitur in aliquibus Codicibus MSS. 147. primo loco ponitur a quibusdam, 148. illiteratus omnino & indoctus, 117. 124. 389. 225. an etiam poſt acceptum Spiritum Sanctum, 391. in Aſia profanas doctrinas non hauſit, 391. Evangelium Matthaei graece vertit, 145. 198. Theologus dictus, 219. 223. 230. eius effigies, 228. eius Evangelium quo loco Novi Teſtamenti, 148. 263. 392.

eloquentiam ei Spiritus Sanctus infudit, 351. 401. pauper, 388. eius Evangelii ſublimitas, 393. 401. a quibus reiectum, 394. Graece ſcriptum, 394. eius autographum non exſtat Florentiae, 394. Syriace converſum, 396. eius Epiſtolae, 396. ſecundam & tertiam non recipit Eccleſia Syra, 396. an alterius Ioannis foetus, 396. an verſiculus VII. Capitis V. Epiſtolae I. genuinus ſit, 397. eius Apocalypſis quam ſublimis. 397. a quibus reiecta, 398. in Pathmo ſcripta, 399. Graece ſcripta. ibid. Ioannis ſtilus, 399. diverſus ab aliis Evangeliſtis, 400. Apocalypſis obſcura, 402. Apocalypſis ſtilus 402. Liber Ioanni falſo tributus de tranſitu S. Mariae, 403. alius de Ieſu ex cruce deſcenſu, 404. Liturgia, 405. Oratio, 405. Epiſtola ad Hydropicum, 405. Apocalypſis Apocrypha, 405. 406.

Ioannes Caſſianus, 404.

Ioannes Librarius, 273.

Ioannes Marcus, 187. 398.

Ioannes Presbyter, 396. 398.

Ioannes Tzutzuna, 245.

Ioannis Baptiſtae veſtis, 84. an pellis cameli eſſet, 85.

Ioſephus ab Arimathia, 101.

Iſocrates verſus interdum fundit, 174.

Iudaei capitis tegumento ut plurimum non utebantur, 58. Iudaei Sacerdotes Chriſtiani effecti, 101.

Iudas Apoſtolus publicanus, agricola, 29. eius nepotes agricolae, 30. 42.

Iudas Ieroſolymitanus Epiſcopus, 174.

Iudas Thadaeus, 173. eius Epiſtola & ſtilus, ibid. Apocryphis uſus, ibid.

Iudicium Petri, 173.

Iuſtinus Martyr, 56. 74.

Iuvenalis cerdonum nomine Chriſtianos indicat, 41.

L

LAelius Secinus, 18.

Laici antiquitus an veſte a Clericis diſtinguerentur, 98.

Lamius. Io. cur methodum illam commentariorum de recta Trinitatis Fide adhibuerit, 19. eius iuſtae querimoniae, 21. & ſeq. eius caritas, 25. quam multis negotiis occupatus, 25.

Laurentius Medices, 207.

Laus Apoſtolorum, 187.

Lectionaria, 254. 298. 326.

Lectiones Scripturarum per annum, 264.

Leontius Calligraphus, 227.

Leo Philoſophus, 177.

Leucius Charinus, 167. 172. 179. 183. 404.

Liber de Infantia Ieſu Chriſti, ſeu de ortu S. Mariae, 146.

Liber de partu Mariae, 189.

Liber de Sancta Maria & Obſtetrice, 134.

Liber Eliae Prophetae, 8. Iannis & Mambris, 8. Enochi, 8.

Liber originis Chriſti, 182.

Libri

Libri pretioſis tegumentis ornati, 206.
Libri profani a primis Chriſtianis concremati, 13. 112. 378.
Librorum haereticorum lectio prohibita, cum a canonibus, tum a legibus, 13. Libri haereticorum qua cautione legendi, & qua ratione vetentur, 14. 15. & ſeqq.
Linguarum donum quale eſſet in Apoſtolis, 351.
Linus 186.
Liturgia Apoſtolorum, 156. 178.
Liturgia Petri, Marci, Iacobi. Vide Petrus, Marcus, Iacobus.
Liturgia Petri 173.
Loron quid, 90.
Lucanus. Vide Lucas.
Lucas an apocrypha Evangelia legerit, 8. an Matthaei Evangelium Graece verterit. 145. Poſt Matthaeum & Marcum ſcripſit, 153. Pauli praedicationem ſcriptis conſignavit, 153. 168. Medicus Antiochenus, 154. multorum fidem ſequutus, ibid. cur Evangelium ſcripſerit, ibid. quo tempore aut quo loco incertum, ibid. Graece ſcripſit, ibid. Graece atque Ebraice eruditus, 154. eloquentior aliis, 155. ſcripſit Acta Apoſtolorum poſt Evangelium, ibid. an Petro dictante, ibid. Pauli diſcipulus ac comes, 153. 155 eius filius, 155. Epiſtolam ad Ebraeos Graece vertit, 156. 195. immo eius auctor, ibid. Altercatio Iaſonis & Papiſci ei tributa, 156. eius epiſtola ad Galenum. 156. Matthaei Evangelium Graece vertit, 197.
Lucianus Evangelia correxit, 183.
Lucius Tarſenſis, 156.
Lupius. Ant. Maria, 209.
Lutherus. Martinus, 399.
Luxus Chriſtianarum feminarum, 68. primitivorum Chriſtianorum, 98.

M

MAcariſmi, 223.
SS. Magorum imagines, 59. 97.
Manes, 183.
Manichaei Epiſtolam ad Ebraeos reiiciebant, 157. Manichaei, 178. 184. 185.
Mannius Dom. Maria, 312.
Manuſcripti Codices Florentinorum, 204.
Marcellus, 186. 311. 323. eius ſcripta. 115.
Marcion, 183. 299. an interpolarit Evangelia, 184.
Marcionitae Epiſtolam ad Epheſios ſub titulo Epiſtolae ad Laodicenos legerunt, 166.
Marcus Evangeliſta petaſum pontificalem geſtabat, 58. poſt Matthaeum ſcripſit Evangelium, 147. in quibusdam Codicibus MSS. tamen non ſtatim poſt Matthaeum ſequitur, 147. Petri interpres, 148. 172. 200. ſcripſit quae ex Petro audierat, 149. 153. ordinem ſcribendo non ſervat, 149. Matthaei breviator, 149. eius ordinem perpetuo non ſervat, 150. ubi ſcripſerit, ibid. Graece ſcripſit, 151. Latine iuxta quosdam, 151. 305. eius verſio Latina antiquiſſima, 151. Ebraicam phraſim praefefert, 152. brevis,

vis, parcuſque verborum, 152. an duodecim poſtremi eius verſiculi genuini ſint, 152. ei Liturgia tribuitur, ibid. cur, ibid. Syri pertendunt eum N. T. Syriace vertiſſe, 152. 199. Petri Epiſtolam primam exaravit, 152. eius Evangelium poſtremo loco poſitum, 148. Epiſtolam I. Petri Graece vertit, 171. qua lingua Evangelium ſcripſerit, 199. eius pallium, 421.
Mariae Interrogationes, 184. Epiſtola ad Ignatium, ad Meſſanenſes, ad Florentinos, 189. ad Fratr. Antoninum de Villabaſilica, 190.
Maris, 157.
Marius martyr, 104.
Maronitae Chriſtiani ab antiquis temporibus, 303.
Martialis, & eius ſcripta, 115.
Martinus, Roſcius, 211.
Martius Medices, Americus, 177.
Martyrium Pauli Apoſtoli, 247. 252.
Matthaeus Apoſtolus publicanus, 29. dives, 36. Ebraica ſeu Syriaca lingua ſcripſit, 144. 304. qui id negaverint, 144. eius Evangelium autographum periit, 145. quis illud in Graecum verterit, 145. an ipſe Matthaeus verterit, 145. Ebraiſmis ſcatet, 146. eius ordo ab aliis diverſus, 146. Canonicum, ibid. Liber de infantia Salvatoris Matthaeo falſo tributus, ibid. item Liturgia, 147. Nazaraei non utebantur eius genuino Evangelio, ibid. eius Evangelium Ebionitae interpolarunt, 147. eius Evangelium a Iacobo Graece redditum, 170. ipſe ſuum Evangelium graece vertit, 198. initio ſui Evangelii librum quendam non allegavit, 182. eius praedicatio Hierapoli, 423.
Matthaeus Paſtor, 423.
Marnanus puer, 374.
Matthias Apoſtolus Publicanus, 30.
Mecattius, Ioſephus Maria, 212.
Medicea gens quammultos codices MSS. collegerit, 207.
Melotae, 85.
Mellitus Laodicenſis. 187. 404.
Memoria Apoſtolorum, 187.
Methodius Thytoracendita, 219.
Miſſale Armenum, 307.
Mitra virgines & ſponſae utebantur, 68.
Monachi Aegyptii ſandaliis tantum utebantur, 94. Monachi antiquum habitum retinuiſſe videntur, 71. 74. colobiis & pelle confecta indui, 71. tunica ſaccinea, & cuculla, & palliolo uſi, 71. barba prolixa & renibus accinctis, 76. eorum habitus, 77. 85. 97. eorum vita Philoſophia, 381.
Montanus, 418.
Moyſis adſumtio, liber, 174.
Muccinia, 89.
Muhammedanorum Evangelium, 182.
Mulier capite nudo orans, 68.
Mulieres Chriſtianae velare caput debent, 61. 65. comas alebant, 65. caput variis ornamentis inſtruebant, 66. quatenus velarentur, 67. Mulieres ut plurimum Chriſtianum dogma amplexatae, 42. in Eccleſia docere prohibentur, 44. divites Chriſto habebant, 423.
Munditiae quatenus in Chriſtianis, 82.

Muſea

Muſea Florentinorum, 208.
Muſeum Riccardianum, 206.
Mutius Scevola, 111.

N

NAironus. Fauſtus, 300.
Narratio de genere Chriſti, 182. 184.
Nazaraeorum votum, 60. ii genuino Matthaei Evangelio non utebantur, 147.
Nazarius Martyr, 104.
Nerlius Cardinalis, 395.
Neronis in familia quidam Chriſtiani, 102. exoletus, & concubina Chriſtiani, 46. 104
Nexocharis Philoſophus, 177.
Nicetas Heracleenſis, 248. 251.
Nicodemus, 101. 115.
Nicolaitae, 187.
Nicolaus Patriarcha CP. 245.
Nicolinius, Antonius, 16. 211. Ioſephus, 209.
Nimbus quid, 59.
Nepios quid ſignificet, 123.

O

OChinus. Vide Bernardinus.
Oneſimus a Paulo ad Chriſtum converſus, 46.
Orarium, 89. candidum, ibid. Veſtis Sacerdotalis, 90.
Orationis ornatus, quem deceat, 289. 331.
Oratorum quorumdam ſacrorum impudentia, 12.
Oricellarius. Bernardus, 209.
Origenes nudis pedibus incedebat, 57.
Orlendius, 259.

P

PAlla, 86.
Pallium, 69. an commune Chriſtianorum indumentum, 57. 73. Veſtis Apoſtolorum. 71. Graecorum, 72. pallio cur Chriſtiani uterentur, 72. veſtis Philoſophica, 72. Pallium inter Chriſtianos Aſcetae geſtabant, 73. 74. eo qui alii uterentur, 75. laneum, 75. pullum, rubrum, purpureum, 77. quadrangulare, 79. feminarum etiam geſtamen, 87. cum gemmis, 79. veſtis longa erat, 82. Sacerdos habitus, 93. eo Presbyteri utebantur, 98. 99. quo tempore a Clericis reiectum, 99.

Pan-

Pandectae Iuris civilis Florentiae quo faſtu olim oſtenderentur, 207.
Panvoltus Librarius, 274.
Papias & eius ſcripta, 114. eius ingenium, ibid.
Parvulus pro Inſipiens, 120. 123.
Paſſiones Apoſtolorum, 187.
Paſſio S Andreae, 179. 115.
Patres Eccleſiae laudati, 2. Ethnicos eorum ipſorum documentis revincebant, 5 6.
Patricius Martyr, 373.
Paulinus Nolae Epiſcopus eloquens, orationis ornatus deponit, 385.
Paulus Apoſtolus Graecos Poëtas adlegat, 6. 8. ad ſibyllam & Hyſtaſpem provocat, 6. 8. Apocryphos ſcriptores legit, 8. unde quaedam in Epiſtolam ad Ebraeos derivaverit, alias ignota, 8. Penula uſus, 84. Tabernaculorum opifex, 30. 33. 157. manibus victum quaerebat, 31. Exoletum, & concubinam Neronis convertit, 46. veſte ſimili ac Ioannes Baptiſta uſus, 85. eius ſudarium, 58. ſe tondet, 60. eſt recalvaſter, 60. & naſo aquilo, 61. minus vere repraeſentatur in antiqua lucerna & vitris, 61. eius ad Senecam Epiſtolae, 102. 168. ad pedes Gamalielis eruditus, 128. 160. an Evangelium Matthaei Graece verterit, 145. Pauli & Theclae periodi, 157. 168. eius Epiſtolae quot & quando ſcriptae, 157. Epiſtola ad Ebraeos an eius ſit, 157. Ebraice ſcripta, 159 292. eius ſtilus, 159. Graece eruditus, 160. Phariſaeus, ibid. Graecos Poëtas legit, ibid. aprocryphis Scriptoribus uſus, ibid litteraturam perfecte non novit, 161. male ſcribebat, 161. eius ſoloeciſmi, 161 minus diſertus, 161. 162. obſcurus & implexus, 163. barbarus, ibid. eloquens iuxta Auguſtinum, 164. Mercurius habitus, 165. profundus & ſapientiſſimus, 165. ſolus veritatem adgnovit iuxta quoſdam haereticos, 166. Epiſtola ad Laodicenſes ei tributa, 166. Epiſtolae falſo ei tributae, 167. eius Apocalypſis, ibid. Acta Pauli, ibid. Anabaticum eius, 168. eius Evangelium, 168. oratio in anguem mordentem, 168. Evangelium Matthaei Graece vertit, 198. omnibus linguis loquebatur. 360. eius conſtitutiones, 425. viſiones, 424.
Paulus ab Apoſtolo diverſus, 159.
Pauperes ſpiritu qui, 31. Pauperum regnum coelorum, ibid. ad Deum facilius accedunt, 38.
Paynus Librarius, 321.
Pelagius, 295.
Pelagius puer, 374.
Penula Romana veſtis, 84. ea Chriſtiani utebantur, ibid.
Pera quid, 85.
Peregrinus Proteus dictus, 52.
Periodi Apoſtolorum, 425.
Periodi Ioannis, 405.
Periodi Pauli, & Theclae, 156. 163.
Periodi Thomae, 179.
Perlanus Gulielmus, 319.
Petrarcha. Franciſcus, 208.
Petrus Apoſtolus piſcator, 30. 36. Simonis coriarii hoſpes, 32. eadem veſte uſus ac Ioannes Baptiſta, 85. Ependyte indutus. 86.

indo-

indoctus, 124. eius Epiſtola prima a Marco exarata, 152. an Graece ſciverit, 171. Epiſtolam I. Ebraice ſcripſit, 171. eius filius, ibid. an ſecunda Epiſtola eius ſit foetus, ibid. Apocrypha ei tributa, 172. eius Conſtitutiones, 425.
Petrus Carneſecchius, 18.
Petrus de Riga, 270.
Petrus de Teſta librarius, 321.
Petrus Formilius, 18.
Pfochenlus. Sebaſtian. quid de ſtilo N. T. ſentiat, 134.
Philalethes Euſebianus, 187.
Philippus Apoſtolus auriga, 30. eius filiae prophetides, 44.
Philo Iudaeus an Chriſtianus & cum Petro colloquutus, 101.
Philoſophi Tribonophori dicti, 74.
Philoſophia a Chriſtianis primitivis contemta, 112. 376. Philoſophia Chriſtianorum, 379.
Pictura Chriſtiani primi abſtinebant, 108.
Picturae antiquae Chriſti & Apoſtolorum, 77. 80.
Picturae Chriſtianae antiquae cur rudes, 108.
Pionius Martyr, 419.
Planeta Petri Apoſtoli, 84.
Politus. Alexander, 210.
Polycarpus Martyr calceatus inceſſit, 92. eius ſcripta, 114. cingulo uſus, 85.
Polycrates ſcriptor, 188.
Polycratis Annulus, 91.
Pomponia Graecina an Chriſtiana, 103.
Praedicatio Petri, 172. Bartholomaei, Matthiae, Simonis, Thomae, 425.
Praedicationes Apoſtolorum, 187.
Presbyterorum Achaiae Epiſtola, 115.
Prochorus Ioannis Amanuenſis & eius ſcripta, 115. 198. 228. 405.
Prologi in Evangelia ſuppoſititii, 309.
Prophetarum inſpiratio, 362. 365. diverſus ſtilus, 363. Dei organa Prophetae, ibid. an quod vaticinabantur intelligerent. 364.
Prophetia Nicolaitarum, 187.
Proto-Evangelium, 170.
Priſcilla Aquilae uxor, 41.
Puccius. Antonius, 320.
Pudens ſenator an ullus Chriſtianus fuerit, 103.
Pueri facile Chriſtianum dogma amplexi, 42.

R

RECognitiones Acta Petri dictae, 173.
Remigius Remenſis, 294.
Renaudotius. Euſebius. Liturgiam XII. Apoſtolorum e Syriaco latine vertit, 156.
Riccardius. Gabriel. 205. Richardus, 205. Vincentius Maria, 395.
De Riccio. Leonardus, 211.
Riccius. Petrus Franciſcus, 319.

Ruſti-

Ruſtici Chriſtiani vocati, 112. 408. & Apoſtoli, 123. 124. 127. 408. & Prophetae, 408.
Ruſticitas } quid 408. 413.
Ruſticus }

S

SAcramenta Eccleſiae, 263.
Salome Ioſephi filia Zebedaei uxor, 36.
Salvinius. Ant. Maria, 123. 210. 212. 396.
Salvinius. Salvinus, 211.
Sanctimoniales pallio virili uſae, 88. earum habitus, 88.
Sandaliis Chriſtus uſus, 93. & Apoſtoli, 93.
Sapientes pauci a Deo principio vocati, 106. 118.
Sapientia Apoſtolorum, & Chriſtianorum, 369. vera ſapientia, 372.
Sarabarae, 84.
Sarmenticii Chriſtiani dicti, 111.
Saulus. Vide Paulus.
Savonarola. Hieronymus. Mariae Epiſtolam ad Florentinos interpretatur, 190.
Scientiam profanam ſe non habere Chriſtiani profeſſi, 112. nec ea illis nimis congruens, 112. 113.
Scriptores divini an umquam erraverint, 362. quae eis Spiritus Sanctus ſuggeſſerit, 362. 365. 366. & ſeqq.
Scriptores haeretici legendi, & quomodo, 6. 8. 11. a quibus praecipue, 9. an laudandi, 12. 19.
Scriptores N. T. an Syriace omnes ſcripſerint, 202.
Scriptura Sacra nec temere nec ab omnibus interpretanda, 3. an omnia eius verba inſpirata, 362. 364.
Sculptura Chriſtiani antiqui abſtinebant, 108.
Scythianus, 183.
Semiſſii Chriſtiani vocati, 111.
Seneca Chriſtianus non fuit, 102. eius ad Paulum Epiſtolae, 168. Epitaphium, 168.
Senſus humanus quammultum meditando proficiat, 131.
Serarringhius. Chriſtophorus, 319.
Sergius Paulus ab Apoſtolo converſus, 103.
Severitas oris Chriſtianos decet, 55. qualis, ibid.
Simeonis Cleophae F. Praedicatio, 425.
Simeonius Gabriel, 209.
Simicinthia, 88. eorum uſus, 89.
Simon a Caſſia, 316.
Simon Cor arius, 32. 41.
Simon Ieroſolymorum Epiſcopus, 11. Epiſtolae II. Petri auctor, 172.
Simon Magus, 115.
Simplicitas & paupertas, Chriſtianorum deliciae, 99.
Siſinnius Calligraphus, 255.
Socinus. Vide Fauſtus. Laelius.
Soleae, 93.
Sordes in habitu Chriſtianorum, 81.
Sortes Apoſtolorum, 1158.

Sponſae Chriſtianae mitra uſae, 68. flammeum primitus non uſurpabant, ibid. quomodo ornatae, 68.
Spiritus Sanctus quid Apoſtolos docuerit, 345.
Stephanus. Henricus. quid de ſtilo N. T. ſenſerit, 134.
Stichometria N. T. 219 244.
Stilus ſacrae Scripturae ſimplex & humilis, 132. qualis librorum N. T. ſtilus, 129. eloquentiam in eo reperit Auguſtinus, ibid. qualem, 131.
Stola, 86.
Stola Sacerdotalis, 90.
Stulta Dei ſapientiora hominibus, 333. Stulta elegit Deus ut confundat ſapientia, 106. 118.
Sudarium, 58. 88.
Superaria, 86.
Symbolum Apoſtolorum, 188.
Synaxaria MS. 241. 282. 320.

T

Tabula in Catholicorum irriſionem depicta, 4.
Tacitus verſus interdum facit dum hiſtoriam ſcribit, 174.
Tarſenſes cives Romani, 84.
Tatianus, 182. 185. 424.
Terebinthus, 183.
Terrae motus magnus, 307.
Tertius Pauli Apoſtoli Amanuenſis, 209.
Tertullianus Epiſtolae ad Ebraeos auctor, 158.
Teſtamenti Novi Codices MSS. qui Florentiae exſtant, 204.
Teſtamentum Novum ſublimes res continet, 143. eius lectione Graecae litterae pueris non tradendae, 143. antiquitus Syriace converſum, 152. eius Codices MSS. 218. & ſeqq.
Thadaeus, 156. 178. Novum Teſtamentum Syriace interpretatus, 199.
Thecla virgo nobilis, 103.
Theodotus Byzantinus, 394
Theologi quidam ridiculi, 2.
Theophylactus Calligraphus, 252.
Therapeutae, 381.
Thomas Apoſtolus piſcator, 30.
Thomas de Charkel, 299.
Thomas Heracleenſis, 299.
Thomas Manichaeus, 176.
Tiara, 84.
Timotheus Calligraphus, 252.
Timotheus Pauli diſcipulus, 378.
Titus Pauli Interpres, 201. 378.
Toga veſtis Romanorum, 72.
Tonſura Chriſtianorum, 420.
Traditiones S. Matthiae, 178. 180.
Tunica, 69. inconſutilis qualis, ibid. ea Chriſtus uſus, ibid. & Apoſtoli, 70. ſuccingebatur, 70. lanea, 75. linea, ibid. candida, 73. 76. pulla apud Monachos, 76. alba utebantur Apoſtoli, 76. veſtis longa erat, 82. Tunicae praelongae apud Romanos,

nos, 83. cingebantur, ibid. item apud Iudaeos, ibid. Tunicae rectae, & diſcinctae, 83.

V

VAlentinus Haereticus, 185.
Veritas a Spiritu Sancto eſt, 10.
Veritas nuda magis placet, 331.
Verſio Syriaca N. T. a Thoma de Charkel facta, 299. a Thadaeo, 199.
Verſus in Matthaeum Evangeliſtam, 219. 230. in Marcum, 220. 230. in Ioannem, 220. 230. in quatuor Evangeliſtas, 221. 226. 236. in D. Paulum, 221. in Lucam, 230. 237.
Verſus qui in divinis Scriptoribus occurrunt, 174.
Veſtes Chriſtianorum nec nimis longae, nec nimis breves, 83.
Veſtis coenatoria, 75. candida Chriſtianos decet, 76. candida quae, 76. 77. Veſtitus Chriſtianorum vilis, 56. 72. 73. 80. 81. 86. Veſtium luxus in feminis Chriſtianis, 68. eum reiiciebant primi Chriſtiani, 81. 86.
Viduae primitivorum Chriſtianorum, 42. 43. 45.
Virgilii Codex MSS. Bibliothecae Riccardianae elegantiſſimus, 206.
Virgines velabantur, 67. mitra uſae, 68.
Vir nudo capite orare debet, 60. caput attondere, 60. 61. 64. barbam alere, 63. 64.
Viſiones Pauli, 424.
Viſiones SS. Perpetuae & Felicitatis, 418.
Vrſius. Ioſephus Auguſtinus, 211.
Vſcanus Archiepiſcopus Armenus, 167.

Z

ZAcchaeus fenerator, 46.
Zebedaeus, 36. 38.
Zenas, 115. 188.
Zona Mariae Deiparae, 87.
Zonarum uſus, 83. pellicea utebatur Ioannes, 85. Zona Pauli, & Apoſtolorum, 85. Zona duplex interdum, 85.

Digitized by Google

005650306

Digitized by Google

Digitized by Google